PHARMACOPOEA

HASSIAE

ELECTORALIS

POTENTISSIMI ELECTORIS IUSSU

EDITA.

CASSELLIS.

1827.

PRAEFATIO.

Quum Dispensatorium Electorale Hassiacum anno 1806 editum, conditioni medicinae recentioris, et eximiis, quos doctrina de rebus naturae, ars chemica et pharmaceutica fecerunt, progressibus non satis respondere videretur, secundum decretum Collegii rerum medicinalium supremi Dr. Joh. Pet. Heraeus Director huius, Archiater Electoris et a consiliis aulicis superioribus, eques ordinis leonis aurei, Dr. Rudolph. Wild Assessor huius Collegii ac Pharmacopoeus Cassellanus et Carol. Lud. Gaertner Assessor Collegii medici Hanoviensis neque non Pharmacopoeus aulicus in hac urbe Pharmacopoeae elaborandae operam navarunt.

En tibi illam, ELECTORIS nostri GUILIELMI II. auctoritate in vulgus editam, Hassiae Electoralis Pharmacopoeam, quae primo certam exhibeat normam, cui Electoratus Hassiaci Pharmacopoei tam in eligendis asservandisque medicamentis simplicibus, parandisque compositis et praeparatis,

quae hodie usu recepta sunt, quam in his reagentium ope chemice indagandis, se rite conformare possint, ita ut medicamenta eadem qualitate collecta, eademque methodo parata, nusquam et nunquam inter se differentia prostent; deinde sit regula firma, quam medicus, pharmacopolia ad edictum publicum exploraturus, sequi queat; praebeat denique stabilem pretii basin, quo medicamina ex legibus vendenda sint.

Pharmacopoea nostra in tres partes divisa est, quarum prima materiam pharmaceuticam complectitur, i. e. simplicia et praeparata ea, quae, quum in chymicorum fabricis facile componantur, via commercii advehuntur.

In secunda parte formulae medicamentorum compositorum, et a pharmacopoeis parandorum comprehenduntur.

In postrema exponuntur reagentia eorumque proprietates ac usus.

Totum opus in ordinem alphabeticum, utpote simpliciorem et omnino usui magis accomodatum, digestum est. Nomina officinalia antiquiora nos retinuisse, non est, quod multis defendamus. Utilem vero, immo necessariam esse notitiam nominum nostra aetate usu receptorum, iam nobis persuasimus, singulisque propterea titulis antiquioribus praecipuos novos, in Pharmacopoea Borussica, Berolini 1813, Batava edente Niemann Lipsiae 1824, Belgica Hagae Comitis 1823, Bavarica Monachii 1822, Gallica Lipsiae 1819, Austriaca Vindo-

bonae 1820 et Londinensi Lipsiae 1818, usitatos, addere non omisimus, quorum compositio vel concentratio tamen interdum cum ea remediorum nostrorum non omnino quadrat.

Non exiguam sane curam atque industriam, rerum, quas proxima aetas vidit, ratione habita, ad describenda medicamina neque non corpora reagentia contulimus. Errores forte illabentes ut praecaveamus, in notis descripsimus peculiares significationes, quae sincera medicamenta secernunt a fucatis, vel casu vel dedita opera adulteratis, rectam simul chemicae αναλυσεως rationem iteratis experimentis constituentes.

In exponendis medicamentorum compositorum arteque factorum praeparandi modis, quidquid incertum ambiguumve apparebat, quantum fieri poterat, evitavimus, nec ea recepimus, quae neque a medicis nec ab emtoribus facile postulantur.

Medicamenta efficaciora uberius describenda, et, ad casus infestos avertendos, dosin addendam curavimus.

Pharmacopoeas Borussorum et Bavarorum, utpote quae multifarie sese commendant, in usum venisse propterea, quod illarum civitatum vicinia consensum hac etiam in re suadet, ingenue profitemur.

Nomina systematica e classibus vegetabilium et animantium secundum Linnéi systema laudata reperies, excepta insectorum classe, in qua Fabricium sumus sequuti. Quod vegetabilia singillatim attinet,

usi sumus libro Car. a Linné: Species plantarum curante Car. Lud. Wildenow continuata a H. L. Link, Berolini 1797—1824, minime id negligentes, quod alii rerum naturalium investigatores elaboraverint primique protulerint. Non alienam denique a re putavimus allegationem classium ordinumque secundum hoc systema, et nonnullorum librorum, plantarum figuris ornatorum e. g. F. G. Hayne: Getreue Darstellung und Beschreibung der in der Arzneikunde gebräuchlichen Gewächse etc. B. 1—9, Berlin 1805—1826, et Vollständige Sammlung officineller Pflanzen, Lieferung 1—14. Düsseldorf 1822—1825.

Cassellis, d. 20. Septembris 1826.

PROLEGOMENA.

§. 1.

Pharmacopolium ita institutum esse debet, ut consilio, cuius caussa instituitur, satis sit accommodatum. Primum omnibus rebus necessariis et utensilibus sit instructum, ut Pharmacopoeus iis, quae scientia una cum arte requirunt, satisfacere, omnesque muneris sui partes rite explere queat.

§. 2.

De utensilibus et vasis.

Utensilia et vasa, praeparandis conservandisque medicamentis destinata, his, uti postulat Pharmacopoea, apta sint, vasaque inprimis, inscriptione perspicua, medicamentum inclusum declarante, instructa, locis convenientibus disponantur. Plura medicamentorum genera in uno eodemque vase servare, illicitum est. Trutinae autem diligentissime constructae sint. Summa etiam mundities ubique reperiatur.

§. 3.

De medicamentis eligendis.

Sint omnia, quibus indiget Pharmacopoeus, medicamenta sincera notamque integritatis prae se

ferentia, terris exteris advecta, ea forma emenda, qua de nativis characteribus possit constare; proprio Marte elaborata collectaque indigena coëmtis anteponenda.

§. 4.

De colligendis, exsiccandis, depurandis et renovandis materiis vegetabilibus.

Collige vegetabilia quando sanandi vis in ipsis maxime viget, habita ratione potissimum incrementi aut decrementi plantarum, ita ut partes adhibendae plene evolutae, at non nimium adultae sint. Inculta, paucis exceptis, cultis praeferas, opportunitatem locorum, in quibus plantae laetissime crescunt, simul bene observans.

Flores et herbas collige tempestate sicca, multo die, nec rore sparsas.

Cortices verno tempore legi commodissimum est ante foliorum florumque evolutionem, detractos vel de ramis nec nimis novellis nec aegrotantibus, vel de arbusculis.

Radicibus colligendis qui operam dat, eligat succi plenas, nec vero fibratas et lignosas, nisi illarum natura talem habitum requirat, nullo autem modo gummosis vel resinosis partibus destitutas. Brevi lotione, ne vis salutaris vana reddatur, sordibus liberes, et deseces, nisi prohibitum sit, reliqua foliorum, caulis basin et fibras fibrillasque.

Semina sint matura, ventilandoque granis cassis et palea priventur.

Sordes, partesque corruptas et quisquilia, uti Lichenes corticum etc., exime vegetabilibus recens carptis, ita tamen, ut efficacia eorum servetur, deinde disperge illa ad siccandum in tabulata, assibus probe constrata, aëri pervia, vel in cribra, in cella siccando idonea disposita, quantumque fieri potest, exsiccationem ita matura, ut non solum virtus me-

dica conservetur, sed et gratus florum herbarumque color illibatus maneat, neutiquam vero fermentatione vel mucore corrumpantur. Maioris ambitus vegetabilia disseca, nisi haud temere sit verendum, ne efficaciae quid pereat. Arefacta et in cribris quassata depurentur adhaerentibus humi partibus, insectis vel insectorum ovis. Tali modo praeparata serves, Pharmacopoea duce, vasis aptis, loco sicco, aëri exposito.

Temporis, usque ad quod vegetabilia pharmaceutica servare liceat, ratione habita, respiciendum est, quamdiu efficacia, neque depravata sint. Vegetabilia indigena, quae partim quotannis recentia comparari possunt, partim anni intervallo facile naturam ipsam mutant, praesertim nimium exsiccant, singulis annis renovanda sunt, quum e contrario materiae medicinales, e duris tantummodo massis constantes et efficaces, per longius temporis spatium condi possunt, nisi alio quodam modo deperdantur.

Flores, cortices, fructus, herbas, radices aliasque res vegetabiles, quarum in hoc libro mentionem fecimus, praeter eas quas singillatim excepturi sumus, siccatas intelligi volumus.

Inferius, ubi singula medicamenta describentur, omnia hic strictim tractata accuratius definita reperies.

§. 5.

De corporibus medicinalibus dividendis.

Corporum medicinalium divisio mechanica efficitur vel concidendo, vel radendo, vel limando, vel granulando, vel denique pulverando.

Vegetabilia, concisa dicta, vel forfice herbaria, vel cultro falcato (Wiegmesser), vel incisorio dissecantur, ita ut frusta satis aequabilia, trium linearum diametrum non superantia evadant, quae singularium cribrorum ope tam a partibus maioribus, quam ab iis, quae in pulverem abierunt, separentur.

§. 6.

De pulveratione.

Pulveratio seu contusio corporum efficitur, singulorum discriminis ratione habita, in mortariis seu e ferro, seu ex aurichalco, seu e lapide, praesertim marmore et serpentino, seu denique e terra porcellana compositis, ope pistillorum vel eiusdem massae vel e ligno praeduro factorum. Vegetabilia et producta illorum nonnulla, tenacia ac pulveratu difficilia praepara, prout cohaerent, antea leni calore arefacta, ut §. 4 dictum est; resinosa gummosaque, quae media temperatura conteri nequeunt, tempore frigido pulvera, semper ullo sine adiumento oleoso vel Amygdalarum.

Partes contritae per apta cribra ad triplicem subtilitatis gradum rediguntur:

I. Pulvis crassus frustula praebeat minutiora, magnitudinem seminum sinapeos vix excedentia.

II. Pulvis, κατ' ἐξοχὴν sic dictus, sive subtilis vocatus, omnino sit aequabilis, nihilominus vero sat palpabilis.

III. Quod Pulverem denique alcoholisatum seu subtilissimum attinet, curae sit, eum digitis conterentibus vix sentiri posse.

Pulveris portiones sensim effectas, aequabiliter inter se commisce. Residua inefficacia, neque non lignosa et fibrosa, reiicias.

Medicamenta quae in pulverem redacta, vi sua facile orbantur, omniaque alia partibus volatilibus praedita, nunquam diutius quam ad usum proximum, et quidem in vitris peracurate clausis, vel colore nigro obductis, vel in loco, luce privato, collocatis, serva.

Mortaria et cribra, si quidem corpus in pulverem redigendum laboranti noxium esse posset, caute obtegenda sunt.

Tabula comparativa

plurimorum ponderum medicinalium.

Nomina Ponderum.	Partes Ponderum	aequant: Grana ponder. med. Norimberg.	Grana ponder. med Borussici	Grana ponder. med. Bavarici	Grana ponder. med. Austriaci	Grana ponder. med. Belgici	Grana ponder. med Londinensis	Milligrammata pond. Gallici
Pond. medic. Norimberg.	Libra	5760.	5872,97	5722,62	4905,00	5493,72	5521,16	357663,90.
	Uncia	480.	489,41	476,88	408,75	457,81	460,10	29805,32.
	Drachma	60.	61,17	59,61	51,09	57,23	57,51	3725,66.
	Scrupulus	20.	20,39	19,87	17,03	19,08	19,17	1241,88.
	Granum	1.	1,02	0,99	0,85	0,95	0,96	62,09.
Pond. medic. Borussicum.	Libra	5649,16	5760.	5612,54	4810,64	5388,04	5414,96	350783,76.
	Uncia	470,76	480.	467,71	400,88	449,00	451,24	29231,95.
	Drachma	58,84	60.	58,46	50,11	56,12	56,40	3653,99.
	Scrupulus	19,61	20.	19,48	16,70	18,70	18,80	1217,99.
	Granum	0,98	1.	0,97	0,83	0,93	0,94	60,89.
Pond. medic. Bavaricum.	Libra	5797,63	5911,33	5760.	4937,00	5529,60	5557,23	360000,00.
	Uncia	483,14	492,61	480.	411,42	460,80	463,10	30000,00.
	Drachma	60,39	61,57	60.	51,43	57,60	57,89	3750,00.
	Scrupulus	20,13	20,52	20.	17,14	19,20	19,30	1250,00.
	Granum	1,01	1,02	1.	0,86	0,96	0,97	62,50.
Pond. medic. Austriacum.	Libra	6764,03	6896,70	6720,14	5760.	6451,34	6483,58	420009,00.
	Uncia	563,67	574,72	560,10	480.	537,61	540,29	35000,75.
	Drachma	70,46	71,84	70,00	60.	67,20	67,54	4375,09.
	Scrupulus	23,48	23,94	23,33	20.	22,40	22,51	1458,36.
	Granum	1,17	1,19	1,16	1.	1,12	1,12	72,92.
Pond. medic. Belgicum.	Libra	6039,19	6157,63	6000,00	5142,75	5760.	5788,78	375000,00.
	Uncia	503,27	513,13	500,00	428,56	480.	482,39	31250,00.
	Drachma	62,91	64,14	62,50	53,57	60.	60,29	3906,25.
	Scrupulus	20,97	21,38	20,83	17,86	20.	20,09	1302,08.
	Granum	1,05	1,06	1,04	0,89	1.	1,01	65,10.
Pond. medic. Londinense.	Libra	6009,17	6127,02	5970,16	5117,17	5731,36	5760.	373135,30.
	Uncia	500,76	510,58	497,51	426,43	477,61	480.	31094,61.
	Drachma	62,59	63,82	62,19	53,30	59,70	60.	3886,83.
	Scrupulus	20,86	21,27	20,73	17,77	19,90	20.	1295,61.
	Granum	1,04	1,06	1,04	0,89	1,00	1.	64,28.
Pondus Gallicum.	Myriagramma	161045,40	164203,78	160000.	137140,00	153600,00	154367,50	10000000.
	Kilogramma	16104,54	16420,37	16000.	13714,00	15360,00	15436,75	1000000.
	Hectogramma	1610,45	1642,03	1600.	1371,40	1536,00	1543,67	100000.
	Decagramma	161,04	164,20	160.	137,14	153,00	154,37	10000.
	Gramma	16,10	16,42	16.	13,71	15,36	15,44	1000.
	Decigramma	1,61	1,64	1,6	1,37	1,53	1,54	100.
	Centigramma	0,16	0,16	0,16	0,137	0,15	0,15	10.
	Milligramma	0,016	0,016	0,016	0,014	0,015	0,015	1.

	mmata allici
	3,90.
	5,32.
	5,66.
	1,88.
	2,09.
	3,76.
	1,95.
	3,99.
	7,99.
	0,89.
	0,00.
	0,00.
	0,00.
	0,00.
	2,50.
	9,00.
	0,75.
	5,09.
	8,36.
	2,92.
	0,00.
	50,00.
	06,25.
	02,08.
	65,10.
	35,30.
	94,61.
	86,83.
	95,61.
	64,28.
	000.
	000.
	000.
	000.
	000.
	100.
	10.
	1.

§. 7.

De ponderibus.

Pondera in Pharmacopoea et in Pharmacopoliis nostris usitata, desumta sunt a pondere Norimbergensi medicinali, cuius Libra una aequat 357,66390 Grammata ponderis Gallici (secund. Meissnerum).

		Uncias	Drach.	Scrup.	Grana	Grammata
Libra ℔	continet	12	96	288	5760	357,66390
Uncia ℥	—	1	8	24	480	29,80532
Drachma ʒ	—	—	1	3	60	3,72566
Scrupulus ℈	—	—	—	1	20	1,24188
Granum Gr.	—	—	—	—	1	0,06209

Libra una pond. med. aequat 0,764710 Libr. pond. mercat. Hass.

Librae quatuor med. aequant 3,058840 Libras pond. mercat. Hass.

Comparationem ponderis Norimbergensis medicinalis cum ponderibus pharmaceuticis Borussicis, Bavaricis, Austriacis, Belgicis, Londinensibus et Gallicis a Libra ad Granum usque et a Myriogrammate ad Milligramma usque, tabula affixa continet.

Pondus mercatorium Hassiacum secundum §. 12 legis d. d. 21. April. 1824 (der indirekten Abgaben) est pondus Coloniense, etiam Borussicum, cuius Libra una aequat 467,71131 Grammata.

		Libras merc.	Semuncias merc.	Quadr. Semunc. merc.	Grammata.
Pond. centenarium Ein Centner	continet	108	3456	13824	50512,82148
Libra mercat. Ein Pfund	—	1	32	128	467,71131
Semuncia merc. Ein Loth	—	—	1	4	14,61597
Quadr. Semunciae merc. Ein Quentchen	—	—	—	1	3,65399

Pondus centenarium unum aequat 141,226230 Lib. med.
Libra una pond. merc. Hass. aequat 1,307650 – –

Mensura fluidorum normalis Hassiaca (Wormatiensis) pro vino etc., quam vocant Ohm [Ohm] secund. §. 12 legis sup. memor. continet 80 Mensuras [Maaß]. Mensura [die Maaß] continet 144 digitos cubicos Hassiacos Aquae destillatae 15° R., (pes Hassiac. = 11 digitos Rhenanos) vel 100,04 digitos cubicos Parisienses vel 139,51999 Semuncias [Loth] pond. merc. Hass. Mensura [Maaß] pro cerevisia continet 158,4 digit. cub. Hass. vel 110,004 digit cub. Paris.

Fluiduncia pharmaceutica respondet Unciae Aquae destillatae communis 15° R. ponderis medicinalis Norimbergensis. Vasa mensuralia [Mensuren] e stanno puro, seu Anglico, confecta, nunquam ad metiendam Aquam vi heroica praeditam, nedum venenatam e. g. Aquam Lauro-Cerasi etc., adhibe; divisiones earum ponderi medicinali perfecte respondeant, necesse est.

Ubi vero vel per exiguitatem vel per evanescentiam liquoris expendendi non licet, trutina illum

examinare: liquores leviores aqua per guttas, si ad quinque granorum pondus non accedunt, mensures, et quidem Naphtharum guttas quindecim, Liquoris anodyni mineralis Hoffm. etc., nec non Tincturae levioris guttas decem, Laudani liquidi Sydenhami et Tincturae Opii guttas octo, et Acidi Borussici Kelleri guttas decem, pro granis quinque censeas; nisi a medicis guttarum numerus speciatim est indicatus.

Fluidorum, quae, quoad pondus specificum, parum ab Aqua destillata differunt, guttas septem granis quinque aequales aestimes, e. g. Acidi hydrocyanici Vauquelini etc.

De iis vero, quae aquam pondere superant, e. g. Acida diluta, Elixir acidum Halleri, Acetum Lithargyri guttam grano parem iudices.

Ad guttas mensurandas utere vasculo vitreo, colli longioris, amplitudine calamum scriptorium non superantis, ostii limbo planiori instructo, nec liquore ultra dimidium imple.

§. 8.

De explorando pondere specifico.

Ponderi specifico solidorum corporum terminando trutinam adhibe hydrostaticam. Ad fluidorum corporum pondus specificum explorandum Pyknometrum Meissneri vel Areometra Beckii adhiberi licet. Ut experimenta illis respondeant, quorum eventus in Pharmacopoea exponuntur, calore + 14° Reaum. utere.

§. 9.

De metro caloris.

Ad hoc constituendum thermometro Reaumuriano usi sumus. Medium caloris gradum aëris (temperaturam ordinariam seu mediam) + 12° usque 14° circiter aequalem posuimus.

§. 10.

De medicamentis vendendis.

Quae Medicamenta, tam simplicia, quam composita ac praeparata, quaeque reagentia signo stellae * notata inveniuntur, ea sunt, quae etiam in minimorum oppidorum pharmacopoliis praesto esse debent; pharmacopolia vero illarum urbium, in quibus provinciarum neque non circulorum magistratus sedes habent, omnibus medicamentis ac reagentibus sint instructa. At si forsan cuiusdam regionis medici hoc vel illud medicamentorum dictorum, quod, per longius temporis spatium servatum, efficaciam suam amittit seu depravatur, non adhibeant, non est, cur illius copiam promtam habeas.

Signum crucis † indicat Medicamenta, quae praeceptorum §. 6 edicti e Ministerio intimo die 25 Octbr. 1823 promulgati ratione habita, ad technicum etiam et oeconomicum usum vendere licet.

Signum ⁜ significat Medicamenta efficacia, quae ad usum technicum seu oeconomicum, cui rarius serviunt, secundum §. 1 et 6 edicti, modo laudati, non sine peculiari permissu vendi debent.

Signum sceleti capitis ☠, Venena, secundnm §. 1—5 edicti, cuius modo mentionem fecimus, servanda, nec, nisi singulari potestate data, venum danda designat.

ADDENDA.

Pag. 4 linea 17 adde Slg. off. Pfl. Lf. 16; pg. 5 lin. 22 add. Hayne X. 11.; pg. 11 lin. 32 add. Slg. off. Pfl. Lf. 16; pg. 20 lin. 25 add. Hayn. X. 14.; lin. 17 add. Schweinefett.; lin. 20 adde post liquata dein colata; pg. 21 lin. 7 post relinquit add. Balsamum Copaivae purum cum octuplo ponderis sui Spiritus Salis Ammoniaci caustici conquassatum, solutionem vix opalescentem praebeat, cum Oleo pingui adulteratum vero, conditionibus similibus, linimentum lactescens producit; lin. 9 post toluiferum add. Kunth; lin. 11 add. Sl. off. Pfl. Lf. 15; lin. 25 add. Slg. off. Pfl. Lf. 15; pg. 22 lin. 13 add. Slg. off. Pfl. Lf. 15; pg. 32 lin. 14 add. Slg. off. Pfl. Lf. 15; pg. 39 lin. 36 add. post rectificatus bulliens; pg. 41 lin. 13 add. post pallida viridia; pg. 45 lin. 27 add. post sulculis serpentibus; pg. 54 post lin. 20 add.

Semen Colchici, Zeitlosen-Samen.

Capsula vere cum foliis proveniens, ovato-oblonga, apice tripartita, sulcis tribus profundis notata, inflata, erecta, polysperma, includens semina subglobosa, ob funiculum umbilicalem adhaerentem, fundo in apicem producta, nucleum albidum, cornei compagis, arillo membranaceo fusco, rugoso, glutinoso circumdatum, praebentia; saporis subdulci-amaricantis, acris; odoris parci.

Pg. 65 lin. 9 adde post diluta tarde; lin. 10 post vero statim; pg. 69 lin. 34 add. Slg. off. Pfl. Lf. 16; pg. 70 lin. 8 post L. add. Slg. off. Pf. Lf. 16; pg. 76 lin. 4 add. Slg. off. Pf. Lf. 15; pg. 77 lin. 15 add. Slg. off. Pfl. Lf. 15; pg. 83 lin. 34 add. Slg. off. Pfl. Lf. 16; pg. 84 lin. 30 add. Hayn. X. 3; pg. 85 lin. 14 add. Hayn. X. 5; pg. 99 lin. 27 add. Slg. off. Pfl. Lf. 15; pg. 109 lin. 20 post Vitrioli pone tepida; pg. 110 lin. 24 add. Hayn. X. 9; pg. 111 post lin. 20 adde

Oleum Jecoris Aselli. Stockfischleberthran.

Oleum pingue ex hepate Gadi Morrhuae L. in Norwegia etc. obtentum, vel sponte ex hepate profluens, tum clarum, aureo-flavum, spisso fluens, odoris piscini debilioris, saporis paris mitis; vel ex hepate assato elicitum, tum opacum, coloris badii, consistentia priori simile, sed odore et

sapore simul subempyreumatico et acri diversum. Ultimum praecipue adhibendum est.

Pg. 111 lin. 24 add. Hayn. X. 10; pg. 117 lin. 13 add. Slg. off. Pfl. Lf. 16; pg. 120 lin. 32 add. Hayn. X. 24; pg. 128 lin. 5 et 36 add. Slg. off. Pfl. Lf. 16; pg. 143 lin. 10 add. et 15; pg. 145 lin. 22 add. Sapo Sodae sebaceus Bav.; pg. 161 lin. 12 add. Slg. off. Pfl. Lf. 15; pg. 168 lin. 30 add. Hayn. X. 7; pag. 172 lin. 5 post 1 add. 16; pg. 186 lin. 16 post Vauquelini adde (Ph. Gallic. et Acid. prussic. Ph. Belg.); pg. 293 lin. 30 post acris add. aromatici; pg. 300 lin. 17 post Tartari adde vel Cinerum clavellatorum depuratorum; pg. 317 lin. 1 adde post trigona vel tetragona; pg. 364 lin. 1 loco Drachmam unam pone dimidiam; pg. 374 post lin. ultima adde

Vinum Seminis Colchici. Zeitlosensamen-Wein.

Rec. Seminis Colchici Uncias duas, Vini Hispanici Uncias viginti. Digere calore 24° usque 30° in vase vitreo, quod vesica madefacta et acu perforata clauseris, saepius conquassando, per dies octo. Vinum refrigeratum cola ac per chartam bibulam filtra, dum unciarum sedecim pondus habeat. Sit limpidum, coloris Vini adhibiti, saporis paris, amari, nauseosi.

Pg. 376 lin. 13 post demittat add. quod; pg. 420 post Arsenici add. albi.

PARS PRIMA.

MATERIA PHARMACEUTICA.

* ABSINTHIUM.

Artemisia Absinthium L. Suffrutex Europae in ruderatis; nobis in hortis culta. Cl. XIX. Ord. Superflua. Hayne II. 11. Slg. off. Pfl. Lf. 10.

HERBA. Wermuth.

SUMMITATES. Wermuthspitzen.

Folia incano-glauca; radicalia triplicato-pinnatifida, laciniis lanceolatis dentatis, obtusis; caulina inferiora bipinnatifida, superiora pinnatifida, laciniis lanceolatis acutiusculis, floralia indivisa lanceolata; tomento albo praesertim subtus obsita; sapore peramaro; odore aromatico gravi; colligenda ante efflorescentiam.

Summitates floribus globosis, flavis, exiguis cum thalamo tomentoso; pedunculis nutantibus; sub florescentiae initio carpendae.

Praep. Extractum. Oleum destillatum et coctum. Tinctura.

* ACETUM.

Acor vegetabilis, parari potest ex quovis liquore vinoso fermentationi acetosae subiecto.

ACETUM CRUDUM. Essig.

Ad usum pharmaceuticum solummodo Acetum ex Vino, ex vinaceis, vel ex frumento et pomis paratum adhibendum est, sed Acetum Vini praevalet caeteris. Sit liquidum tenue, limpidum, flavo album, grati saporis et valde acidum. Qualitas ex aciditatis gradu diiudicatur, qui tantus sit, ut unciae duae requirantur ad Salis Tartari drachmam saturandam.

Adulteratio cum Acido Vitrioli detegitur, si, post destillationem Aceti ad siccitatem usque, instillatione Liquoris Sacchari Saturni aut Aquae Barytae progignitur Vitriolum Plumbi (Plumbum sulphuricum) vel Spathum ponderosum (Baryta

sulphurica), in Acido Nitri haud solubile. Acetum Cupro depravatum, admixto Liquore Kali ferreo-borussici, praecipitatum rubro-brunneum monstrat. Contaminatio cum Plumbo ab Aqua hydrosulphurata vel Acido Vitrioli concentrato declaratur. Acrimonia spuria, ope vegetabilium principio acri imbutorum fraudulenter conciliata, post saturationem cum Alkali gustu facile detegitur.

Praep. Acetum camphoratum. Acetum concentratum. Aceta infusa varia. Acidum Aceti. Naphtha Aceti. Oxymel simplex. Potio temperans. Spiritus Mindereri. Terra foliata Tartari crystallisata. Terra foliata Tartari.

ACETUM PYROLIGNOSUM.

Acidum pyrolignosum. Acidum Lignorum.

Acor vegetabilis Oleo empyreumatico nuptus, destillatione, aut deflagratione ligni in praeparatione Picis liquidae vel Carbonis vegetabilis, obtentus.

ACETUM PYROLIGNOSUM. Brenzlicher Holzeßig. Brenzliche Holzsäure.

Liquidum brunneum, fere opacum, margine vitrei vasis extensum pellucens; odoris pungentis, empyreumatici, illi similis quem fumarium edit; saporis acidi, empyreumatici, fuliginei, ingrati. Uncia una requiratur ad Salis Tartari drachmam saturandam.

☨ * ACONITUM.

Aconitum elatum Salisbury. Planta perennis in Europae australis, praesertim montanis, pratis elatis collibusque frigidis, apud nos e. g. in colle, cui nomen est Hirschberg, prope Helsam, nec non in paludosis et ad ripas fluminum in alnetis et salicetis, v. g. probe Urke retro Frankenberg, ubi copiose crescentem detexit plantam clarissimus Wenderoth Professor Botanices Marburgensis. Cl. XIII. Ord. Trigynia.

Flores in racemum simplicem seu plus minusve ramosum collecti, breviter pedicellati, bracteolae suffultae, magnae, coeruleae, (nunc albae, nunc ex albo et coeruleo variegatae) irregulares, ex sepalis quinque petaloideis deciduis, quorum supremum (galea)

amplum, concavum, cassidae formae, lateralia bina suborbiculata, inferiora oblonga; petalis staminiformibus indefinitis, parapetalisque duobus cucullatis sub casside occultis unguiculatis apice in fundum clausum nectariferum productis, basi aperta in labium finitis; staminibus multis; stylis duobus, tribus quinisve, totidemque ovariis in carpellas leguminosas, sutura interna dehiscentes, polyspermas abeuntibus, constantes.

HERBA. Sturmhut. Eisenhut. Mönchskappe.

Folia petiolata, ad petiolum fere usque quinquepartita, partitionibus cuneatis, apice trifidis, incisisve in lacinias lanceolatas, acutas, linea exaratas; supra saturate viridia, subtus pallido-aquose-virentia, utrinque glabra, nitentia; odore nullo; sapore gaudent acerrimo, ita ut masticata linguam doloribus tumoribusque adficiant.

Mense Maio et Junio, priusquam planta floret, folia spontanea colligantur integra, loco umbroso caute siccentur, et tunc vitris vel vasis ex laminis ferreis stanno obductis, probe clausis, ut et pulvis ex iis paratus, asserventur. PLANTA VIRULENTA.

Haec species omnium forsan Aconiti generis vulgatissima, nomine quoque ACONITI NAPELLI, A. TAURICI, A. NEOMONTANI, A. VULGARIS, A. NEUBERGENSIS, A. VARIEGATI, A. MEYERI, NAPELLI GROSSI, etc. SLG. OFF. PFL. LF. 6, Botanicis, Pharmacopoeisque et Hortulanis nota, in hortis etiam colitur et ex iis, quod valde damnosum, in pharmacopolia venit, cum spontanea solummodo ad usus medicos colligenda atque asservanda sit. Pharmacopoei ea in regionibus suis, locisque natalibus similibus exseminari curent. Omnia Aconita inflorescentiae coeruleae, in Germania sponte nascentia, paris efficaciae sunt eaque ad usum pharmaceuticum adhiberi licet.

DOSIS. Grana quatuor sensim plura.

PRAEP. Extractum. Tincturae.

✠ * AERUGO.

OXYDUM CUPRI PER ACIDUM VEGETABILE BAT. ACETAS CUPRI CRUDUS GALL. SUB-ACETAS CUPRI BAV. BELG. CUPRUM SUBACETICUM. VIRIDE AERIS.

E Cupro acetico et acetico-basico miscela, cum pauculo Acidi carbonici; e laminis Cupri, vinaceis fermentantibus corrosis, parata.

AERUGO. Grünspan.

In panibus aut frustis deformibus venalis. Sit virente-glauca, inpolita, attactus asperi, triturae cyaneae; difficulter rumpenda in fragmina inaequalia terreo-lamellosa sericei nitoris; texturae minutim crystallinae; odoris cuprei nauseosi; saporis similis styptici acescentis. In Acido Vitrioli vel Aceti fere tota solvatur. Servetur in vasis probe clausis.

PRAEP. Cera viridis. Oxymel Aeruginis.

AGARICUS ALBUS.

POLYPORUS OFFICINALIS MICHELI. BOLETUS PURGANS PERS. BOLETUS LARICIS IACQ. Fungus in Europae australis alpinis et subalpinis truncis et ramis vetustis Pini Laricis inhaerens. CL. XXIV. ORD. SARCOMYCETES.

AGARICUS ALBUS. Lerchenschwamm.

AGARICUS ALBUS PRAEPARATUS. Zubereiteter Lerchenschwamm.

Parenchyma decorticatum, ac sole siccatum. Fungus recens est polymorphus, pugni usque ad capitis infantilis amplitudinem; dimidiatus, cortice pilei albo, sed inprimis versus tubulos subaurantiaco, coriaceo crasso; carne nivea crassissima lenta, provecta aetate in rudiorem et friabilem farinam abeunte; odoris farinosi; tubulorum subaurantiacorum vel argillaceorum, tandem fuscescentium altitudine inaequali. Decorticatus ac siccatus sit levis etsi friabilis, nihilominus difficulter redigendus in pulverem candidum; odoris dicti debilioris; saporis primum dulciusculi, postea amaricantis, acris nauseosi.

Cum mucilagine Gummi Tragacanthae in pultem contunde, quam siccatam pulvera, AGARICUS PRAEPARATUS, et serva in vitris clausis nec luci obnoxiis.

* AGARICUS QUERNUS.

Polyporus fomentarius Micheli, Boletus fomentarius L. Et Polyporus igniarius Micheli, Boletus igniarius L. Fungi Quercubus, Betulis, Fagis, Salicibus etc. frequenter inhaerentes. Cl. XXIV. Ord. Sarcomycetes.

AGARICUS QUERNUS PRAEPARATUS, s. chirurgorum. Boletus igniarius praeparatus. Zunderschwamm. Feuerschwamm.

Fungi acaules, pulvinati, tenerrime porosi, superne cinerei cum margine albo, inferne albidi; insipidi; inodori. Mensibus Augusto et Septembri collecti, substantia superior durior, ac inferior fistulosa cultri ope removeantur, media tenuior pars exsiccata vero tamdiu mallei ictibus lentescat, donec instar pellis Rupicaprae inter digitos deduci queat et igni amicissima, non flamma at serpente igne combustibilis sit.

ALKANNA SPURIA.

Anchusa tinctoria L. Planta perennis Barbariae et Hispaniae, in Gallia et Hungaria culta. Cl. V Ord. Monogynia.

RADIX. Alkannawurzel. Färberochsenzunge.

Radix subcomosa, fere cylindrica, tenuis rugosa, longitudinaliter sulcata, subramosa; epidermide nigrescente; cortice lamelloso, obscure sanguineo; fracta fibris lignosis ochroleucis, in circulum positis, constructa; inodora; saporis sub-austeri dulciusculi. Spiritum Vini, Olea et Cerata colore purpureo tingens.

* ALOE.

Aloe succotrina Lamarckii, Aloe perfoliata succotrina Aiton. Kew. Planta fruticosa insulae Soccotorae in mari arabico indigena, nunc in Asia australi et Americae insulis culta. Cl. V. Ord. Monogynia. Slg. off. Pfl. Lf. 2. Aloe spicata Thunberg. et aliae species promontorii Bonae Spei; Aloe vulgaris La-

MARCK. in insula Barbados et ceteris Americae meridionalis regionibus crescens. SLG. OFF. PFL. LF. 2.

ALOE SUCCOTRINA et LUCIDA. Feine oder Succotrin-Aloe.

ALOE HEPATICA. Gemeine oder Leberfarbige-Aloe.

Aloë succotrina et lucida. Succus resinoso-gummeus e basi foliorum ALOES SUCCOTRINAE LAMK. et SPICATAE THBG. desectorum stillans, inspissatus. Venalis in frustis, quae sint e viridi et rufo fusca, splendoris picei lucidi insignis in laminis tenuibus colore flavo-purpurascente vel-brunnescente diaphana, ponderosa, compacta, friabilia tritura aurea, calore temperato fragilia, fractura conchoidea, calefacta ductilia; odoris graviusculi balsamici proprii; saporis amarissimi nauseosi. Aqua duas tertias partes circiter solvit, Spiritus Vini rectificatus totam fere.

Aloë hepatica, e succo impuriori earumdem specierum et ALOES VULGARIS LAMK., mutato tantum extrahendi modo, obtenta, coloris obscurioris hepatici, nitoris languidi, in fragmentis tenuioribus turbida; siccior, compactior, ponderosior, aegrior fractu; pulvere fulvo; odore graviore, saporis magis amaronauseosi; resina abundans, solummodo ad usum veterinarium asservanda. Aloë caballina, fere nigra, sordibus inquinata, foetens, vilior, reiicienda. Servatur in vasis bene clausis.

PRAEP. Extractum. Tinctura.

* ALTHAEA.

ALTHAEA OFFICINALIS L. Planta perennis Galliae, Angliae et Germaniae, apud nos culta. CL. XVI. ORD. POLYANDRIA. HAYN. II. 25. SLG. OFF. PFL. LF. 5.

HERBA. Eibisch-, Althee-Kraut.

RADIX. Eibisch-, Althee-Wurzel.

Folia petiolata, inaequaliter dentata, quinquenervia, inferiora cordato-rotundato-quinqueloba, superiora oblongo-ovata, subtriloba, utraque tomento incano molli tecta. Colligantur ante florescentiam.

Radix, ramis e rhizomate descendentibus simplicibus, teretibus, calamum scriptorium ad digitum crassis; epidermide luteo-fuscescente tectis, intus albis; epidermide privata et siccata venalis, quo albidior, eo melior; saporis subdulcis-mucilaginosi. Effodienda autumno.

PRAEP. Pasta. Syrupus. Unguentum.

* ALUMEN.

SULPHAS ACIDULUM ALUMINAE BAT. GALL. SULPHAS ACIDULUS ALUMINAE ET LIXIVIAE AUST. SULPHAS ALUMINAE ET POTASSAE ACIDULUS BAV. SUPERSULPHAS ALUMINAE ET POTASSAE.

Sal acidulum, passim nativum, maxime e Schisto aluminoso vulgari ac terreo ustulato et aëre atmosphaerico fatiscente, dein lixivio perfuso, addita Cinerum clavellatorum quantitate sufficiente, vaporatione ac refrigerando in massas crystallinas redactum.

ALUMEN CRUDUM. Roher Alaun.

Refert, crystallisatione caute instituta, octaëdra regularia, decolora, diaphana; saporis e subdulci adstringentis, aëri exposita per superficiem in pulverem album fatiscentia. Aquae partes quatuordecim circiter, temperaturae + 10°, unam partem Aluminis solvunt. Temperatura vero + 80° ab Aqua crystallisationis inhaerente solvitur et liquefit, ac in massam albam spongiosam, fragilem, aridam, pervertitur.

Reiiciatur flavescens et impurum, ob admixtum Ferrum vel Cuprum, quae a Liquore Kali ferreo-borussici in solutione designantur. Alumen Romanum roseum non cum Cobalto tinctum sit, uti artefactum Brunsvicense.

PRAEP. Alumen ustum.

AMBRA.

In visceribus PHYSETERIS MACROCEPHALI L. reperitur, aeque Oceano Asiam australem orientalemque alluenti prope insulas Moluccenses hinc inde innatans.

AMBRA GRISEA. Grauer Amber.

Materies adiposo-ceracea, probabiliter in coeco PHYSETERIS MACROCEPHALI, post devorationem SEPIAE

OCTOPODIS L. et OCTOPODIS MOSCHATI LAMK. aliorumque orta et inde excreta, in mari obdurescens. Optima cinerea, maculis et striis vinaceis, incanis, vel nigrescentibus variegata; suaveolens; consistentia Cerae, triturando in pulverem crassiusculum vertitur, leni calore emollit et temperatura Aquae bullientis liquescit. Prunis iniecta spumescit, fumum album ambracinum suaveolentem spargens, alens flammam laetam, residui carbonis expers. Ponderis specifici 0,780—0,926. In Naphtha Vitrioli et Spiritu Vini absoluto omnis fere solubilis. Serva in vitro embolo vitreo clauso.

PRAEP. Tinctura.

* AMMONIACUM.

FERULA ORIENTALIS L.? Asiae minoris, Tauriae et Numidiae, et FERULA FERULAGO L.? Siciliae et Africae borealis plantae perennes. CL. V. ORD. DIGYNIA.

GUMMI, s. GUMMI-RESINA, AMMONIACUM. Ammoniakgummi.

Gummi-resina, recentior in grana albo-flaventia, intus lactea, nitida, opaca, ut plurimum conglutinans, (AMMONIACUM AMYGDALOIDES, ELECTUM, seu IN GRANIS); vel ex substantia flavescente seu rufescente, cum granis subrufis intermixta, constans ac in glebis maioribus obvia, (AMMONIACUM IN MASSIS); tenax, digitis depstus parce mollescens; odoris gravis, balsamici nauseosi; saporis primum subdulcis, dein amaro-nauseosi, subacris. A quisquiliis per pulverisationem in frigore depuranda. Aqua triturata, maxima ex parte solubilis, fluidum lactescens praebet, quiete limpidior, resina fundum vasis petente. Tinctura spirituosa flavo-brunnescens. Ammoniacum in granis usu interno et in massis pro emplastris adhibendum. Serva pulverem in vitro obturato.

* AMYGDALAE.

AMYGDALUS COMMUNIS L. Arbor in Africa septentrionali sponte nascens in Italia et Gallia copiose culta. CL. XII. ORD. MONOGYN. SLG. OFF. PFL. LF. 2.

AMYGDALAE DULCES. Süße Mandeln.
AMYGDALAE AMARAE. Bittere Mandeln.

Nuclei ovati, apice acutiusculi, compressi; membrana cinnamomei coloris, subscabra, pulverulenta, sulcato-striata vestiti; firmi, nivei in duas partes divisi; saporis dulcis, oleoso-mucilaginei.

Varietas fructu minori amaro; nuclei formae et habitus antecedentium, subminores; saporis amari. Destillatione cum Aqua exiguam copiam Olei aetherei. Aqua ponderosioris, Acido borussico nupti exhibent,

Optimae Amygdalae ex Italia praesertim ducatu Florentino, nec non e Smirnensi agro advehuntur. Sint siccae, fragiles, non rancidae, nec maculis flavis intus notatae, minime vermibus erosae.

PRAEP. Aqua. Emulsio. Oleum expressum. Syrupus.

AMYLUM.

TRITICUM HYBERNUM. T. AESTIVUM. T. SPELTA. et T. TURGIDUM L. Plantae annuae sativae. CL. III. ORD. DIGYNIA. SLG. OFF. PFL. LF. 13.

AMYLUM. Kraftmehl.

Principium farinaceum, Aqua frigida elicitum, et a glutine separatum. Sit album absque odore, vix sapidum, Aqua frigida insolubile, si vero Aqua cocta infunditur, in pultem viscidam solvatur.

ANGELICA.

ANGELICA ARCHANGELICA L. Planta biennis alpestris, nobis hortensis. CL. V. ORD. DIGYNIA. HAYNE VII. 8. SLG. OFF. PFL. LF. 9.

RADIX. Engel- oder Angelika-Wurzel.

Radix fusiformis, rhizomate carnoso, in fibras tenuiores divisa; recens, epidermide e fusco-albidula, annulato-cicatrisata, intus alba, superficies segmenti horizontalis striis excentricis stellulata, succum lacteum, aëris attactu flavescentem, exsudans. Siccata, epidermide e flavo-rufescente, longitudinaliter rugosa, intus albicans, centrum stellulatum, figura angulosa

fusca cinctum, et loculos seu canales numerosos, resina aethereo-oleosa repletos, praebens. Odor graveolens; sapor aromatico-acris, igneus. Altero demum anno radix effodienda, siccanda, et, quum accessum vermium facile patit, in cista e ferro laminato, stanno obducto, asservanda est.

Ne confundatur cum radice ANGELICAE SYLVESTRIS, quae debilior, minor, absque maculis est.

PRAEP. Extractum. Spiritus. Tinctura.

ANGUSTURA.

BOMPLANDIA TRIFOLIATA WILLD. CUSPARIA FEBRIFUGA SEU ANGUSTURA HUMB. ET BONP. Arbor Americae aequinoctialis, prope urbem Angustura dictam crescens. CL. V. ORD. MONOGYN. HAYN. I. 18. SLG. OFF. PFL. LF. 11.

CORTEX. Aechte Angusturarinde.

Segmenta duos ad sex pollices longa, lineas sex ad duodecim lata, crassitie lineae vel semis, patentia, concava; epidermide flavido-grisea, subaspera, longitudinaliter verruculis linearibus, rimosis obsita; cortice denso, fragili, in longitudinem facile dissiliente; transversim fracta oculo armato texturam resinoso-granosam, coloris fulvi, et annulum brunneum internum, hinc inde punctis albidis aspersum, praebentia; superficie interna cinnamomei coloris, madefacta, flavi, pulverulenta, subscabra; liber si adest, tenuiter fibrosus a cortice separabilis; odoris Foeniculo subsimilis, ob oleum aethereum proprium; saporis amari, dein acris, radicis Senegae sapori adpropinquantis. Pulverata coloris lutei intense rhabarbarini. Infusum et decoctum aquosum, coloris obscure lutei, refrigeratione clarefiunt et sedimentum luteum praebent; additis Liquoris Ferri saliti guttulis praecipitatum pisi coloris secernunt, cum Liquore Salis Tartari vero colorem intense croceum prae se ferunt, praecipitatum citrinum et cum Liquore Stanni muriatici praecipitatum laete-ochroleucum demittunt, Aqua supernatante citrina. Tinctura spirituosa Aqua mixta massam resinosam edit.

ANGUSTURA SPURIA seu VENENOSA. Falsche oder giftige = Angustura.

Arbor dubia Americae aequinoctialis.

Frusta maiora difformia, passim incurva, lineam unam vel duas crassa, epidermide cinereo-albida, rugosa, crusta verrucosa alba et aurantiaca passim obsita; cortice duro, fibris quasi experte, contundendo undique fragili. Fractura albida, subcinerascente, laevi, resinae particulis carente, subcornea; superficie interna laevi, fuliginosa, nigrescente, libro carente; odoris fere nullius; saporis peramari. Pulveris color flavo-griseus. Infusum aquosum livido-fuscum, a Liquore Vitrioli Martis vel Ferri saliti turbatur et floccos virentes secernit, qui decantatione a fluido separati, praecipitatum nigrescens exhibent; Liquor Salis Tartari vero et Liquor Stanni muriatici sedimentum flavido-fuscum in infuso dicto producunt, Aqua supernatante albida. Tinctura spirituosa Aqua commixta clara permanet. Cortex spurius a mercatoribus cortici genuino interdum immixtus, ob vim suam deleteriam a Pharmacopoeis sedulo separandus et comburendus est.

* ANISUM.

Pimpinella Anisum L. Planta annua Aegypti et Syriae, in Germania culta. Cl. V. Ord. Digyn. Hayne VII. 22. Slg. off. Pfl. Lf. 12.

SEMEN. Anis.

Semina pedicellata parva, oblonga, ovata, striata, subvillosa, subviridia; saporis et odoris subdulcis, aromatici. Sint a terrae glebis libera.

Praep. Aqua. Oleum destillatum.

ANISUM STELLATUM.

Illicium anisatum L. Arbor Iaponiae, Chinae, Philippinarum. Thunbergio teste ab alia specie decerpitur. Cl. XII. Ord. Polygynia.

SEMEN ANISI STELLATI s. sinensis. Sternanis.

Capsulae seiuges octoiugesve, stellatae, ovatae, compressae, coriaceae, fragiles, ferrugineae, uniloculares, superne hiantes, monospermae; seminibus fuscis maiusculis, ovatis, obtusis, splendentibus, glabris, duriusculis, testaceis; nucleo albido, pingui; odoris saporisque subdulcis, aromatici, Anisi vulgaris similis, fortioris.

* ANTIMONIUM CRUDUM.

Stibium sulphuratum nigrum Bor. Sulphuretum Stibii nativum Bat. Sulphuretum Stibii. Aust. Gall. Sulphuretum Stibii venale Bav. Antimonium sulphuretum Lond.

E mineris Antimonii sulphuratis (Grauspießglanzerz, Antimonglanz) in Saxonia, Bohemia et Hungaria eliquatur.

ANTIMONIUM CRUDUM. Roher Spießglanz. Schwefelspießglanz.

Affertur in placentis largis vel conicis truncatis; est chalybeogriseum, splendoris metallici; ponderis specifici 4,700; depingens, friabile, triturae nigrescentis inpolitae, fracturae inaequalis, texturae crystallino-radiatae aciculosae splendente, crystallis prismata tetragona referentibus; inodorum; insipidum. Calore tubuli ferruminatorii facile liquetur, primum flammam caeruleam Sulphur redolentem, dein vapores albos eructans. Strenuo igne totum diffugiat; cum tribus partibus Nitri purissimi vero detonatum et probe fusum massam albidam relinquat, de qua, cum decuplo Aquae destillatae cocta, decocto filtrato et Acido Nitri supersaturato, praecipitatum album obtentum, siccatum et cum pari pondere Carbonis ac Boracis ustae contritum, aestu sublimationis in tubo vitreo loricato expositum, Arsenicum metallicum sublimatum non exhibeat. Metalla obnoxia reliqua, Antimonium crudum interdum etiam inquinantia, uti Cuprum, Plumbum, oxydatione medicaminis nostri cum Acido Nitri concentrato, ac investigatione liquoris acidi, oxydo albo producto innatantis, perdiluti, cum Liquore Kali ferreo-borussici, vel solutione in Aqua regia, in qua Antimonium crudum, si a Plumbo liberum est, integre solvatur, explorantur. Scorias placentis inhaerentes abiice, has ultimas autem pro usu laeviga.

Dosis. Drachma dimidia pro adulto, pro infante grana nonnulla.

Praep. Aethiops antimonialis. Antimonium crudum praeparatum. Butyrum Antimonii. Calx Antimonii sulphurata Hoffm. Crocus Metallorum. Kermes minerale. Regulus Antimonii. Sapo antimonialis. Sulphur auratum Antimonii. Tartarus emeticus. Vinum Antimonii.

AQUA.

Hydrogenium oxydatum, Oxidum Hydrogenii.

AQUA COMMUNIS. Wasser.

Sit limpida, inodora, insipida, nec quiete nec lucis influxu turbetur, sedimentum vix deponat.

Praep. Aqua destillata.

ARGENTUM.

Vel nativum (Gediegen-Silber) vel maxime cum Sulphure et Antimonio mineralisatum (Silberglanz, Glaserz, Rothgültig-, Schwarzgültigerz) seu Acido Salis ac Mercurio nuptum (Silberhornerz, natürliches Amalgam) in fodinis aerariis Saxoniae, magni Ducatus Badensis, Hungariae, Hispaniae etc. occurrit, et inde eliquatur ac reducitur.

ARGENTUM. Silber.

ARGENTUM FOLIATUM. Blattsilber.

Sit candidum vix lutescens, persplendidum; Auro durius, Cupro mollius; personorum; tenax, valde ductile ac malleabile; fracturae uncinosae; aëris et Aquae attactu immutabile; contactu Sulphuris vel Gas hydrosulphurati (Aëris hepatici) vero nigrescat; ponderis specifici 10,4743, malleatum 10,510; igne reverberario probe cerasino fusile. In Acido Nitri penitus solvatur, solutione incolore, quae instillato Liquore Argenti sulphurici nil praecipitati albi pulverulenti emittat, Spiritu Salis Ammoniaci caustico praecipitata, ac praecipitato in Spiritu dicto praeponderante resoluto, nec coerulescat nec turbetur, etiam cum Acido Salis puro tota decomposita, Argentum muriaticum (Hornsilber) Aqua et Acidis insolubile edens, a tenore metallico libera reperiatur.

Argentum foliatum, a bracteatoribus in laminas tenuissimas ductum, purum sit.

Argentum venale ac monetae argenteae non nisi Cupro coniunctum inveniuntur.

Praep. Argentum nitricum crystallisatum. Argentum purum. Argentum sulphuricum. Lapis infernalis.

ARISTOLOCHIA ROTUNDA.

Aristolochia rotunda L. Planta perennis Europae australis. Cl. XX. Ord. Hexandria. Hayne IX. 22.

RADIX. Osterluzeywurzel.

Radix tuberosa, subglobosa, crassitie unius pollicis vel duorum, ponderosa, rugosa; epidermide pallide-fusca; substantia interna flavente, dura, farinosa; saporis amari acris.

✠ * ARNICA.

Arnica montana L. Planta perennis, montana, indigena. Cl. XIX. Ord. Superflua. Hayn. VI. 47. Slg. off. Pfl. Lf. 9.

FLORES. Wolverley-, Fallkraut-Blumen.

HERBA. Wolverleykraut. Fallkraut.

RADIX. Wolverley-, Fallkraut-Wurzel.

Flores compositi radiati aurei, solitarii, terminales, erecti, squamulis calycinis brevioribus lanceolatis, apice purpureis; saporis ex acri amaricantis, digitis confricati sternutationem moventes. Venales siccae non sine calyce emantur, ex quo deinceps excerpantur. Colligantur recens evolutae ac, probe siccatae, vasis clausis serventur.

Videatur, ne alius flos flosculosus loco Arnicae florum recipiatur, nec larvis Muscae Arnicae L. erosae sint, quae usu interno florum erosarum effectus obnoxios producunt. Inulae dysentericae L. flores, cum quibus ut saepissime adulterantur, cuius inflorescentia est paniculata et quarum folia sunt cordato-oblonga, amplexicaulia, nullo gaudent odore et sapore minus acri.

Folia basilaria in caule subsimplici oblonga, ovato-lanceolata, obtusiuscula, utrinque hirta; superne obscure virentia, subtus pallidiora, trinervia, venosa; odore debili, nisi trita; sapore quidquam acri, amaro. Ante florescentiam colligenda.

Radix simplex, teres, vix calamum scriptorium crassa, fibrillosa, fibrillis e latere inferiore radicis emergentibus, filiformibus, hac longioribus; epidermide fusco-nigrescente, striis aspera; cortice flavo; substantia interna sordide alba, sublignosa, setis vasorum in circulum digestis percursa; odore acriusculo, contusae nares feriente; sapore acri, amaricante subaustero, illi radicis Inulae Helenii non absimili. Post foliationem effodienda. Caveas, ne cum radice INULAE DYSENTERICAE L. adulterata sit.

ARROW-ROOT.

MARANTA ARUNDINACEA L. et M. INDICA TUSSAC. Plantae perennes Americae calidioris, et Indiae orientalis, insulis Antillis praecipue Iamaicae cultae. CL. I. ORD. MONOGYN. SLG. OFF. PFL. LF. 13. HAYN. IX. 25. 26.

ARROW-ROOT. Arrowmehl.

Fecula e radice rasa lotione cum Aqua obtenta, albissima, sub digitis minutissime granulosa, strepitans, nec illis Amyli Tritici instar valde adhaerens; odoris tenuis fere AGARICI CAMPESTRIS L.; saporis amylacei vix acriusculi. Pars una partes sedecim Aquae coctione in mucilaginem diaphanam pervertit, saporis grati dulciusculi.

♀ * ARSENICUM ALBUM.

OXYDULUM ARSENICI ALBUM BAT. GALL. ARSENICI OXYDUM AUST. ACIDUM ARSENICOSUM VITREUM BAV.

Vel e Pyrite arsenicali (Arseniksies) vel uti eductum secundarium, ustulatione minerarum arseniciferarum e. g. Cobalti aliorumque in fornacium fumariis longis officinarum aerariarum Germaniae receptum (etiam in Hassia) ac iterum sublimatum.

ARSENICUM ALBUM. Weißer Arsenik. Weißes Arsenikoxyd. Arsenige Säure.

Massa vitriformis flavescens, lucida, pedetentim porcellanea nivea, opaca; contundendo dissiliens, fracturae conchoideae politae; nitidissima; ponderis specifici 3,70 — 3,74. In igne pastae instar lentescens specie fumi albi pervenenosi totum diffugit; pulveratum et prunis inspersum vero odorem alliaceum spargit. In Aquae frigidae partibus octoginta, ad centum et quatuor, secundum pellucitatis gradum, solubile, eadem ratione Aqua bulliens octavam circiter partem ponderis sui Arsenici albi LUCIDI solvit, et refrigerata tricesimam quartam retinet; de Arsenico albo OPACO vero modo decimam partem ponderis sui, parte quinquagesima quinta in solutione refrigerata retenta. Aqua hydrosulphurata acidula (Liquor probatorius Hahnem.) solutioni infusa, praecipitatum vitellinum et Liquor Cupri ammoniacalis sedimentum luteo-viride seu prasinum ex ea demittunt; affusa Aqua Calcis turbatur et praecipitatum album edit, quod siccatum ac cum pulveris Carbonis et Acidi boracici pari pondere contritum, in tubo vitreo loricato excandefactum, Arsenicum metallicum sublimatum (Cobaltum crystallisatum officinarum, Fliegengift, Scherben-Kobold) exhibet, parietes internos superos vitri, forma cuticulae chalybeo-gryseae, uno latere politae, metallici splendoris, altera minutim tetraëdrico crystallinae obducens, quae, laminae cupreae tenui plicatae interposita ac excandefacta, odorem alliaceum spargit, et Cuprum arsenicale album producit. Pari modo Arsenicum album per se in Arsenicum metallicum reducatur. SERVA ut VENENUM. Ad usum pharmaceuticum Arsenicum album pulveratum nunquam emas.

DOSIS. Tricesima sensim decima pars Grani unius.

PRAEP. Solutio arsenicalis Fowleri.

ARUM.

ARUM MACULATUM L. Planta perennis Germaniae in locis sylvaticis humidis. CL. XXI. ORD. POLYANDRIA. SMLG. OFF. PFL. LF. 2.

RADIX. Aronswurzel.

Radix perennis, tuberosa, subrotunda, tuberculis obsita, inferius fibrillis tecta, compacta, crassitie pollicis dimidii vel integri; epidermide lutescente privata et sicca, alba farinosa. Recens succum lacteum continens et acredinem, cutem irritantem, siccatione vero effugientem. Ante efflorescentiam Mense Aprili, colligenda.

* ASA FOETIDA.

Ferula Asa foetida L. Planta perennis Persiae. Cl. V. Ord. Digynia.

ASA FOETIDA, s. Gummi Resina Asae foetidae. Stinkender Assand.

Succus lacteus e radicis crassae suprema parte a terra libera, transversim incisa, stillans; sole in resinam gummosam induratus. E Persia et Indiis orientalibus venalis, formans glebas conglutinatas granis mixtas aut quasi colliquatas, quae sint albidae, attactu aëris sensim roseae aut rubescentes, numquam obfuscatae; partim, saltem in granis immixtis, subdiaphanae et splendentes; consistentiae aequabilis, cereo-tenacis, calore manuum facile emolliendae, porosae, non nimis fragilis, fractura conchoidea splendida; odor recentium gravissimus, sed et postea insigniter persistens alliaceus, nauseosus; saporis amariusculo-alliacei. In Aqua maceratae largiantur solutionem sordide rufam, parte gummosa soluta, reliqua quasi pastam cretaceam formante. Pulvis tempore hyemali praeparandus, e flavo-fuscescens, cum Aqua tritus format emulsionem parum durabilem albescentem. In Spiritu Vini rectificatissimo solum ex parte solvuntur, solutione flavorubente, in Spiritu Vini absoluto perfecte solvantur. Sint inflammabilia, praecipue grana contexta, nec deflagrantia picem redoleant. Serva vesicis et vasis, e laminis ferreis, vel murrhinis occlusam, loco frigidiori, ac propria suppellectili dispensam.

Praep. Emplastrum foetidum. Tinctura.

ASARUM.

Asarum europaeum L. Planta perennis Germaniae in locis umbrosis. Cl. XI. Ord. Monog. Hayne I. 44. Slg. off. Pfl. Lf. 2. —

RADIX. Haßelwurz.

Radix repens, tenuis, quadrangularis, subgeniculata, dentata, fibrosissima; epidermide e cinereofusca; substantia interna albida; odoris cascarilleocamphorati, acris; saporis aromatici, acriusculi; oleum aethereum continet; vomitum ciet et aluum purgat. Primo vere vel autumno colligenda.

* AURANTIUM.

Citrus Aurantium L. Arbor Indiae orientalis spontanea, in Europa meridionali culta, nobis in hibernaculis. Cl. XVIII. Ord. Icosand. Slg. off. Pfl. Lf. 1.

* CORTEX AURANTIORUM. Pomeranzenschaalen.
* FLAVEDO CORTICUM AURANTIORUM. Das Gelbe von den Pomeranzenschaalen.
FLORES AURANTIORUM s. Naphae. Pomeranzenblüthe.
* FOLIA AURANTIORUM. Pomeranzenblätter.
OLEUM BERGAMOTTE. Bergamottöl.
OLEUM FLORUM AURANTIORUM s. Neroli. Pomeranzenblüthenöl. Neroliöl.
POMA IMMATURA AURANTIORUM. Unreife Pomeranzen.

Cortex fructuum maturorum; recens epidermide rubro-flava, exsiccatus in frustis ovato-acuminatis, epidermide e flavo virente; substantia corticali alba, spongiosa, inodora et insipida. —

Flavedo corticum Aurantiorum, epidermis e cortice recisa et siccata, sit aurantiaco-brunnea, aspera, fragilis; odoris aromatici proprii; saporis eiusdem amari.

Florum recentium corolla pentapetala, alba, carnosa; odore fragrantissimo suavi; sapore subamaro, aromatico. In usum trahantur recens collecti, vel

sale conditi culinari serventur. Serva vasis bene clausis.

Folia ovato-oblonga, acuminata, coriacea, glabra, appendice cordata ad basin aucta; superne laete inferne pallidius, at sempervirentia; saporis amaricantis; odoris fragrantis. Male folia Citri medicae substituuntur, a quibus petiolis alatis dignoscuntur.

Oleum Bergamotte est Oleum aethereum, praesertim in Gallia et in Italia, expressione corticum fructuum, varietatis cuiusdam Citri Aurantii, recentium obtentum. Sit limpidum, coloris aurei, ponderis specifici 0,880; odoris grate-fragrantis; saporis proprii aurantiaco-citrei, blandi. Serva in vitris probe-obturatis.

Oleum Neroli est Oleum aethereum destillatione Florum Naphae recentium in Italia et Gallia obtentum. Sit limpidum, valde tenue, coloris flavi, tandem quidquam rubescentis; odoris florum grate-fragrantis. Serva ut superum. —

Fructus immaturi siccati globoso-elliptici, apice umbillicati, mox Pisi mox Nucis moschatae magnitudine, brunneo- vel fusco-virentes, scabri, rugosi, parenchymate durissimo testaceo-pallido, subgranuloso; odoris imprimis pulverati grati aromatici; saporis parum amari, sub finem dulciusculi.

Praep. Aqua corticum. Aqua Naphae. Oleum destillatum corticum. Syrupus. Tinctura. Spiritus.

AURUM.

Metallum plerumque nativum (Gediegen Gold) etiam Argento, Cupro, Plumbo et maxime Tellurio (Blättererz, Schrifterz, Gelberz) nuptum, in Hungaria ac quatuor partibus orbis terrae.

AURUM. Gold.

AURUM FOLIATUM. Blatt-Gold.

Metallum flavum, persplendens; inodorum; insipidum, maxime ductile et malleabile, tenax, Cupro mollius; ponderis specifici 19,257—19,400; aegre fundendo, ignis vim sustinens et in eo immutabile;

modo Aqua regia et Acido Salis dephlogisticato solubile, solutione epidermidem animalium corrodente et illi rutilum colorem, longe persistentem, communicante, cum Liquore Stanni muriatici mixta praecipitatum purpureum demittente, et affuso Liquore Vitrioli Martis Aurum metallicum in forma pulveris brunneo-flavi, post excandescentiam aurei languidi, edente.

Aurum foliatum a bracteatoribus in laminas tenuissimas dilatum, purum sit. —

Monetae aureae ac Aurum aurificum non nisi Cupro coniunctum inveniuntur.

Praep. Aurum purum. Aurum muriaticum natronatum. Liquor Auri muriatici. —

* AXUNGIA PORCI.

Adeps suilla Bat. Axungia suilla Bav.

AXUNGIA PORCI. Schweineschmalz.

Pinguedo abdominalis recens Suis Scrofae L., minutim concisa, Aqua elota et leni calore in vase figulino liquata. Sit nivea, pultacea, inodora; saporis e dulci pinguis. Serva loco sicco frigido, vase clauso.

* BALSAMUM COPAIVAE.

Copaifera officinalis L. Arbor Brasiliae, Guianae, insularum Maranhae et Antillarum. Cl. X. Ord. Monogyn. Slg. off. Pfl. Lf. 9.

BALSAMUM COPAIVAE. Copaivabalsam.

Liquor oleoso-resinosus, ex vulnerata arbore stillans; pallide flavus, limpidus, odoris proprii fragrantis aromatico-balsamici, grati; saporis oleoso-amaricantis, subacris; quo recentius eo levius Aqua est; ponderis specifici 0,950. In pari pondere Oleorum aethereorum et unguinosorum penitus solubile; Aqua diutius cum illo trita lactescat, de qua mox secedat. Sit genuinum, nec Terebinthina nec Oleo pingui adulteratum. Terebinthina, Balsamo Ferro

candenti insperso, odore proprio sese prodit; Balsamum purum coctione in Aqua per horas quinque usque sex continuata, resinam in frigore fragilem, consistentiae et aspectus Terebinthinae coctae, exhibet, cum Oleo pingui vero adulteratum coquendo residuum vel viscidum, vel fragilitate carens relinquit. Serva in vitro obturato.

BALSAMUM DE TOLU.

Myroxylon toluiferum. Arbor Americae meridionalis, in regni Novae Granadae provincia Carthagena prope Tolu crescens. Cl. X. Ord. Monog.

BALSAMUM DE TOLU. Opobalsamum. Tolubalsam.

Resina plerumque solida, in pericarpiis Cucurbitae minoribus advecta, laete-fulva-rutile, pellucida, sub digitis emolliens, super igne liquatur, concussione fragilis, pulverata flavide-alba; odoris suavissimi balsamico-benzoini, subcitrei; saporis dulciusculi, paris. In Spiritu Vini rectificatissimo solubile, e Resina, Oleo aethereo et Acido benzoico constitutum, quod Aqua bulliens ex eo solvit. Serva vasis probe clausis.

* BALSAMUM PERUVIANUM NIGRUM.

Myroxylon peruiferum L. Arbor Americae meridionalis, inprimis in Peru crescens. Cl. X. Ord. Monogyn.

BALSAMUM PERUVIANUM NIGRUM s. indicum. Schwarzer peruvianischer Balsam.

Liquor oleoso-resinosus, e cortice illaeso aut inciso stillans vel e frondibus summis foliisque coctus. Sit syrupiformis, ex rubro nigricans, fere opacus, superficie vitrei vasis extensus pellucens; saporis primum mitis, dein fervidi, praecipue fauces urentis, subamari, ingrati; odoris suavis, Siliquae Vanillae affinis, Acidum proprium, benzoico compar, continens; ponderis specifici 1,50. In Spiritus Vini rectificatissimi partibus quinque quidem solvitur, remanet

tamen exigua pars residui flocculosi brunnei; in Oleis aethereis plane solvitur, cum Oleis expressis unguinosis se non coniungit; bullienti Aquae instillatum separatur in partem leviorem, quae Aqua pelliculam superinducit, et in partem graviorem, quae fundum vasculi petit. Prunis instillatum odorem gratum edit. Cum Acido Vitrioli concentrato mixtum, colorem coccineum edit. Serva in vitro probe obturato.

* BARDANA.

Arctium Lappa et Bardana L. Plantae biennes ad vias et in ruderatis frequentes. Cl. XIX. Ord. Aequalis. Hayn. II. 35 et 36.

RADIX. Klettenwurzel.

Radix descendens, subcylindrica, quidquam ramosa, parce fibrosa; epidermide brunneo-fusca, in sicca inaequaliter rugosa; substantia interna alba, in recenti carnosa, in sicca squamosa; odore debili ingrato; sapore exacro subdulci. Vel sero in autumno vel primo statim vere effodienda. —

♄ * BELLADONNA.

Atropa Belladonna L. Planta perennis in umbrosis et montosis sylvaticis spontanea, indigena. Cl. V. Ord. Monogyn. Hayn. I. 43. Slg. off. Pfl. Lf. 1.

Caulis 3—4 pedalis, erectus, viridi-rubellus, subpilosus, trichotomus, ramis dichotomis; flores breve pedunculati in axillis foliorum, penduli, corolla campanulata, subventricosa, purpureo-viridula, margine quinquefido subrevoluto; bacca globosa, nigra nitida, magnitudinis drupae Cerasi, basi calyce quinquefido vestita, bilocularis, pulposa, succo purpureo repleta; seminibus reniformibus. —

HERBA. Toll- oder Wolfskirschen-Belladonna-Waldnachtschatten-Kraut.

RADIX. Toll- oder Wolfskirchen-Belladonna-Waldnachtschatten-Wurzel.

Folia magna, integerrima, ovata, acuminata, in petiolum brevem attenuata, alterna gemina, altero saepe minore, intense viridia glabriuscula, tenuia; odoris saporisque herbacei, ut tamen ex sapore acre adstringens narcoticique quid, distinguatur. Colligenda ante efflorescentiam, mense Junio Julioque; loco umbroso, vel tempestate adversa, lenissimo calore siccanda, vitrisque clausis servanda.

Radix recens longa, cylindracea, unum vel duos pollices crassa, ramoso-fibrosa, torosa; epidermide fulva seu sordide lutea; cortice lineam crasso, albo; substantia interna carnosa, albida, ex centro lineata; odoris et saporis subdulcis, nauseosi, acriusculi. Arte siccata, respectu coloris, odoris ac saporis eadem signa, nisi obscuriora praebet, tunc est fragilis et rami tenuiores plerumque colore gryseoflaviusculo gaudent. Radix biennis vere effodienda, findenda, cellulis excavatis et ibi mucidis reiectis, uti Herba siccanda ac servanda. Tota planta virulenta.

Dosis. Adulto grana duo, quatuor usque ad decem, infantibus quarta grani pars usque ad duo grana; radix dosi minore.

Praep. Extractum.

BENZOE

Styrax Benzoin Dryanderi. Arbor Indiae orientalis, praesertim in Sumatra frequens. Cl. X. Ord. Monogyn. Slg. off. Pfl. Lf. 11.

RESINA, s. Gummi, BENZOES. Asa dulcis. Benzoe. Wohlriechender Asant.

Resina e cortice trunci et ramorum exsudans, plerumque venalis in frustis difformibus, pluries conspicuis, extus saepe foliorum arundineorum vestigiis impressis ac e melleo aut flaveo brunnescentibus; melioribus e granis potius, et quidem maiusculis conglutinatis, friabilibus, tritura alba splendida, fractura resinosa inaequali, maculis plus minus ro-

tundis albis variegata, splendida, fragminibus tenuioribus pellucidis, liquatis nares pungentibus et tussim moventibus suaveolentibus, vapore coëunte in massam crystallinam rarissimam, Acidum vel Flores Benzoës, deflagrantibus flamma laeta, residuo carbone nigro splendido depingente; odore gratissimo, balsamico-acri; sapore pari dulciusculo, ceterum in ore arido; in Spiritu Vini rectificatissimo et Naphtha tota solubilis.

Praep. Flores. Tinctura.

BERBERIS.

Berberis vulgaris L. Frutex Germaniae. Cl. VI. Ord. Monogyn. Hayn. I. 41. Slg. off. Pfl. Lf. 2.

BACCAE RECENTES. Saurachbeeren. Berberizen.

Baccae oblongae, puniceae, nitidae, glabrae, lineas tres quatuorve longae; inodorae; parenchymate carnoso succulento, laetesanguineo, intense ac grate acido, subaustero; fovente semina oblonga, hinc convexa inde plana, rugosa. —

Praep. Syrupus.

BISMUTHUM.

Praecipue nativum (Gediegen Wismuth) et cum Sulphure mineralisatum (Wismuthglanz), rarius oxydatum (Wismuthocker) in Saxoniae, Bohemiae, Hassiae, Sueciae etc. fodinis aerariis obvium. —

BISMUTHUM. s. Marcasita. Wismuth. Aschbley.

Metallum ex subrubicundo-argenteum, splendens, aëris attactu varians; fracturae lamellosae; ponderis specifici 9,67 — 9,822; vix sonorum, modice durum, contusione in pulverem redigendum; facile, calore 198°, funditur, ac album excandefactum tactu aëris in oxydum gryseum dein flavum, partim fumi albi instar diffugiens, pervertitur; aestu reverberario vase clauso sublimatur. In Acido Nitri solutum ab Aqua e solutione sub forma oxydi albi subnitrici, (Ma-

gisterium Bismuthi), praecipitatur; residuum album coctione solutionis nitricae ortum, Acido Nitri resolvatur, quod si non accidit, signum inquinationis Bismuthi cum Arsenico praebet, ac ulterius investigandum est. —

Praep. Magisterium Bismuthi.

BISTORTA.

Polygonum Bistorta L. Planta perennis in pratis montosis paludosis. Cl. VIII. Ord. Trigynia. Hayn. V. 19. Slg. off. Pfl. Lf. 4.

RADIX. Natter- oder Schlangen-Wurzel.

Radix pollicaris, compressa, inflexa, rugis annularibus cincta, fibrillis copiosis in superficie instructa; epidermide ex nigro-fusca; substantia interna colore carneo tincta; saporis intense austeri; odoris fere nullius. Effodiatur mense Aprili.

BOLUS ARMENA.

In Persia et Armenia invenitur. Quae in Germania, Gallia vicinisque regionibus effoditur, non differt a genuina ex Armenia allata. —

BOLUS ARMENA. Armenischer Bolus.

Argilla ex luteo-rubra, Ferro oxydato turgida, tactu pinguis et laevis, linguae adhaerens, trita splendens, mollis, depingens. Aqua superfusa in frustula et pulverem dissiliens, cum Acidis non effervescens; aspirata Argillam redolet; saporis sit terreo-subausteri.

* BORAX.

Boras sodae alcalinum Bat. Boras Sodae Bav. Gall. Subboras Sodae Lond. Natrum subboracicum. Sal, invenitur in Persia, Thibeto et America australi. —

BORAX VENETA s. raffinata. Venetianischer- oder gereinigter Borax.

Refert aut glebas salinas subcrystallinas, aut, praecipue si arte crystallisata fuisset, prismata vel rectangularia obliqua, vel sex- et octogona irregularia, lateribus duobus latioribus, planis duobus ad quatuor acuta. Sit alba, incolor splendens, diaphana, sat dura, contusione rumpenda, fracturae planoconchoideae, splendidae; saporis primum mitis dulciusculi, refrigerantis dein alkalini; ponderis specifici 1,75. Aëris attactu pulvere albo obtegatur et inde impolita et opaca fiat. Igne facile liquetur ac turgeat in massam niveam, spongiosam raram, quae, post exhalationem Aquae crystallisationis, aucto aestu abeat in vitrum hyalinum album Aqua solubile, ex quo, si in crucibulo e Platina confecto fusa fuisset, Aqua interveniente, integra restitui possit; prunis iniecta non decrepitet. Solvatur in duodecim partibus Aquae medii caloris gradus et in duabus bullientis; in Spiritu Vini rectificatissimo insolubilis sit; solutio aquosa Chartam exploratoriam flavam brunneo colore imbuat, ac, affuso Acido Vitrioli nec muriaticum redoleat nec effervescat, sed lamellulas albas, nitentes tenues Acidi boracici (Salis sedativi Hombergii) exhibeat; instillato Liquore Salis Tartari non turbetur. —

Mucilaginem Gummi arabici in massam gelatinosam densam pervertit. —

Praep. Borax usta. Cremor Tartari solubilis.

BOTRYS MEXICANA.

Chenopodium ambrosioides L. Planta annua Americae meridionalis, nobis hortensis. Cl. V. Ord. Digyn. Slg. off. Pfl. Lf. 13.

HERBA. Mericanisches Traubenkraut.

Herba florens, racemis foliatis simplicibus, foliis lanceolatis acuminatis, serrato-dentatis, glabris, dilute viridibus; odoris fragrantis, camphorato-terebinthinacei; sapore odori congruo, aromatico, amaricante. Colligitur mense Julio; servatur in vasis bene clausis.

Praep. Tinctura.

BRYONIA.

Bryonia dioica et alba L. Plantae perennes indigenae, in sepibus habitantes. Cl. XXI. Ord. Monadelphia. Hayn. VI. 23. Slg. off. Pfl. Lf. 10.

RADIX. Giftrüben- Zaunrüben-Wurzel.

Radix permagna, crassa, fusiformis, saepe bifida; epidermide ex albido lutea, rugosa; substantia interna alba, carnosa; in taleolas transversas dissecta, annulis sibi invicem incumbentibus et radiis conspicua; sapore amaro-acri nauseoso; recens odoris taediosi; succo flavido lacteo resinoso abundans. Effodiatur quotannis autumno.

BUTYRUM.

Pinguedo de cremore Lactis vaccini agitando separata recens atque bene lota.

BUTYRUM. Butter.

Sit albo-flavens, vix odorem nisi dulciusculum spargens; saporis dulcis pinguis blandi grati, a sero liberum nec Sale communi conditum.

CACAO.

Theobroma Cacao L. Arbor Americae meridionalis et insularum Antillarum. Cl. XVIII. Ord. Decandr. Hayne IX. 35. Slg. off. Pfl. Lf. 9.

SEMEN. Kakaobohnen.

Tres varietates seminum Cacao occurrunt.

Caracasana, maxima, ovato-elliptica; testa-papyracea, subdura, striato-rugosa, cinereo-rufa, fragili; nucleo extus castaneo, rugoso-rimoso, in frustula irregularia, membrana tenui interstincta, fractu dissiliente, intus coloris laetioris; saporis proprii, grati, amariusculi, pinguis, non mucidi.

Berbicensis, eadem forma, minor sed plus convexa; testa superficie incano-pulverulenta; nucleo peroleoso. —

Rubra seu Maranhonoensis et Martinicensis, percompressa; testa rufa striata; nucleo amariusculo, subadstringenti, minus oleoso.

Praep. Butyrum.

* CALAMUS AROMATICUS.

Acorus Calamus L. Planta perennis palustris Germaniae. Cl. VI. Ord. Monogyn. Hayn. VI. 31. Slg. off. Pfl. Lf. 4. —

RADIX. Kalmus.

Radix repens, longa, cylindrica, crassitie pollicari, subcompressa, geniculata, geniculis vaginatis, latere inferiore fibris ac cellulis rotundis multis obsita; epidermide, dum recens est, obscure viridi-fusca, substantia interna alba et spongiosa; epidermide soluta et post discissionem in longitudinem et post exsiccationem intus ex albo rufescens, extus pallide fusca et ob resectas fibrillas cicatriculis copiosis ac cellulis scabra, longitudinaliter rugosa; odoris fragrantis, grati; saporis aromatici, acris, amaricantis. Effodiatur vere aut sero autumno.

Praep. Oleum destillatum. Tinctura.

CALENDULA.

Calendula officinalis L. Planta annua, Europae australis, arvensis, nobis in hortis. Cl. XIX. Ord. Necessaria. Hayne IX. 47.

HERBA RECENS. Ringelblume.

Herba florens caule erecto, ramoso, angulato, hirsuto; foliis oblongo-ovatis, dentatis vel sinuatis, inferioribus decurrentibus, superioribus amplexicaulibus, hirsute-viscosis; floribus magnis, solitariis, radiatis, luteis vel aurantiacis; odoris fortis ingrati; saporis acriusculi, salsi; seminibus cymbiformibus muricatis, omnibus incurvatis. Colligatur floribus vix evolutis.

Praep. Extractum.

* CALX VIVA.

CALCARIA USTA BOR. CALX BAT. GALL. LOND. CALCARIA PURA BAV.

CALX VIVA. Ungelöschter= lebendiger=Kalk.

Eruitur e lapide calcareo, (Kalkstein, Marmor) igne exusto, Acido carbonico (Aëre fixo) dum eruitur evanescente. Massas constituit albicantes, aut aliquantulum cineritias, primo duras, aëris contactu deinde friabiles et solubiles in pulverem. Ab Aqua affusa valde incalescat Calx et illius viginti quinque centesimas partes absorbeat sub strepitu et vaporum aquosorum eructatione, dilabens in Calcem exstinctam. Solvatur calore 14° in sexcentis partibus Aquae, indigens adhuc maiore copia bullientis. In Acido Salis tota, ita tamen, ut Acidum carbonicum (Aërem fixum) aut hydrosulphuratum (Aërem hepaticum) minime edat, solubilis. Solutio addito Spiritu Salis Ammoniaci caustici non turbanda sit. Alkalina praefert caracteres. Servatur in vasis murrhinis vel vitreis probe clausis.

PRAEP. Aqua. Sal ammoniacum fixum.

CAMPECHENSE LIGNUM.

HAEMATOXYLON CAMPECHIANUM L. Arbor Americae calidioris. CL. X. ORD. MONOGYN. SLG. OFF. PFL. LF. 13.

LIGNUM. Campeschenholz. Blutholz.

Lignum durum, ponderosum, tinctorium, e flavo rubrum; saporis subadstringentis, subdulcis; inter rodendum odorem Iridis florentinae referens.

PRAEP. Extractum. —

* CAMPHORA.

LAURUS CAMPHORA L. Arbor Indiae orientalis et Japoniae. CL. IX. ORD. MONOGYN. SLG. OFF. PFL. LF. 8.

CAMPHORA. Kampher.

Concretum sui generis spontaneum, aut destillatione aquosa in excipula figulina, intus stramine Oryzae obducta, sublimatum; affertur in massulis globosis humidis plus minusve diaphanis, flavescentibus vel rubicundis, quae sublimatione, addita Calce viva, Creta seu Argilla, in phialis vitreis ab inhaerente Oleo empyreumatico depurantur, et in massa semiorbiculata, subtus concava, medio perforata concrescunt, libras duas circiter ponderante. Sit aspectu glaciei similis, nivea, nitida; attactu pinguiuscula glabra; ponderis specifici 0,986; compagis subcrystallinae, etsi tenax tamen fragilis, fractura fibroso- et granuloso-lamellosa; odoris proprii insignis; saporis parum exaestuantis, tandem os refrigerantis amaricantis; aëri exposita sensim diffugiens. Calore 74° Olei instar fluat, facillime inflammetur, flamma lucida fumoque denso tota deflagrans. In Aqua parce sed in Spiritu Vini, Naphthis, Oleis aetheribus et unguinosis, in Acido Nitri et Aceti concentratissimo maiori in copia penitus, ast in liquidis alkalinis nullo modo solvatur. Adiuvante Spiritu Vini in pulverem reducitur. Serva in vasis vitreis vel murrhinis bene clausis, loco frigido. —

Paratur etiam e Dryobalanopis Camphorae Bonplandii, arboris Sumatranae, truncis, ramis atque radicibus concisis, nec minus e radice varietatis Lauri Cinnamomi L., Capura-Curundu, i. e. Cinnamomum camphoratum dicta, quae ultima praestantissima putatur.

Praep. Acetum camphoratum. Oleum camphoratum. Spiritns Vini camphoratus.

CANELLA ALBA.

Canella alba Schwarzii. Arbor insularum Antillarum, praecipue Jamaicae. Cl. XI. Ord. Monogynia. Hayn. IX. 5. Slg. off. Pfl. Lf. 12. —

CANELLA ALBA. Cortex Winteranus spurius. Weißer Zimmt.

Cortex plerumque convolutus, interdum patens, pollices quinque longitudine non excedens, ¾ pollicis

et ultra latus, lineam dimidiam ad duas crassus; extus vel partim rasus ac ex gryseo-lutescens, vel epidermide pallida ferruginea tectus, superficie interna albida; fractura albidà, granosa; saporis subamari, aromatici, Piperi et Caryophyllis propinqui; odoris paris suavis. Serva vasis probe clausis.

Saepe illi Cortex Winteranus verus substituitur, ex Wintera aromatica Murr., Drimyde Winteri Forsteri. Hayn. VIII. 35. Slg. off. Pfl. Lf. 12. terrae magellanicae Americae australis incola, ortus, sed segmentis pedem longis, latioribus, crassioribusque, cuticula ferruginea in latioribus, in tenuioribus pallidior rasa, striis transversis equidem ferrugineis tecta, fractura fuscescente densa; odore basilicino-piperino fortiore, sapore pari peracri facile distinguendus.

CANNABIS.

Cannabis sativa L. Planta annua sativa Cl. XXII. Ord. Pentandr. Hayn. VIII. 35. Slg. off. Pfl. Lf. 6.

SEMEN. Hanfsamen.

Nux minuta, globoso-depressa, ovato-obtusa; testa subcornea ex albido-fuscescens, striis et punctis brunneis picta, bivaluis, nitidula, glabra; nucleo albido, cuticula viridescente tecto; saporis mucilagineo-oleosi dulciusculi.

‡ * CANTHARIDES.

Lytta vesicatoria Fabricii. Meloe vesicatorius L. Insectorum Ord. I. Eleuterata. Tribus VIII. Annis siccioribus per omnem Europam temperatam, mensibus Junio et Julio gregarii Fraxinum, Syringam, Ligustrum, Caprifolium, Sambucum aliasque plantas devastantes inveniuntur.

CANTHARIDES. Spanische Fliegen. Cantharidenn.

Insecta coleoptera. Corpus octo ad decem lineas longum, duas ad tres largum glabriusculum, immarginatum; capite magno exserto, ovato, thorace latiore, antennis filiformibus, distantibus nigris; thorace subcylindrico, scutello minuto; elythris smaragdinis aureis, languidis, fornicatis, longitudine

abdominis; pedibus elongatis tenuibus, cursoriis; tarsis anticis quinque-posticis quadriarticulatis. Sint integra, odoris gravis viroso-taediosi, principio caustico erodente praedita. Colliguntur Junio et Julio, necantur Aquae vaporibus vasis infarcta et siccantur leni calore loco umbroso aëri patenti cribris imposita. In pulverem solum ex tempore rediguntur, qui sit viridis, nitens, non lanuginosus; odoris memorati insignis. Servantur in vitris bene clausis.

Praep. Emplastra vesicatoria Tinctura. Unguentum irritans. —

CAPILLUS VENERIS.

Adiantum Capillus veneris L. Filix Europae ac Americae meridionalis. Cl. XXIV. Ord. Filices.

HERBA. Frauenhaar.

Stipite nigro, laevi, nitido; fronde bipinnata; pinnulis obovato-cuneatis inciso-sublobatis; laciniis fertilium soro lineari-oblongo terminatis, sterilibus, serratis; soris oblongis vel subrotundis, indusiis membranaceis, e margine ortis, interius dehiscentibus, insertis; odoris fere nullius; saporis subadstringentis, amariusculi.

Praep. Syrupus.

CARDAMOMUM MINUS.

Alpinia Cardamomum Roxb. Elettaria Cardamomum Motonii. Amomum repens Senn. Planta perennis palustris Indiae orientalis. Cl. 1. Ord. Monogyn. Slg. off. Pfl. Lf. 9. —

CARDAMOMUM MINUS. Kardamomen.

Pericarpium triquetrum, fragile, quasi papyraceum, utrinque acuminatum, striatum, ex albo luteum, longitudine trium vel sex linearum; fovens semina parva subnigra, interdum fusca; sapore intense aromatico; odore fragrante camphoraceo. Serva in vasis bene clausis.

Praep. Tinctura.

* CARDUUS BENEDICTUS.

Centaurea benedicta L. Cnicus benedictus Gaertn. Planta annua Europae calidioris, nobis hortensis. Cl. XIX. Ord. Frustranea. Hayne. VII. 34. Slg. off. Pfl. Lf. 10.

HERBA. Kardobenedicten-Kraut.

Caule erecto, subanguloso, rubicundo, ramis patentibus; folia radicalia perlonga, in petiolum decurrentia, pinnato-lobata, lobis oppositis, remotis, sinuato-dentatis; caulina sessilia subdecurrentia, basi latiora, versus apicem sinuata, emarginata, dentata, utrinque, sicuti caulis, villis albis subviscosis tecta, margine minutim spinosa, obscure viridia; odoris subunguinosi; saporis amarissimi subsalsi; calycibus duplicato-spinosis lanatis involucratis. Colligatur ante florum evolutionem mensibus Junio Julioque.

Praep. Extractum.

* CAREX ARENARIA.

Carex arenaria L. Gramen perenne in Europae locis arenosis. Cl. XXI. Ord. Triandria Hayne V. 7. Slg. off. Pfl. Lf. 9.

RADIX. Sandriedgraswurzel. Große Graswurzel.

Radix repens, praelonga, calamum scriptorium tenuiorem crassa, teres, articulata, articulis vaginis paleaceis nigro-brunneis laceratis tectis et hic fibrillas agentibus, tenax; epidermide brunnescente; cortice albo squamoso, centro flavicante, annulo carente, sublignoso; recens odoris terebinthinacei, sicca vix odora; utraque saporis mucilaginoso-farinosi dulciusculi, sub finem amariusculi. Vere colligenda.

Non cum radice Caricis hirtae, quae versus centrum annulo fusco munita est, aliarumque plantarum confundenda.

* CARICA.

Ficus Carica L. Arbor Asiae et Europae meridionalis, apud nos in hybernaculis. Cl. XXIII. Ord. Dioecia. Hayn. IX. 13. Slg. off. Pfl. Lf. 4.

CARICAE. Ficus. Feigen.

Receptacula pyriformia seu turbinata, exsiccata, mollia, compressa, carnosa, ex albo-flaventia, intus excavata pulpam tenacem, subpellucidam, parum odoram, mucilagineo-dulcem, et semina foventem copiosa, parva, flaventia; odoris repugnantis aciduli. Eligantur maiores ex Smirna allatae, repudiandae sunt durae, insectis erosae.

CARLINA.

Carlina acaulis L. Planta perennis montana Germaniae et Helvetiae. Cl. XIX. Ord. Aequalis. Slg. off. Pfl. Lf. 14.

RADIX CARLINAE s. Cardopatae. Eberwurzel.

Radix cylindrica, ramosa, crassitie digiti, rugosa, tuberculata, e tuberculis fibras agens; epidermide cinereo-fusca; substantia interna lucide flava, compactiori; medulla annulo fusco cincta radiata; recens odore ingrato fortiori; sapore resinoso acri amaro, dum recens est aromatico. Vere effodienda.

* CARVUN.

Carum Carvi L. Planta biennis pratensis Germaniae. Cl. V. Ord. Digynia. Hayn. VII. 19. Slg. off. Pfl. Lf. 14.

SEMEN. Kümmel.

Semina bina in fructum quendam parvum ovato-oblongum, striatum, coalita, iam divisa lineari-oblonga, subincurva, obscure fusca, viridula; odoris peculiaris fragrantis; saporis aromatici, subamari, acris.

Praep. Oleum destillatum.

* CARYOPHYLLATA.

Geum urbanum L. Planta perennis in sylvis et locis umbrosis crescens. Cl. XII. Ord. Polygynia. Slg. off. Pfl. Lf. 6.

RADIX. Nelkenwurzel. Benedictenwurzel.

Radix iunior mere fibrillosa, dein e rhizomate brevi oblongo calamum scriptorium crasso, inprimis ex apice, fibras copiosas, longas, attenuatas, flexuoso-intricatas, cinereo-brunneas, fragiles, medulla alba instructas agens; epidermide brunneo-rutila, longitudinaliter rugosa, squamis emarcidis; cortice albente, fibroso-lignoso, crasso; medulla violaceo-rubra, cellulosa, cellulis in sicca transversis vacuis; recens odore et sapore aromatico Caryophyllis aromaticis simili, ceterum amariusculo-austera, Chinam sapore quidquam aequans, caute siccata odore et sapore eodem etsi debiliore. Mense Aprili seu Maiio, quam primum herba progerminat, effodienda est. Servatur in vasis clausis.

* CARYOPHYLLI AROMATICI.

Caryophyllus aromaticus L. Eugenia caryophyllata Thunberg. Arbor insulis Moluccis indigena, in Africa orientali et in Indiis occidentalibus culta. Cl. XII. Ord. Monogyn. Slg. off. Pfl. Lf. 13.

CARYOPHYLLI AROMATICI. Gewürznelken.

Flores inevoluti siccati; calyces inferi, compresso-teretiusculi, obtusi; quo teretiores et crassiores, eo praestantiores; dentibus quatuor triquetris concavis terminati; ferruginei; corolla tetrapetala, globoso-imbricata, testacea. Sint sine rugis, non aridi, triti oleum exsudantes; odoris fragrantissimi suavis Diantho Caryophyllo similis; saporis aromatici, calidi acris, amaricantis. Videas, ne Caryophyllis, destillatione ab Oleo aethereo liberatis, adulterati sint, nec Cayennensibus gracilibus, acutioribus coloris fusci nigrescentis, minus aromaticis ac vilioris pretii. Serva in vasis bene clausis, pulverem in vitro obturato.

Praep. Oleum destillatum. Tinctura.

CASCARILLA.

Croton Eluteria Schwartzi. Clutia Eluteria L. Frutex Americae meridionalis, in Peru, Paraguay et Jamaica frequens. Cl. XXI. Ord. Monadelphia.

CORTEX. Kaskarillrinde.

Cortex ramorum in segmentis convolutis, duos ad quatuor pollices longis, et dimidium ac ultra latis, quadrantem lineae ad unam crassis; vel nudus tum ferrugineo-fuscus, vel epidermide albida tectus, hinc inde nodosus, per longitudinem rugis multis decurrentibus ac rimis parcis transversariis obsitus; substantia corticali ferrugineo-fusca, compacta, ponderosiore; transversim fracta resinosa, aequabili; odoris grati aromatici, accensa submoschati, saporis aromatico-acris, amari.

Praep. Extractum.

* CASSIA CINNAMOMEA.

Laurus Cassia L. Arbor Malabariae insularumque Sumatrae et Javae incola, etiam in insula Martinica culta. Cl. IX. Ord. Monogyn. Slg. off. Pfl. Lf. 5.

CORTEX CASSIAE CINNAMOMEAE, s. Cinnamomi indici, s. sinensis. Zimmt-Caßie, Gemeiner- Französischer- oder Chinesischer-Zimmt. —

Cortex interior, Cinnamomo acuto similis, Oleo vero ditior, coloris magis fusci rutilique; obvius in fasciculis pedes duos circiter longis, libram unam civ. pendentibus; compositis ex segmentis lineam quadrantem ad unam crassis, crassioribus non adhibendis, convolutis unguem dimidium et ultra latis, glabris, in fracturae loco aequabilibus pallidioribus; odoris cinnamomei, minus tamen grati; saporis ignei dulcis cinnamomei aromatici, tamen isto diuturnioris. Non cum Cassia lignea confundenda, quae mucilagine ita repleta est, ut pulvis cum Aqua bulliente infusum mucilaginem producat. Serva vasis bene

clausis. Caveas, ne inertem, mucidam vel destillatione Oleo privatam recipias.

Praep. Aquae. Oleum destillatum. Syrupus. Tinctura.

* CASTOREUM.

Castor Fiber L. Cl. I. Mammalia. Ord. Clires. In Lapponia, Sibiria, Polonia, Germania et Canada ad ripas flumineas et lacustres sylvaticas vivens.

CASTOREUM MOSCOVITICUM. Rußisches Bibergeil.

CASTOREUM CANADENSE s. anglicum. Canadisches oder englisches Biebergeil.

Secretum animale proprium, unctuosum et semifluidum in animale vivente; in folliculis recenter exscissis sordide luteum vel aurantiacum, in siccis brunnescens aut subrufum, opacum; siccatum fragile, friabile, fractura, cellulas e membrana albida constitutas, cum massa coloris dicti, aspectus et consistentiae cereo-resinosae, farctas, praebente; ingrate graveolens; saporis acris amari nauseabilis, calore ignis inflammabile Aquam destillatione suo odore imbuens. Extractum aquosum huius materiae addito Lixivio caustico Alkali volatile eructet, sed nullo modo tenorem Acidi Gallarum aut principii tannici prodat.

Optimum est sibiricum s. moscoviticum, cui etiam polonicum, borussicum et germanicum adnumeratur; canadense aut anglicum folliculis minoribus contentum, bonitate et viribus multo est inferius quam illud.

In folliculis binis propinquis, in utroque sexu genitalibus, nempe in masculo peni adiacentibus, in femella in vaginam hiantibus, altero semper minore, nascitur. Sint Ovo gallinaceo maiores, uncias duas usque tres ponderantes; rotundato-obliqui, fundo ampliori, emissoria versus attenuati, complanati; vestiti membrana lucide brunnea, non obfuscata, coriacea, crassa, tenaci, integra, solum vestigia folliculi adiposi resecti gerente; foventes cavum in-

aequali in parenchymate ex parte membranoso-celluloso, intertexto dissepimentis multis tenacibus flexuosis varie inter se coadunatis, farcto Castoreo. Asservatur in folliculis in vasis vitreis vel murrhinis bene clausis, loco frigido.

Artefactum penetranti odore et sapore privatum est, frustulosum, resinosum, aut pinguedinosum, ac cellulis membranaceis caret, sacculi absque caverna et non tam gibbosis, quam in sincero. Corruptio Castorei cum Gummi Ammoniaco, Sagapeno, Arena, Melle odore et sapore facile detegitur. Artefactum et corruptum nunquam adhibeatur.

Praep. Tincturae.

CATECHU.

Arega Catechu L. Palma Cochinchinae et Chinae incola. Mimosa Catechu L. s. Acacia Catechu Willd. aliarumque, arbor Indiae orientalis. Cl. XXI. Ord. Monadelphia, et Cl. XXIII. Ord. Monoecia. Hayn. VII. 35 et 48. Slg. off. Pfl. Lf. 10.

TERRA CATECHU. Succus iaponicus. Katechu. Japanische Erde.

Extractum aquosum nucleorum Arecae vel Mimosarum dictarum induratum; fragile, ex nigro et luteo fuscum, in fractura nitens, percursum striis pallidioribus; odoris nullius; saporis adstringentis dein subdulcis, linguae non adhaerens; in Spiritu Vini rectificato, Aceto et in Aqua fervida aeque solubile, addito Liquore Ferri saliti praecipitatum viride demittens. Adulteratur Terra argillacea punnicea, quae vero in Aceto et Spiritu Vini non solvitur.

Praep. Tinctura.

CENTAURIUM MINUS.

Gentiana Centaurium L. Chironia Centaurium Willd. Erythraea Centaurium Rich. Planta annua Germaniae, nobis indigena. Cl. V. Ord. Monog. Hayn. I. 29. Slg. off. Pfl. Lf. 6.

HERBA. Tausendgüldenkraut. Rother Aurin.

Hera florens; caulis herbaceus, erectus, superius bipartitus inque florum punicei coloris corymbum terminatus; folia ovato-lanceolata, integerrima, trinervia, sessilia, glabra, subsucculenta, laete viridia, superiora angustiora; odoris vix ullius; saporis subacris-amari. Florigera colligitur mense Julio.

Praep. Extractum.

* CERA.

Substantia vegetabilis propriae indolis, e polline florum ab Apibus melliferis L. collecta et in earum corpore quadammodo modificata.

CERA CITRINA, flava s. cruda. Gelbes Wachs.

CERA ALBA, s. depurata. Weißes Wachs.

Cera indurata, flava, tenax, fracturae granulosae; naturae oleoso-unguinosae, inter resinas et sevum mediae; ex favis Melle profluo vel expresso liberatis et addita Aqua calore colliquatis in panes orbiculares variae molis et crassitiei gignitur; odorem melleum etiamnum spirat; saporeque debili, balsamico-cereo linguam, inter masdicandum dentibus non adhaerens, afficit. Puram esse a Resina, Pice, Terebinthinaque confirmat Spiritus Vini rectificatissimus frigidus cum ea digestus nil odori solutive in se recipiens; a farinosis transitus liquatae per filtrum sine residuo pulverulento; ab immixto Sulphure pulverato accensae odor sulphurei foetoris expers. In Oleo Terebinthinae tota solvatur. —

Alba, quae ex citrina ad solem Aqua frequenter irrigata prodit, in discis tenuioribus occurrit, candida, subdiaphana, splendoris proprii debilis; odoris ac saporis parci cerei non unguinosi; durior etiam fragilior, in fractura vix conchoidea et paulo gravior est, attamen Aqua levior, ponderis specifici 0,96—0,966; puram sese approbat a Cerussa, si cum Aceto decocto nil illi inferat plumbei, a Sevo, si maculam telae sericeae inductam Spiritus Vini rectificatus

omnem deleat. In copia Spiritus Vini rectificatissimi bullientis solubilis, refrigeratione fere tota ex eo discedens, equidem ab Oleo Terebinthinae recipitur.

Praep. Ceratum simplex.

CERASI ACIDI.

Prunus Cerasus L. Cerasus acida Gaertn. Arbor in hortis colitur. Cl. XII. Ord. Monogyn. Hayn. IV. 42. Slg. off. Pfl. Lf. 5.

FRUCTUS RECENTES. Saure Kirschen.

Drupa globosa; epidermide obscure-rubra; parenchymate carnoso, turgente succo sanguineo inodoro acido-dulci subaustero; fovente putamen albescens globosum; nucleo albo striato amygdalino.

Praep. Syrupus.

✠ * CERUSSA ALBA.

Oxydum Plumbi carbonatum per Acidum acetosum Bat. Carbonas Plumbi Bav. Gall. Subcarbonas Plumbi Lond.

Plumbum carbonicum corrosione Plumbi metallici vapore Aceti paratum.

CERUSSA ALBA. Cerussa in lamellis. Bleyweis. Schieferweis.

Sit nivea, valde ponderosa; venalis vel in conis obtusis (veneta, hollandica) fracturae minutim granulosae porosae impolitae, vel in laminis sonoribus, texturae compactioris, fracturae lamellosae obvia; facile pulverisanda. Omnis odorem edat subacidulum et saporem subdulcem os siccantem nauseosum. In Aqua vix solvatur, carbonibus imposita igne tubuli feruminatorii tota in Plumbum, sine scoria terrea, reducatur. In Acido Nitri facile sub effervescentia insigni tota solvatur; solutio cum Spiritu Salis ammoniaci caustico a Plumbo oxydato liberata, neutra, instillato Liquore Kali oxalici, Calcem non designat; tum a Creta, Gypso libera censenda. Nec Plumbum

muriaticum nec sulphuricum contineat, itaque decoctum Cerussae in Aqua destillata, filtratum, affusa Liquore Argenti nitrici, praecipitato, Aqua vel Acido Nitri irresolubile, careat.

Praep. Emplastrum album coctum. Unguentum album.

CHAEREFOLIUM.

Scandix Cerefolium L. Chaerophyllum sativum Roth. et Spreng. Planta annua Europae meridionalis, nobis hortensis. Cl. V. Ord. Digyn. Hayn. VII. 14.

HERBA RECENS. Körbel.

Caulis erectus, glaber, ramosus, striatus; folia patentia, bipinnata, incisa, radicalia et inferiora caulina tripinnata et longius petiolata; omnia pallida, tenera; recentia odore grato balsamico-aromatico, praecipue trita; sapore pari dulci. Involucrum nullum, involucrum partiale di-vel triphyllum, foliolis lanceolatis, revolutis, pilosis; fructus conicus, ecostatus, evittatus, glaber, raphe sulcatus. Carpantur folia ante florescentiam.

Chaerefolio nonnunquam incaute iuncta invenitur, promiscue in hortis crescens, Aethusa Cynapium L.; haec noxia et vomitum ac tormina ciens, discrepat odore suballiaceo; ultimis foliorum pinnulis nitidioribus, elongatis acutis, pendulis; involucro partiali triphyllo longo, dimidiato seu ad latus extimum reiecto; fructibus subglobosis costato-sulcatis.

CHAMOMILLA ROMANA.

Anthemis nobilis L. Planta perennis Europae meridionalis, nobis hortensis. Cl. XIX. Ord. Superflua. Slg. off. Pfl. Lf. 10.

FLORES. Römische Kamille.

Flores pedunculati compositi radiati; calyce communi haemisphaerico, minutim lanuginoso, sulcato, imbricato, squamis linearibus adpressis; flosculis disci lutei infundibiliformibus, ore crenatis, grate fragrantibus; sapore aromatico calidiusculo amare-

scenti; flosculis radii numerosis albis ligulatis linearibus obtusis, crena duplici emarginatis, patentibus brevibus; odore herbaceo; fere insipidis. Recens evoluti colligendi. —

* CHAMOMILLA VULGARIS.

Matricaria chamomilla L. Planta annua ubique in cultis crescens. Cl. XIX. Ord. Superflua. Hayn. 1. 3. Slg. off. Pfl. Lf. 10.

FLORES. Kamillen.

Flores terminales pedunculati, compositi radiati; calyce communi arcte imbricato, squamulis calycinis margine membranaceo-albis aequalibus; receptaculo conico, nudo, cavo; flosculis disci luteis infundibiliformibus, grate fragrantibus; saporis aromatici amari; flosculis radii albis reflexis inodoris; insipidis. Colligantur mense Junio recens evoluti.

Flores hi ab Anthemidis arvensis inodoris Anthemidisque Cotulae foetidis floribus sollicite distinguendi sunt, et quidem tum odore, tum paleis setaceis in Anthemidum receptaculo reperiundis.

Praep. Aqua destillata. Extractum. Oleum destillatum. Oleum coctum. Syrupus.

CHELIDONIUM MAIUS.

Chelidonium maius L. Planta perennis in locis ruderatis, umbrosis et ad sepes frequens. Cl. XIII. Ord. Monogyn. Hayn. IV. 6. Slg. off. Pfl. Lf. 3.

HERBA RECENS. Großes Schöllkraut.

RADIX. Schöllkraut-Wurzel.

Herba subflorida caulibus erectis hirsutilis, superne dichotomis; ramis divaricatis. Folia magna tenuia, pinnata, foliolis subpetiolatis, ovatis, sinuato-lobatis, superne glabris ex flavo viridibus, subtus pubescentibus, petiolo villoso. Tota herba recens graveolens, succo croceo lactescente ex amaro acri turget, sicca inodora ingrate amarescit. Colligenda florescens.

Radix cylindrica, fibrosa, pollicem crassa; epidermide ex rufo fusca; intus lutea; succo croceo acri turgida; odoris ingrati gravisque; saporis amari acris. Effodienda mense Aprili.

Praep. Extractum.

* CHINA FUSCA.

Cinchona Condaminea Humb. et Bonpland. C. officinalis Vahl; et Cinchona scrobiculata Humb. et Bonp. C. purpurea Ruiz et Pavon. Arbores Americae meridionalis, praesertim regionis Loxae in provincia Quito. Cl. V. Ord. Monogyn. Hayn. VII. 37. Slg. off. Pfl. Lf. 8.

CORTEX CHINAE FUSCAE, peruvianus fuscus, s. officinalis. Braune Chinarinde. Peruvianische Fieberrinde.

China fusca optima, China de Loxa, China coronae. Affertur in segmentis pollices duos vel sex longis, lineam ad digitum minimum latis, lineam dimidiam vel unam crassis, marginibus convolutis; duriusculis; epidermide e cinereo-fusca, nigrescente, scabra, rugosa, transversim fissa ac sulcata, fissuris parallelis, profundis tecta; saepe lichenibus vestita, quorum species tres imprimis distinguuntur, prima formam cuticulae albae pulverulentae, secunda lobos foliaceos, superne albos inferne nigrescentes facile detractiles, tertia fibras teretes flavente-albas, longas, ramosas, capillares referens. Segmenta tenuiora transversim fracta, fracturam aequabilem, granulosam compactam, adultiora parem subfibrosam, fibrosioremque, si liber albidus adest, praebent. Cortex ipse sit ferrugineo-fuscus, in fractura versus epidermidem annulum intensius tinctum praebens; latere interno subferrugineus colorisve cinnamomei; odoris debilioris aromatici, submucidi proprii, ast non corrupti; saporis ex amaro austeri; pulveratus coloris fusci.

Infusum cum Aqua destillata bulliente paratum dein refrigeratum ac filtratum, laete aureum, per-

spicuum, vix turbidum, a decocto Collae piscium albidum perfloccosum fit, paulo minus instillata Tinctura Gallarum; affuso Liquore Tartari emetici colore gryseo-albo valde turbatur et cum Liquore Vitrioli Martis oxydati mixtum, primum coerulescit, affusione ulteriore Liquoris glaucum fit, denique obscure prasinum, nigrescens et turbidum evadit, praecipitatum coloris paris deponens. Decoctum aquosum fervidum rubello-fuscum, refrigeratum rutilo- flavum, valde lactescens, Chartam exploratoriam coeruleam colore rubello tingens.

Cortex Chinae gryseae, a Cinchona scrobiculata Humb. et Bonp. ut dicunt, originem ducens, etiam China de Lima optima appellatus, antecedenti similis, sed discrepans segmentis pollices sex ad decem longis, strictis; epidermide tenuiore subcoerulescenti-grysea, rugulis longitudinalibus ac fissuris transversis minutis alternis percursa, saepe lichene albo pulverulento vestita, nunquam autem cum foliaceo ac filoso, Chinae de Loxa propriis, superficie lateris interni ferruginea; fractura transversali coloris clarioris, valde aequabili, annulo tamen obscuriore resinoso praedita; infuso aquoso pallidiore, reagentibus tentato phaenomena fere similia uti China de Loxa praebente; decocto ferrugineo-flavo, pallidiore, minus acidulo, amariore.

Corticis bonae notae infusum aquosum nunquam signis chemicis essentialibus supra indicatis careat. Pulveratum venalem, anglicum dictum, non emas.

Cortex Chinae Huanoco, Huamalies minor, et Ten China seu Teen China Anglorum, incertae et variantes species corticis Chinae, a mercatoribus sic dictae, vel non satis cognitae vel parum efficaces sunt. Species Chinae fuscae falsae, cortici genuino forma et dimensione similis, signis sequentibus facile recognoscitur et, si adest, reiiciatur:

Epidermide cinerea, vel, praecipue in segmentis tenuioribus, e cinereo rutila, striis ac rugis decurrentibus aspera, interdum transversim fissuris angustioribus cicatrisata; cortice, epidermide privato, glabro nitente, coloris sanguineo-brunnei, ad latus internum et in fractura transversali aequa-

bili, dilutioris; sapore acidulo-amaricante styptico fatuo, cortici genuino alieno; infuso aquoso rubicundo, claro, a Liquore Tartari emetici vel Tinctura Gallarum vix mutabili.

Praep. Elixir roborans. Extracta. Tinctura.

* CHINA REGIA.

Cinchona lancifolia Mutisii. Cinchona angustifolia seu officinalis Ruiz., (Quinologiae supp.) Cinchona nitida Ruiz et Pavon. (Flora peruana.) Cinchona Condaminea var. β lanceolata Lambert. Arbor Americae meridionalis, praesertim regionis la Paz-in provinzia Peru, Cl. V. Ord. Monogyn. Hayn. VII. 38.

CORTEX CHINAE REGIAE, s. peruvianus regius. Cortex Chinae calissaya mercatorum. Königs-Chinarinde. China Calißaya.

Cortex ramorum crassiorum et trunci Cinchonae indicatae. Seu semi-canaliculata, seu a duobus lateribus convoluta; dimidium vel ultra pedem longa; dimidium pollicem ad duos lata; unam ad tres lineas crassa (crassior reiicienda); vel epidermide praedita, tum si cuticula et crusta Opegraphorum obtegatur, cinerascens, valde rugosa, in longitudinem et transversim fissa ac sulcata et inde reticulata fissurarum margine prominente; vel epidermide privata, tum coloris cinnamomei rutili, laevis compacta, hic illuc nodis protuberantibus et transversim ac in longitudinem sulculis tenuioribus notata. Superficie interna lineata, coloris cinnamomei; tranversim fracta, stratum externum tenue, coloris castanei, et internum crassius, coloris cinnamomeo-rubelli praebet, intermixtis vasorum fasciculis, setosis, minutis, pallidioribus; longitudinaliter fissa, oculo armato punctis et aciculis crystallinis, splendidis obsita adparens. Pulverata e flavo rubella; odoris proprii balsamici.

Infusum aquosum filtratum vix flavescens; saporis aciduli, peramari, subausteri; a decocto Collae piscium et Tinctura Gallarum turbidum fit, addito Liquore Tartari emetici valde lactescit, et cum Liquore

Vitrioli Martis oxydati mixtum, primum e gryseo coerulescit ac turbatur, ulteriore instillatione Liquoris olivaceum viride evadit et clarum intense prasinum redditur, denique aliquo tempore elapso, iterum turbatur, praecipitatum sordide viride deponens. Decoctum refrigeratum magis flavescens, tamen rubellum. Videatur, ne China regia cum flava commutetur aut commisceatur.

China regia integra fraudulenter, ut dicunt, per macerationem in Aqua acidula Chinino suo partim privata et cortice bonae notae venali intermixta, facile distinguenda, si fricando cum panno a pulvere privetur, colore obscuriore brunneo, sapore minus amaro, subsalso, decocto debiliore.

Praep. Chininum sulphuricum. Syrupus. Tinctura.

China flava, carthagenensis a mercatoribus appellata, cortex a ramis et trunco Portlandiae hexandrae Linn. filii. Coutareae speciosae Aublet. Cl. V. Ord. Monog. Gelbe- oder Carthagena-Chinarinde.

Adfertur in segmentis rarius convolutis, plerumque planioribus, saepius retroflexis; tres ad sex pollices longis, partem octavam usque dimidiam pollicis crassis, dimidium ad unum pollicem latis; epidermide sordideferruginea, subochracea tenui, huc et illuc cuticula albida tecta, longitudinaliter sulcata ac rugosa, partim laevi sub-suberosa, tuberculis oblongis obsita; epidermide itinere rasa, cortice coloris e fusco-flaventis etiam in latere interno, quod strigosum et filoso-lignosum apparet; stratum externum corticis, fractura transversali intensius tinctum, subgranosum, internum pallidius, sine ullo splendore crystallino, aeque ac perraro in fissura longitudinali. Pulveratus cortex sordide ferrugineus; odoris debilis mucidi. Infusum aquosum vix flavescens, saporis amaricantis, subadstringentis mucidi debilioris, a decocto Collae piscium vix fere turbatur; Tinctura Gallarum affusa floccos flavente-albos ex eo secernit, addita Liquore Tartari emetici paululum turbatur; a Liquore Vitrioli Martis oxydati e flavo virescit, mox colorem sordidum induit, et pro momento pellucida remanet, denique praecipitatum parcum deponit.

CHINA RUBRA.

Cinchona oblongifolia Mut. Humb. et Bonp. Cinchona grandifolia Poiretii. Arbor Americae meridionalis in Andibus crescens. Cl. V. Ord. Monog. Hayn. VII. 41. Slg. off. Pfl. Lf. 8.

CORTEX CHINAE RUBRAE, s. PERUVIANUS RUBER. Rothe Chinarinde. Rothe peruvianische Rinde.

Cortex trunci et ramorum, venalis apud nos in frustis pro modo collectionis et vetustatis diversis, mox semi-canaliculatis mox planioribus, a pollicibus quatuor ad pedem dimidium vel unum longis, unum ad duos pollices latis, qui quatuor linearum crassitudinem non excedunt. Superficie externa, ratione incrementi ac explicationis epidermidis, equidem rasurae in itinere consecutae, aspectus varii, vel cuticula gryseo-alba tecta, rugis et verrucis continuis decurrentibus lacerata, transversim rimis profundis parcis circumscissa, vel cuticula itinere ablata, epidermidem castaneam praebente; latere interno flavescens-fuscus, rubicundus, tenuiter lineatus, fibrosus, tamen densus. Cortex ipse refert strata duo in iuniore luculentius divisa, externum castaneum, compactum, discissum resinose splendens, internum fibroso-lignosum, coloris cinnamomeo- et aurantiaco-rubelli; in longitudinem fissus ac luci admotus, cumulate punctis crystallinis albidis micans. Pulveratus ex aurantiaco et bruneo-ruber; odoris proprii subaromatici submucidi. —

Infusum aquosum filtratum flavum rubicundum (seu coloris Vini vetustioris albi;) saporis amaricantis, austerioris, quo speciebus antecedentibus excellit; a decocto Collae piscium vix turbatur; cum Tinctura Gallarum mixtum floccos copiosos carnei coloris edit, aeque ac parciores, si Liquor Tartari emetici additur; affuso Liquore Vitrioli Martis oxydati, primum viride-flavens fit, dein colorem drupae Oleae europaeae induit et vix turbatur. Decoctum fervidum pellucidum e fusco-rubrum, refrigeratum valde turbidum, aurantiaco-rubellum, lactescens apparet et sedimentum lateritii coloris deponit.

Cave, ne a mercatoribus Chinam regiam seu flavam, artifice rubore tinctas, pro China rubra accipias. Tincta et colore laetiore, rubore in fractura carente ac indole infusi aquosi variante recognoscenda.

China nova seu surinamensis ab Exostema angustifolio Roemer et Schultes, Cinchona angustifolia Schwartz; arbusto? surinamensi, iamaicensi, originem ducens; Cl. V. Ord. Monogyn. Hayn. VII. 46; Neue- oder Surinamische-Chinarinde; interdum Chinae rubrae intermixta reperitur et sedulo eligenda ac reiicienda est. Refert segmenta ad pedem longa, recta, canaliculata, patentia, pollicem et ultra lata lineam dimidiam ad duas crassa, rarius crassior; tecta epidermide cinereo-albida, rutila, huc illuc nigricante, tenui sublaevi, interdum in longitudinem minute venoso-rugosa vel transversim parce ac tenuiter fissa, etiam lichenibus albis pulverulentis vestita; latere interno e rubro-ferrugineo; cortex ipse est fibroso-lignosus compactus, facile in longitudinem frangendus, coloris carnei, atmosphaerae attactu e fusco rubelli; facilis pulveratu; odoris fatui, Angusturae verae propinqui; saporis paris amari nauseosi. Infusum aquosum e rubro fuscum obscurum, Tincturae Rhei aquosae simile, cum decocto Collae piscium permixtum floccos rutilos emittit, addito Liquore Ferri saliti intense glaucum fit, ac praecipitatum obscurius deponit, a Tinctura Gallarum et Liquore Tartari emetici non mutatur. —

Ceterae Chinae spuriae species, uti Caribaea et de St. Lucia facile ob amaritiem insignem, nauseam moventem, ac forma dignoscuntur. —

CICHORIUM.

Cichorium Intybus L. Planta biennis ad margines agrorum et viarum, etiam culta. Cl. XIX. Ord. Aequalis. Hayn. II. 24. Slg. off. Pfl. Lf. 7.

RADIX. Gemeine Cichorie. Wilde Wegwarten.

Radix ramosa, circiter pollicem crassa et pedem longa; epidermide spadiceo-fusca; cortice carnoso albo, in recenti lactescente; substantia interna duriuscula, striato-radiata, pariter lactescente; medulla orbiculata; inodora; saporis intense amari. Effodiatur primo vere aut Septembri. —

† * CICUTA.

Conium maculatum L. Planta biennis umbellata in ruderatis, fimetis et ad pagos Cl. V. Ord. Digyn. Hayn. I. 31. Slg. off. Pfl. Lf. 4.

Caulis erectus, teres, fistulosus, sursum ramosissimus, glaber, nitidus, leviter striatus, maculis fuscis, rubris et atropurpureis obsitus; umbella plana; involucrum universale polyphyllum reflexum; involucella dimidiata, tri- vel tetraphylla; flores albi; fructus ovati, lineam unam et dimidiam longi, seminibus duobus convexis, quorum utrum costis quinque obtusis, immaturis crenulatis, notatum est, valleculis planis; radice fusiformi albida.

HERBA. Schierling.

Folia inferiora magna petiolata; petiolis una cum ramis maculatis uti caulis, glabris; tripinnata, foliolis ovato-oblongis, acutis, profunde pinnatifidis, laciniis inciso-serratis, serraturis acutis, interdum subobtusis; folia in caule superiora minus composita, in vaginis angustatis, margine membranaceis, sessilia; plane viridia, subtus pallidiora, glabra; trita odoris murini seu Cantharidibus similis; saporis nauseosi et subdulcis. Colligenda est Cicuta altero anno, ante florum expansionem, ex locis siccioribus, herba probe siccata in vasis bene clausis servanda; in hortis culta plerumque ferme haud efficax est. PLANTA NARCOTICA.

Signis dictis a plantis similibus dignoscenda, quae variis partibus ab ea differunt; scilicet CHAEROPHYLLUM BULBOSUM L. caule, etsi rubro-maculato, tamen articulis inferioribus piloso-scabris, omnibus prope genicula turgidis, foliorum pinnulis tenuissime divisis, costa hirsuta; CHAEROPHYLLUM SYLVESTRE L. caule maculis carente, sulcato, infra piloso, vaginis striatis intus margine villosis; CHAEROPHYLLUM TEMULUM L. caule hirto, scabro, geniculis tumidis, foliis hirsutis; omnes hae plantae involucellis polyphyllis; AETHUSA CYNAPIUM L. caule immaculato, quasi pruina violacea obducto, foliolis obscuro-viridibus, inciso-linearibus acutis, pendulis, subtus nitidissimis; CICUTA VIROSA L. SLG. OFF. PFL. LF. 12, in aquis crescens, radice crassa, verticillata, fibris obsita, cava, locularis dissepimentis farctis, una cum caulis articulis imis radicantibus, incisura succo luteo redundante; foliis etsi tripinnatis, tamen foliolis terminalibus profunde trilobis, involucello polyphyllo; omnibus odore diversis.

PRAEP. Extractum. Emplastrum.

* CINA.

Artemisia Santonica L. Art. Contra L.? Fruticuli in Tartaria, Persia et Syria frequentes. Cl. XIX. Ord. Superflua.

SEMEN CINAE v. Contra s. Santonici. Levantischer Wurm- oder Zittwer-Saamen.

Anthodia pro semine simplici male habita. Capitula subaggregata, calycibus nondum expansis parvis, laevibus viridulis, imbricatis, squamis ovatis obtusis concavis; oblonga aut oblongo-ovata; mixta squamis calycinis, pedunculis parvis tenuibus, una cum frustis ramulorum subtomentosis glaucis, foliisque subulatis obtusis, undique compressis carinatis; seminibus parvis oblongis flaviusculo-virentibus vel canescentibus glabris; odoris penetrantis nauseosi, Zedoariae radicis non dissimilis; saporis nauseosi amari subacris. Serva in vasis bene clausis.

Semen Cinae Barbaricum (ab Art. glomerata Sieberi productum?) e fragminibus minutis pedunculorum et petiolorum ac flosculis minimis effoetis constans, interdum a mercatoribus Spiritus Salis Ammoniaci caustici aspersione viride tinctum, dein siccatum, et quod de Artemisia palmata Lamarck. in Gallia meridionali carpitur, non adhibendum est.

CINERES CLAVELLATI.

Kali carbonicum crudum Bor. Carbonas Potassae venale Bat. Subcarbonas Potassae crudus Bav. Gall. Lond. Kali subcarbonicum crudum Hann. Alkali vegetabile aeratum crudum.

Sal lixiviosum e cineribus lignorum per elixationem, inspissationem et subsequentem ustulationem paratum. Ex America septentrionali, Russia, Borussia, Polonia et Germania, praesertim ex Franconia et Suevia nobis adfertur.

CINERES CLAVELLATI. Pottasche. Rohes vegetabilisches Laugensalz. Rohes kohlensäuerliches Kali.

Cineres clavellati in glebis variae molis, informibus, coloris albidi, incani et incano-caerulei occu-

runt; attactu aëris facile humescentes et deliquescentes; saporis amari, urinosi, fervidi; eo puriores sunt, quo facilius in eodem aquae pondere solvuntur. Solutio diluta et cum Acido Nitri permixta, Gas carbonicum (Aërem fixum), neutiquam vero Gas sulphuratum (Aërem hepaticum) edat et saturata quanquam opalescat, tamen praecipitatum copiosius ne emittat, affusa dein Aqua hydrosulphurata, Acido Aceti acidula, metalla obnoxia ne prodat. Serva loco sicco, in vasis vitreis vel murrhinis, bene clausis.

Praep. Cineres clavellati depurati. Lapis causticus. Lixivium causticum vegetabile. Liquor Cinerum clavellatorum.

CINNAMOMUM ACUTUM.

Laurus Cinnamomum L. Arbor Indiae orientalis, imprimis insulae Ceylonae. Cl. IX. Ord. Monogyn.

CORTEX CINNAMOMI ACUTI s. Ceylanici. Feiner Zimmt. Holländischer Zimmt. Ceylan-Zimmt.

Cortex interior (liber) ramis triennibus, ad summum quadriennibus detractus et ab exteriore liberatus, in tubulos, ita ut minora segmenta maioribus includantur, convolutus et sole siccatus. Venalis in tubis cylindricis occurrit, longitudine pedem unum vel duos, latitudine duos pollicis trientes non superantibus. Superficies tubulorum exteriorum e flavo et rubicundo vix brunnescat, percursa hinc inde brevibus rubiginosis venularum rudimentis; tubulorum interiorum, a prioribus dum siccantur, compressorum superficies, inde aspera et impressa; latus internum parum fibrosum, subasperum. Crassitudo libri sextam lineae partem vix excedat, inde etiam a cortice Cassiae cinnamomeae dignoscendus. Sit levis, substantiae compactae, nonnihil flexilis, fracturae non nimis inaequalis, pallidioris; odoris gratissime fragrantis, refocillantis; saporis primum saccharini, deinde valde aromatici, calidi, tandem subacris, cum levi adstrictione; infuso aquoso cum liquore Vitrioli Martis mixto nigrescente. Inter species venales, pro

aetate ramorum et pro solo, diversas, subtilem, mediam, et rudem, primam solum, de iunioribus ramulis provenientem, utpote Oleo aethereo insigniori praeditam, emas. Rudior species, fractura fibrosiore, et intermixtus interdum Cortex Culilawan sapore Nucis moschatae cum caryophylleo coniuncto recognoscitur. Serva in vasis bene clausis, pulverem in vitro obturato.

Praep. Oleum destillatum. Tinctura.

CITRUS.

Citrus medica L. Citrus acida Roxb. Arbor in Media et Persia spontanea, in Europa australi culta, apud nos in hibernaculis. Cl. XVIII. Ord. Icosandria. Slg. off. Pfl. Lf. 1.

POMA CITRI. Citronen.

CORTEX CITRI. Citronenschalen.

OLEUM DE CEDRO. Cedro-Oel.

Fructus baccatus, maturus recens, oblongus vel ovato-acuminatus, pollices duos vel tres longus crassusque, apice umbilicatus, basi obtusior; epidermide lucide-flava, punctata, glabra, amaricante aromatica, referta vasis utriculosis, Oleum aethereum suaveolens continentibus, copiosissimis; substantia corticali alba, fungoso-coriacea, inodora et vix sapida, tenuiore in fructu melioris notae, firmiter complectens parenchyma flavescens, novemloculare, vesiculosum, quod in vesiculis, praeter semina albida oblonga, lubrica, amara, continet succum grate acidum, recens expressum turbidum, quiete defaecatum Vini albi coloris.

Cortices exsiccati in frustis vel ex ovato acuminatis vel spiralibus venduntur; epidermide minus fragrante sed amariore, a substantia corticali alba, crassiore, recidendo mundanda.

Oleum aethereum e corticibus recentibus fructus maturi, varietatis cuiusdam Citri medicae, in Gallia expressione obtentum. Sit stramineo-albidum, lucidum,

tenue; ponderis specifici 0,85—0,845; fragrans, saporis grati non urentis, uti in Oleo vetustate corrupto.

Praep. Succus. Syrupus.

COCCIONELLA.

Coccus Cacti coccinelliferi L. et Fabr. Insectorum Ord. X. Rhyngota. Tribus III. Insectum, Cactum coccinelliferum et Tunam L. plantas Americae meridionalis, inprimis regni Mexicani, inhabitans.

COCCIONELLA. Cochenille.

Insecta parva, succo infectorio purpureo ditissima; fumo suffocata et solis calore siccata. Grana referunt atro-purpurea vel, pulvere albido (Talco) adspersa, grisea, striis transversis rugosa, in pulverem trita laete-coccinea; odoris, inprimis pulverata, mucidi et animalis proprii; saporis paris instar casei vetustioris aciduli; Spiritum Vini rectificatissimum colore coccineo tingentia.

COCHLEARIA.

Cochlearia officinalis L. Planta annua, in aggeribus collibusque maritimis Europae borealis spontanea, apud nos in hortis culta et biennis. Cl. XV. Ord. Siliculosae. Hayn. V. 28. Slg. off. Pfl. Lf. 3.

HERBA RECENS. Löffelkraut.

Herba florens succulenta; principio acri volatili praedita; flores in corymbo terminali, calyce tetraphyllo, corolla tetrapetala, alba, petalis ovatis, calyce duplo longioribus; folia nitide viridia, radicalia crassiuscula longius petiolata, cordata, obtusa, rotundata, subconcava, caulina ovato oblonga, subsinuata, dentata, sessilia; odoris subacris, Nasturtio similis; saporis acris, subamari, una cum odore exsiccatione evanescentis. Adhibetur florescens mense Maio.

Praep. Spiritus.

COERULEUM BEROLINENSE.

Ferrum zooticum. Cyanuretum Ferri Gall. Ferrum oxydulatum et oxydatum hydrocyanicum. Ferrum sidero-zooticum. Siderocyanas Ferri.

Simul cum Sale Ammoniaco in fabricis Germaniae paratur.

COERULEUM BEROLINENSE. Berlinerblau.

Purum sub nomine Coeruleum Parisiense (Pariser-blau) venale, cum terra Aluminis permixtum: Coeruleum Berolinense vocatur; sit coloris Indici, compactum, leve, fragile, in fracturae loco languidi coloris, triturae cupreae nitentis; saporis nullius. Purum facile in pulverem redigendum in aqua et acidis dilutis insolubile, Coeruleum Berolinense solum respectu terrae Aluminis partim in acidis solvitur et sic exploratur, ac depuratur. A Lixivio caustico plane decomponatur, Ferro oxydato remanente.

Praep. Kali ferreo-borussicum. Mercurius hydrocyanicus.

COLCHICUM.

Colchicum autumnale L. Planta perennis in pratis humidiusculis frequens. Cl. VI. Ord. Trigynia. Hayn. V. 45. Slg. off. Pfl. Lf. 2.

RADIX RECENS. Zeitlosen-Wurzel.

Radix bulbosa, ovato-rotunda, solida, carnosa, una parte plana, cum levi scapi impressione; extus tunica fusca, coriacea, intus tenui ochracea vestita; substantia alba, concisa, odoris nauseosi, saporis sub-amari, acris. Colligenda mense Julio et Augusto, bulbo spurio adhaerente reiecto.

Praep. Acetum. Oxymel.

* COLLA PISCIUM.

Acipenser Sturio. A. stellatus. A. Ruthenus, et A. Huso. Pisces maris Caspici, fluminis Wolgae etc. Cl. IV. Ord. Branchiostegi.

COLLA PISCIUM. Ichthyocolla. Hausenblase.

Vesiculae natatoriae tunica interna, ab externa liberata et siccata; exhibet frusta contorta lyriformia, stramineo-albida, corneo-diaphana, sicca, dura,

tenacia, levia, membranoso- et celluloso-lamellosa, inodora, vel laminas magnas proprietate pari praeditas; saporis gelatinosi, fatui. In aqua coquendo fere omnis solvatur, solutione clara, quae, ex parte una eius et viginti quatuor partibus aquae constans, refrigerata, gelatinam spissam praebet et diluta modo floccos paucos demittat; in Spiritu Vini calefacto maxima ex parte solvatur.

Ex aliis piscibus v. g. Siluro Glanide, Gado Morrhua, quorum non solum vesicae, sed etiam aliae partes, nimirum pinnae, spinae atque viscera coquuntur, parata, flavens fusca, haud pellucida, subrancida ne adhibeatur.

Praep. Emplastrum adhaesivum Woodst. Decoctum.

‡ COLOCYNTHIS.

Cucumis Colocynthis L. Planta annua in Africa spontanea, in Hispania et Graeciae insulis culta. Cl. XXI. Ord. Syngenesia. Slg. off. Pfl. Lf. 12.

POMA. Fructus. Coloquinten.

Pepo, magnitudinis ac figurae pomi minoris; corticis lutei, testacei parte residua tectus; parenchymate flavente-albo, fungoso, celluloso, levissimo, sicco; saporis peramari, mucilaginosi, nauseabundi; seminibus in loculamentis numerosis, sordide-luteis, ovato-oblongis, compressis. Semina exime. In pulverem redigitur instar Agarici praeparati.

Praep. Extractum. Tinctura.

* COLOPHONIUM.

Pinus sylvestris L. et P. Abies L. Arbores Europae borealis ac temperatae. Cl. XXI. Ord. Monadelphia. Slg. off. Pfl. Lf. 2 et 4.

COLOPHONIUM. Resina Pini fusa Bav. Geigenharz.

Resina diaphana, e destillatione Olei Terebinthinae in fabricis residua, flavescens, Colophonium optimum praebet; quae e Resina Pini liquatione diuturna, donec odorem terebinthinaceum maxima ex parte perdiderit, prostat, coloris obscuro-fusci, Colophonium commune vocatur; sit arida, fragilis,

fracturae conchoideae nitentis, terendo facile in pulverem ex albo flavescentem convertenda; prunis iniecta odoris non picei, sed terebinthinacei, vel resinae Pini; saporis paris debilis; in Spiritu Vini plane solubilis.

* COLUMBO.

Cocculus palmatus Decand. Menispermum palmatum Lamarck. Frutex scandens, sarmentosa littorum orientalium Africae, Mosambique. Cl. XXII. Ord. Dodecandria. Hayne IX. 48. Slg. off. Pfl. Lf. 8.

RADIX. Columbowurzel.

Radix integra fusiformis; maxime frusta transversim vel in longitudinem discissa, inde discos, pollicem unum vel tres latos, lineas duas tresve crassos, vel segmenta oblonga repraesentans; epidermide fusco-lutescente, rugosa; cortice aureo-flava, unam vel duas lineas crassa, per lineam fuscam, flexuoso-undulatam, separata a substantia interna sordide ac pallide-flava, quae striis excentricis, subfuscis ac punctis, praecipue in radice humefacta conspicuis, notata, compacta, linea pari, etsi minus insigni a medulla spongiosiore distincta est; odoris debilis balsamici; saporis valde amari, mucilaginosi, in cortice insignioris. Tinctura spirituosa peramara, chartam aureo colore imbuens; addita Tinctura Gallarum praecipitatum sordide flavum edit; a Liquore Ferri saliti vix turbatur, solummodo coloris intensioris fit, neutiquam viridis. Decoctum laete-brunneum et subturbidum, mucilaginosum, peramarum.

Radix Columbo spuria, ex America, sub nomine verae fraudulenter in Europam migrata, transversim ac in longitudinem discissa occurrit uti vera; tamen facile ab ea distinguitur: epidermide transversim striata et sulcata, undulata, griseo-fusca; substantia interna livide-albida, linea nigrescente orbiculari experte; sapore subdulci, amariusculo, subnauseoso; odore Levistici appropinquante. Tinctura subamaricans, coloris obscure vinacei, a Tinctura Gallarum non

mutatur, additis liquoris Ferri saliti guttulis obscure-virescit; decoctum, coloris tincturae, pellucidum, vix mucilaginosum, saporis amaricantis. Pulvis aqua bullienti infusus, in gelatinam convertitur.

Praep. Extractum. Tinctura.

CONCHAE MARINAE.

Ostrea edulis L. In Oceano reperitur. Cl. VI. Ord. Testacea. Fam. Conchae.

CONCHAE MARINAE PRAEPARATAE. Präparirte Austerschalen.

Testae bivalves auritae, semiorbiculares, plures pollices latae ac longae, albidae. Aquae lotione ab omni sorde depurandae, ac pulveratae, coquendo in aqua, a gelatina liberandae.

Praep. Conchae ustae.

* CORIANDRUM.

Coriandrum sativum L. Planta annua Europae meridionalis, nobis culta. Cl. V. Ord. Digyn. Hayn. VII. 13. Slg. off. Pfl. Lf. 8.

SEMEN. Koriander.

Fructus parvuli, coloris cerini vel obfuscati, globosi, costis decem aequalibus rectis, valleculisque decem cum lineis convexo-runcinatis notati, et e seminibus duobus constantes, quorum commissurae excavatae vittas duas lunulatas praebent; saporis et odoris aromatici non ingrati.

* CORNU CERVI.

Cervus Elaphus L. Pecus Europae. Cl. I. Ord. Bisulca.

CORNU CERVI. Hirschhorn.

Cornu solidum, ramosum, rotundum; extus cinereum vel e fusco nigrum, scabro-rugosum, tuberculatum, intus albidum; partim compactum, partim medio cellulosum; mediae inter corneam osseamque structurae.

Praep. Decoctum album.

* CRETA ALBA.

Carbonas Calcis nativum Bat. Subcarbonas Calcariae cretaceus Bav. Sub-carbonas Calcis Gall.

CRETA ALBA. Weiße Kreide.

Terra calcarea Acido carbonico (Aëre fixo) praegnans. Sit albissima, sicca, depingens, friabilis, levis, non arenosa, aquam bibens, in Acido Nitri frigido facile solvenda; ponderis specifici 2,70; saporis terrei, os siccantis proprii; odoris terrei, mucidi. In pulverem convertenda.

* CROCUS.

Crocus sativus α L. quae varietas autumnalis Hoffmanno dicitur. Planta perennis Orientis et Europae meridionalis, in iisdem regionibus culta. Cl. III. Ord. Monog. Hayn. VI. 25. Slg. off. Pfl. Lf. 2.

CROCUS. Safran.

Stigmata membranacea, profunde-trifida, laciniis linearibus, margine involutis, apice crenato-dentatis, basin versus attenuatis, pollicaria, e floribus resecta et cito siccata; tum coacervata contorta, subtenacia; coloris saturate luteo-rubri in basi flavescentis; fricta digitis et masticata salivae colorem aureo-rubicundum communicantia; odoris gravis fragrantis, subnarcotici proprii; saporis balsamici, amaricantis, subacris; principio tinctorio aureo-rubicundo, in Spiritu Vini et aqua aeque solubili, ditissima. Orientali recte Austriacus vel Gallicus substituatur. Pulveratum ne emas. Vesica probe inclusus in vase murrhino vesica tecto asservetur.

Cavendum, ne Carthami tinctorii flosculis, colore dilutiore in basi non flavescente diversis, apice quinquefidis, vel Calendulae officinalis flosculis flavis adulteratus sit.

Praep. Tinctura.

CUBEBAE.

Piper Cubeba L. Piper caudatum Bergii. Frutex Indiae orientalis, praecipue Iavae. Cl. II. Ord. Trigyn. Slg. off. Pfl. Lf. 12.

CUBEBAE. Cubeben. Schwindelkörner.

Baccae rotundae, exsiccatae, magnitudinis Pisi minoris; testa pedunculata cinereo-fusca, rugosa, fragili; nucleo extus fusco, intus albido, oleoso, turgidulo; odore grate aromatico; sapore fervido, aromatico, amaricante, denique refrigerante. Serva in vasis probe clausis, pulverem in vitris obturatis.

CUPRUM.

Vel nativum, vel cum Oxygenio et Acidis pluribus ac Sulphure nuptum in fodinis Germaniae etc. occurrit; partim e mineris Cupri oxydati (Rothkupfererz), carbonicis (Kupferlasur, Malachit), maxime autem e mineris sulphuratis (Kupferglanz, Kupferkies, Fahlerz), ustione a Sulphure liberatis, in officinis liquatoriis Quarzi vel carbonis ope reducitur.

CUPRUM. Kupfer.

Metallum solidum, e rubro fulvum, splendens; frictione odorem gravem emittens; saporis singularis austeri; durum, personorum et ductile, mallei patiens, tenacius Auro, Argento; fractura granuloso-uncinata; ponderis specifici 8,667 — 8,895. Furni reverberationis aestu album excandefactum fusile, et cum flamma viridi flagrans, cuticula oxydi e brunneo nigri tegitur. Aëre humido oxydatur et absorptione Acidi carbonici (Aëris fixi) colorem viridem induit. In Acido Vitrioli concentrato, dimidia parte aquae diluto, coctione solvatur; solutio diluta, instillato Spiritu Salis Ammoniaci caustico, praecipitatum caeruleo-albidum exhibeat, quod a reagente praeponderante sine residuo resolvatur, solutione lazulina satura. In Oleis pinguibus ac aethereis et in plurimis salibus, aqua solutis, accedente aëre solubile.

Signa reliqua, et methodum puritatis Cupri eruendae vide apud Vitriolum coeruleum.

Praep. Cuprum ammoniacale. Cuprum purum. Lapis divinus. Liquor antimiasmaticus. Vitriolum coeruleum purum.

* CURCUMA.

Curcuma rotunda et Curcuma longa L. Amomum Curcuma Jacq. Plantae perennes Chinae et Indiae orientalis. Cl. I. Ord. Monogyn. Slg. off. Pfl. Lf. 7.

RADIX. Gelbwurz.

Occurrit tum in tuberibus magnitudine nucem Juglandis vel ovum columbinum aequantibus, rotundis; tum in frustis nodosis cylindricis, pollicaribus; compactis, ponderosis, luteis; extus annulis parallelis rugosis tectis, intus croceis, in fracturae loco passim nitidulis; odoris modice fragrantis, zingiberini; saporis amaricantis aromatico-acris. Charta infuso aquoso vel spirituoso Curcumae picta, a quavis substantia alkalina rubore ferrugineo tingitur.

Praep. Charta exploratoria lutea.

CYDONIA.

Pyrus Cydonia L. Cydonia vulgaris Borckh. Arbor Cretica, apud nos culta. Cl. XII. Ord. Pentagyn. Hayn. IV. 47. Slg. off. Pel. Lf. 4.

FRUCTUS. Quitten.

SEMEN. Quittensamen oder Kerne.

Fructus subrotundus pyri- et maliformis, angulis prominulis umbiculum versus, epidermide lanuginosa tectus, luteus; intus carne solida flavescente, odoris fragrantis, saporis austeri aciduli.

Semina in singulo loculamento plura, multa mucilagine involuta et conglutinata; oblongo-ovata, compressa acuta, saepius triquetra; testa castanea membranacea, in melioribus nitidiore, mucilaginem continente, nucleo albo; inodora; sapore fatuo, mucilaginoso.

Praep. Mucilago.

DACTYLI.

Phoenix dactylifera L. Palma Asiae et Africae, praesertim Aegypto indigena. Cl. XXI. Ord. Triandria.

DACTYLI. Datteln.

Drupae siccatae, cylindrico-conicae, utrinque obtusae, insertione pedunculi umbilico corneo notatae, pollicem unum vel duos longae, crassae; epicarpio rugoso flavido-rutilo vel rufo, glabro, nitido, coriaceo; parenchymate rubello-brunneo, viscidulo, in segmentis pellucido; saporis grati, dulcissimi, vix adstringentis; inest semen subfuscum, cylindricum convexo-planum, in longitudinem sulco lato exaratum, corneo-lapideum, adstringens, tunica nivea tenui involutum. A vermibus et acaris cavendi. Reiiciantur Dactyli albidi, aridi, flaccidi.

DAUCUS.

Daucus Carota L. Planta biennis in Europae pascuis siccis et sylvis, Var. sativa. Cl. V. Ord. Digynia. Hayn. VII. 2. Slg. off. Pfl. Lf. 8.

RADIX RECENS. Gelbe Rüben oder Möhren. Karotten.

Radix culta, fusiformis, e luteo in rubellum varians, spithamam et ultra longa, crassa, leviter transverso-sulcata, fibrillis capillaribus; cortice reticulato; substantia interna carnosa; medulla orbiculata, saepe angulata radiata; odoris proprii subaromatici; saporis paris, dulcedine insignis, in radice albidiori debilioris.

Praep. Rob.

♱ * DIGITALIS PURPUREA.

Digitalis purpurea L. Planta biennis, sylvestris montana Helvetiae et Germaniae. Cl. XIV. Ord. Angiospermia. Hayn. I. 45. Slg. off. Pfl. Lf. 3.

Flores in spica longa, terminali, secunda, pedunculati, nutantes, bracteati; calyce quinquepartito inaequali, persistente; corolla oblonga ventricosa, obtusa, dilute-purpurea, intus albida, pilosa, sanguineo-guttata; laciniis quinque brevibus, superiore integra, tubo magno patente, basi arcto; capsula

ovata, acuminata, bilocularis, seminibus parvis numerosis; radix crassa, fibrosa.

HERBA. Roth-Fingerhutkraut.

Folia caulina ovato-acuta, minora, inferiora maiora, ovato-oblonga, crenata, in petiolum brevem decurrentia, venosa, rugosa, pubescentia, superne intense viridia, subtus praecipue pubescentia; trita odoris ingrati; saporis nauseosi subacris, peramari. A plantis incultis, aestate, antequam flores aperiuntur, colligenda. VIRULENTA.

DOSIS. Pulveris granum unum, duo, bis vel ter quotidie.

PRAEP. Extractum. Tincturae. Unguentum.

* DULCAMARA.

SOLANUM DULCAMARA L. Frutex scandens in sylvaticis paludosis Germaniae frequens. CL. V. ORD. MONOGYN. HAYN. II. 39. SLG. OFF. PFL. LF. 4.

STIPITES. Bittersüß-, Hirschkraut-, Nachtschatten-Stengel.

Caules flaccidi, lignosi, pennam anserinam et ultra crassi, pedes duos vel quatuor longi, ramis iunioribus viridibus angulosis; adultorum cortex e flavo pullus vel griseus, rugosus et hiscens; liber viridis et tela lignosa viride-flava; saporis primum subamari, dein dulcis; odoris subvirosi. Biennes vel triennes vere colligas, ramulis reiectis.

PRAEP. Extractum.

ELEMI.

AMYRIS ELEMIFERA L. Arbor in Carolina et insulis Antillis Americae crescens. CL. VIII. ORD. MONOGYN.

RESINA ELEMI. GUMMI ELEMI. Elemiharz.

Resina corticis incisi, sole indurata; frusta difformia, plerumque foliis palmae obvoluta, semipellucida, ex albido flava, punctis virescentibus intermixta, extus duriora, fragilia, fractura festucoso-radiata,

fragminibus inaequalibus, splendoris resinoso-vitrei, trita albicantia, attactu resinosa, tenacia, calore manuum emollienda, tum ductilia; odoris gravius-culi terebinthinaceo-foeniculacei; saporis paris, longius amaritudinem in lingua relinquentis; etiam emplastri mollitie venalia. In Spiritu Vini rectificatissimo fere ad duas trientes, in bulliente ad quatuor quintae ($\frac{4}{5}$) solubilis, inde a Resina Pini maritimae, in Spiritu Vini rectificatissimo frigido tota solubili, distinguenda; Oleum aethereum destillatione exhibet.

☥ * EUPHORBIUM.

Euphorbia Canariensis L. Insularum Canariensium; Euphorbia officinarum L. Africae calidioris et australis, et Euphorbia antiquorum L. Indiarum orientalium, usitatissimum Euphorbium praebens; suffrutices. Cl. XI. Ord. Trigyn. Slg. off. Pfl. Lf. 2 et 8.

EUPHORBIUM. Gummi-resina Euphorbii. Euphorbium.

Succus lactescens, e planta stillans, aculeis inhaerens et sole in frustulis multiformibus, angulosis, contortis, plerumque perforatis, condensatus, aculeis ac seminibus intermixtis. Gummi-resinam praebet splendoris expertem, subpellucidam, fragilem, extus sordide flavam vel spadiceam, fracturae conchoideae, intus albidam; inodoram, in prunis tamen fragrantem, flamma lucida ardentem; saporis acerrimi urentis, nauseosi; pulveratione sternutationem et faciei ac faucium inflammationes moventem. Solummodo externe adhibetur, et uti efficacissimum remedium, in vasis optime clausis, servatur.

Praep. Emplastrum vesicatorium perpetuum. Tinctura.

* FARFARA.

Tussilago Farfara L. Planta perennis Germania frequens. Cl. XIX. Superflua. Hayn. II. 16. Slg. off. Pfl. Lf. 3.

FLORES. Huflattigblumen.

* HERBA. Huflattig.

Flores, scapis, ante evolutionem foliorum provenientibus, squamis lanceolatis imbricatis tectis, solitarii, compositi, radiati, radio luteo; receptaculo nudo, pappo capillari stipitato; calycis squamae lanceolato-lineares, aequales, submembranaceae. Solummodo ante floris apertionem mense Martio vel Aprili colligendi.

Folia post florem provenientia, longe petiolata, subrotundo-cordata, sinuato-angulata, dentata, dentibus apice fuscis, lata, plana, superius glabra, sub-humida, et laete viridia, venis rubris percursa, subtus albo-tomentosa; odore exiguo; sapore amaricante, subadstringente, mucilaginoso. Colligenda mense Maio.

Non confundenda cum foliis iunioribus Tussilaginis Petasitis L., subtus tenuiter pilosis ac viridescentibus, maioribus, impari-denticulatis, lobis approximatis.

FEL TAURI.

In vesicula fellea Bovis Tauri domestici L.

FEL TAURI RECENS. Ochsengalle.

Succus proprius, e fusco flavus vel viridis, consistentiae pituitae; saponaceus; odoris non putridi, sed tamen ingrati animalis; saporis e dulci peramari et nauseosi; in aqua totus solubilis, solutione dilutiore clara.

Praep. Fel Tauri inspissatum.

FERRUM.

Ex oxydulo fossili (Magneteisen), praesertim ex oxydo fossili (Eisenglanz, Braun- oder Rotheisenstein) in officinis liquatoriis Germaniae reducitur.

FERRUM. Mars. Eisen.

Metallum ex albido griseum; politum persplendens, durissimum ac tenacissimum, in fila tenuissima ducendum; sonorum, texturae fibrosae; fracturae

granuloso-uncinatae; malleatum ponderis specifici 7,788—8,000; tritum odoris subaciduli; saporis paris styptici; a Magnete attrahitur et vis magneticae capacissimum. Rubrum excandefactum molle et tunc in superficie stratu oxyduli nigrescentis, scoriis Ferri, tegitur, ad albedinem ex candefactum ferruminatione coniungitur; fusionis difficillimae. Salia Ferri oxydulati Aqua soluta a Tinctura Gallarum e solutione diluta colore intense violaceo, illa Ferri oxydati vero colore coerulescente-nigro, ac praecipitato pari indicantur; Liquor Kali ferreo-borussici in solutione Ferri oxydulati praecipitatum albidum, attactu aëris mox coerulescens, denique Indici coloris, in Ferri oxydati solutione vero sedimentum statim Indici coloris producit. Limatura a variis opificibus allata non emenda, sed e Ferro malleato (Stabeisen) bonae notae, praeparanda ac vasis bene clausis servanda est.

Praep. Aethiops martialis. Crocus Martis aperitivus. Extractum. Ferrum salitum. Globuli. Limatura praeparata. Oleum Martis. Tincturae. Vinum. Vitriolum Martis purum.

* FILIX.

Aspidium Filix mas Schwartz. Polypodium Filix mas L. Nephrodium Filix mas Spreng. Filix perennis Germaniae frequens. Cl. XXIV. Ord. Filices. Slg. off. Pfl. Lf. 5.

Frondibus subbipinnatis, pedalibus et ultra pedem longis; pinnis alternis, patentibus, lanceolatis inferioribus brevioribus sterilibus; pinnulis alternis, oblongis obtusis, margine et apice crenatis. Stipite inferne nudo, toto cum nervis pinnarum paleis fuscis tecto. Sori ad nervum pinnularum in duplicem seriem dense dispositi, subrotundi, ad centrum puncto depresso notati; involucro tecti reniforme-peltato, puncto laterali affixo, demum undique fere libero et exacte reniforme ac subplicato.

RADIX. Männlich Farrenkrautwurzel.

Bases stipitum de frondibus annue deciduis, in caudicem cylindricum, pollices sex et ultra longum pollices duos ad tres crassum, coalitae, quae non sint ultra unum alterumve annum vetustate, bulbosae, sibi adpressae et subintricatae, oblongae, sursum attenuatae, falcatae, inaequaliter sulcatae, inde transversim discissae exhibentes marginem lobato-sinuatum; recentes epidermide flavo-viridi, brunnescente, siccae brunneo-nigricante et squamis emarcidis paleaceis ferrugineis tectae; substantia interna medullosa, in recentibus viridi-flava, in siccis pallide e rubello lutea, minutim porosa, levi; recentes odore nauseoso, sapore primum dulciusculo, dein austero subacri, tandem amaro; siccae vix odorae; sapore recentium congruo. Radix fibrosa, crassa, subcarnosa; fibris flexuosis contortis brunneis; substantia interna radicis illi basium stipitum simili. Utraque pars vere collecta, a fibris et squamis mundata, reiecta portione radicis iam lignescente, bene et cito loco umbroso siccata, in vitris probe claudendis loco frigidiusculo luci subtracta servanda est. Pulvis sit flavo-virens, etsi parum odoratus, tamen saporis descripti insignis, nec longius prostet.

Non confundenda planta ista cum Polypodio Filice foemina L. Distinguenda frondibus spectabilibus bi-seu tripedalibus; in superiori parte stipitum et nervis pinnarum paleis fere carentibus; pinnulis lanceolatis, pinnatifidis, laciniis margine argute inciso-dentatis; soris dorsalibus ovalibus, involucro tectis ovali, paleaceo, ferrugineo; basi stipitum et radice perpendicularibus, priore marcida, una cum fibris nigra.

* FOENICULUM.

Anethum Foeniculum L. Meum Foeniculum Spreng. Planta biennis Orientis et Europae australis, nobis culta. Cl. V. Ord. Digynia. Hayn. VII. 18. Slg. off. Pfl. Lf. 1.

SEMEN. Fenchel.

Semina oblonga, non raro incurva, incano-virentia, quinquecosta, costis flavidis profunde sulcatis, nucleo oleoso fusco; odoris aromatici grati; saporis paris subdulcis. Maturescit mense Septembre.

Praep. Aqua. Oleum. Syrupus.

* FOENUM GRAECUM.

Trigonella Foenum graecum L. Planta annua Europae meridionalis, in Germania culta. Cl. XVIII. Ord. Decandria. Hayn. VIII. 41. Slg. off. Pfl. Lf. 10.

SEMEN. Bockshornsaamen.

Semina minora, oblongo-rotunda, lateribus duobus truncata, sulco obliquo notata, obscure-lutea, dura; odoris Meliloti ingrati; saporis amaricantis mucilaginosi. Pars una seminis partes sedecim ad octodecim Aquae coctione mucilaginosas reddit.

FORMICA.

Formica rufa Fabricii. Insectum, habitat ubique in sylvarum pratorumque aridorum acervis arenosis. Insectorum Ord. I. Piezata, Tribus I.

FORMICAE. Ameisen.

Insecta, alia mares feminaeque propagationi generis inservientia, hymenoptera, alia neutra, labori dicta, aptera, thorace compresso, oblongo, glabro, ferrugineo; capite abdomineque nigris, pedibus ferrugineis; odoris inprimis sub tritu graveolentis, acidi; saporis acidi urentis. Colligantur vivae et purae mensibus Junio Julioque lagenis, parum Mellis vel Sacchari continentibus, acervis immersis. Maioribus rufis deficientibus, Formicae fuscae Fabr., coloris e cinereo-fusci, antennis pedibusque ferrugineis, in arenosis habitantes, substitui possunt, aeque Formicae nigrae L., Lasii nigri Fabr., nitidi ano piceo. Hortenses virtute debiliores non adhibendae.

Praep. Spiritus.

FUMARIA.

Fumaria officinalis L. Planta annua in cultis Europae ubique. Cl. XVIII. Ord. Pentandr. Hayn. V. 4. Slg. off. Pfl. Lf. 3.

HERBA. Erdrauch. Taubenkropf.

Herba florida, racemi erecti oppositifolii; floris corolla tetrapetala, petalis linearibus subaequalibus concavis, rubro-violaceis. Folia in caule flaccido succulento alterna petiolata, duplicato-pinnata, pinnis pinnulisque alternis petiolatis, laciniis sublinearibus; glaucescenti-viridia, glabra, inodora, ingrate amara, sicca amaritie maiori salsa. Colligitur florida mensibus Aprili et Maio.

Praep. Extractum.

GALANGA MINOR.

Maranta Galanga L. Amomum Galanga Laureiro. Alpinia Galanga Rosccoe. Planta perennis Indiae orientalis et Chinae. Cl. I. Ord. Monog. Slg. off. Pfl. Lf. 11.

RADIX. Galgantwurzel.

Frusta cylindrica, subarcuata, saepius bifurcato-ramosa, pollices duos ad tres longa, lineas tres ad sex lata; epidermide e fusco rufa, rugosa, annulato-geniculata, annulis pallidioribus; substantia interna lignosa, subfibrosa, compacta, rubicunda; medulla obscurius tincta; saporis aromatici, fervidi, acris; odoris aromatici Cardamomo appropinquantis.

GALBANUM.

Ferulae species Orientis peculiaris.

RESINA, s. Gummi, GALBANI. Mutterharz.

Gummi-resina, in massis, rarius in granis venalis, recens ex alba lutea, vetustior e luteo subrufa, in fractura margine subdiaphana, particulis albidis nitentibus copiosis variegata, sicca quidem et cerei

attactus, sed calore manus lentescens, fragilis, fractura inaequali conchoidea; intense ac nauseose specifice olens; saporis calidi amaricantis, acris ingrati; in Aqua quarta pars ponderis sui solvitur, solutione lactescente, mox secedente, Spiritus Vini rectificatissimus duas tertias partes resinae verae extrahit, et inde aurei coloris fit; destillatione cum Aqua Galbanum oleum aethereum exhibet. Praefertur in granis allatum, neque tamen in massis reiiciendum, modo copiosas particulas albidas supra dictas contineat. Pulverando depura ac serva in vitris obturatis.

Adulteratur variis vilioribus resinis, Gummi Ammoniaco et Gummi subrufo quodam Siciliae.

Praep. Emplastrum.

* GALLAE TURCICAE.

Quercus infectoria Olivier. Arbuscula orientalis Cl. XXI. Ord. Polyandria. Slg. off. Pfl. Lf. 11.

GALLAE TURCICAE, s. quercinae. Gallapfel.

Tumores foliorum a Cynipis Quercus folii L. Diplolepis Gallae tinctoriae Geoff. punctura producti; globosi, verrucoso-echinati, rugosi, subpedunculati, ponderosi, duri, ex glauco coerulescentes vel flavescentes; quos inter imperforati et ponderosiores praevalent.

Proveniunt etiam de Quercu Aegilope et Q. Esculo L. arboribus Orientis et Europae australioris. Gallae europaeae, etiam in Q. Cerri et Q. Robure L. obviae, pallidiores aut rubescentes, et perforatae, parenchymate rariore, non adhibendae sunt.

Praep. Tinctura.

* GENTIANA.

Gentiana lutea L. Planta perennis alpestris. Cl. V. Ord. Digynia.

RADIX. Entzianwurzel.

Radix ramosa, ramis teretibus, crassitie pollicis et ultra, pedem usque ulnam longa; sicca superius annulata, inferius longitudinaliter sulcato-rugosa, tenax, ponderosa; epidermide rubello-fusca, dissecta ex rubro lutescens, subcortice cum annulo brunneo; porosa; saporis dulciusculi mox peramari; odoris dulciusculi subaromatici.

Radices Gentianae purpureae L. iisdem viribus gaudentes, promiscue cum radice supra descripta occurrunt; quae interdum cum radicibus Veratri albi et, ut dicunt, cum iisdem Ranunculi Thorae et Aconiti Lycoctoni L. omnibus narcoticis, adulterantur, tamen notis allatis istis non omnibus pollent, ultimae sedulo separandae sunt.

Praep. Extractum. Tinctura.

* GRAMEN.

Triticum repens L. Agropyrum repens Palisotii Planta perennis ubique crescens. Cl. III. Ord. Digyn. Slg. off. Pfl. Lf. 8.

RADIX. Quecken.

Radix praelonga teres, calamum stramineum fere crassa, repens, glabra, articulata, ad articulos fibrosa, albo-flavescens; odoris cerealis; succo dulci debili repleta. Non confundenda cum radice Lolii perennis L. valde breviore, fibrosiore; coloris obscurioris. Effodienda primo vere.

Praep. Extractum. Mellago.

GRANATUM.

Punica Granatum L. Arbor Asiae et Europae meridionalis, apud nos in hibernaculis culta. Cl. XII. Ord. Monogynia. Slg. off. Pfl. Lf. 1.

CORTEX GRANATORUM, s. Malicorium. Granatäpfelschaale.

FLORES GRANATORUM s. Balaustia. Granatblumen.

Cortex fructus siccatus, extus e fusco-rubens, intus flavescens, coriaceus, durus; inodorus; saporis amaricantis, valde adstringentis.

Flores petalis coccineis et calycibus coriaceis rubris; adstringentes.

GRAPHITES.

Carburetum Ferri nativum. Plumbago.

Fossile Angliae, Hungariae, Saxoniae et Franconiae.

GRAPHITES. Reißbley. Graphit.

Minera chalybeo-grysea et nigrescens, opaca, metallice splendens vel solum nitens, texturae lamelloso-squamosae; facile secanda ac rumpenda, fracturae granulosae, subconchoideae nitentis; attactu pingui, valde depingens; insipida; ponderis specifici 2,24—2,45; non fusilis. Forti aestu aëre accedente comburatur, relicta circiter decima sui ponderis parte, Oxydi Ferri. A partibus terreis libera sit. Acidum Salis cum illa coctum Ferrum solvat, solutio acida cum Aqua hydrosulphurata mixta colorem non ducat.

† GRATIOLA.

Gratiola officinalis L. Planta perennis pratensis et riparia Germaniae. Cl. II. Ord. Monogyn. Hayn. III. 13. Slg. off. Pfl. Lf. 1.

HERBA. Gnadenkraut.

Herba subflorida; folia in caule erecto, geniculato, radicante, superne tetragono, pollicaria, decussato-opposita, amplexicaulia, apicem versus serrata, glabra, laete virentia, subtus nervis tribus vel quinque eminentioribus; pedunculi ex alis foliorum, oppositi uniflori; bracteis infra calycem duabus, lineari-lanceolatis, patentibus; corolla monopetala, irregularis quatuorfida, resupinnata, albida vel rubicunda striis obscurioribus; filamentis duobus antheriferis, duobus brevioribus sterilibus; capsula biloculari; radice repente, geniculata, in geniculis fibrosa. Herba odoris

nullius; saporis intense amari, acris, nauseosi. Colligitur mensibus Julio et Augusto subflorida.

A Scutellaria galericulata et Veronica scutellata L. sapore et signis reliquis satis diversa.

Praep. Extractum.

* GUAIACUM.

Guaiacum officinale L. Arbor insularum Indiarum occidentalium. Cl. X. Ord. Monogyn. Slg. off. Pfl. Lf. 12.

CORTEX. Guajak-, Franzosenholzrinde.
LIGNUM. Pocken-Guajak-, Franzosen-Holz.
RESINA. Guajakharz.

Cortex unam usque tres lineas crassus, subplanus, ponderosus, epidermide albo-cinerea, aspera, fissa, hinc inde derasa; extimo cortice flavo-vel griseofusco; interiori testaceo lamelloso, lamellis tenuibus concentricis ligneae duritiei, fracturae nitentis, testaceae; compactus; vix odorus; saporis subacris amariusculi siccantis.

Lignum venale affertur truncis vel frustis, aut secundum longitudinem aut transversim discissis; alburno pallide lutescentibus, ligno versus centrum fusco-virente vel glauco subirrorato; quo ponderosius, eo melius; compage densa subtili; integrum vix odorum, raspatum odoris subacris sternutamentum excitantis; saporis acris-amari, etsi illo corticis debilioris; facile flammam concipiat et odore grato resinam sudans deflagret. Scobem ligni (Guajakspäne) emere non licet. Raspatum sit genuinum.

Resina vel sponte vel ex sauciata arbore stillans et siccata, sistit frusta difformia; variae magnitudinis saepe insignis; viridia vel brunneo-viridia versicoloria, subdiaphana, friabilia; triturae albidae, pulvere detrito lucis accessu tandem obscure viridescente et non amplius sese conglomerante; fracturae resinosae splendentis e prasio in brunneum versicoloris,

saepius albo maculatae; odoris debilis benzoini, attamen sternutationem moventis; masticata primum pulverulenta, dein tenacia; saporis acris fauces vellicantis. Igne facile liquentur, spargentia odorem proprium balsamicum gratum. In Spiritu Vini rectificatissimo haec resina exemtis quisquiliis tota solvatur, solutione ab initio saturate brunnea, aëris accessu mox laete coerulescente, ab Aqua affusa praecipitatum album, quod postea pari ratione coerulescat, demittendo. Si Resina Guaiaci in portione Spiritus Vini rectificatissimi relative parva soluta, et aeque exigua copia Aquae ex hoc praecipitata fuerit, ac pulvis eliminatus nondum coeruleum colorem induxerit, Liquor Salis Tartari hunc pulverem resolvit, solutione clara non colorata. Oleum Terebinthinae cum quinta sui ponderis parte huius resinae coctum et dein refrigeratum limpidum manet, nec alieno colore tingitur, ac evaporatum eam genuinam relinquit.

Lignum proprie sanctum dictum; de Guaiaco sancto L. arbore insularum Indiarum occidentalium, inprimis St. Johannis de Portu divite proveniens; pallide flavum aut albidum et levius, Ligno Guaiaci officinali minus efficax, non adhibeatur.

Praep. Sapo guaiacinus. Tinctura Guaiaci volatilis.

* GUMMI ARABICUM.

Acacia arabica, et A. vera Willd. = Mimosa nilotica L. Aegypti, Arabiae, et Syriae incolae spontaneae. Cl. XXIII. Ord. Monoecia.

GUMMI ARABICUM, s. Mimosae, Arabisches-Gummi.

GUMMI SENEGAL. Senegal-Gummi.

Gummi e cortice exsudans, affertur in glebis rotundatis, magnitudine nucis avellanae quin iuglandis; albis seu flavescentibus, scabris, rugosis, superficie opacis, fragilibus; fractura anguloso-rimosis, diaphanis, nitoris vitrei, lucem multifariam reflectentis. Pulveratum album; odoris debilioris; saporis fatui,

dulciusculi, mucilaginosi; in pauxillo Aquae persolubile, solutione fervida spumescente.

Gummi Senegal, ab Acacia senegalensi Willd. Mimosa senegalensi L. ortum, refert vel glebas rotundato-angulosas maiores, seu vermiformes contortas, lucescentes, claras, flavidas, duras; fracturae conchoideae, lucem simpliciter reflectentis, vitreae; quoad odorem saporemque acidulas et mucilaginosas; in Aqua aeque solubiles uti arabicum, solutione fervida parce spumescente.

Cavendum, ne cum Gummi de Bassora, simili, sed minus lucido, in Aqua turgente ac vix solubili, et alio huius generis, senegalensi quodam, pellicula flava opaca tecto, Cerasorum etc., omnibus Gummi Tragacanthae affinibus, adulterata sit.

Praep. Mucilago.

✠ * GUTTI.

Garcinia Cambogia Lam. Cambogia Gutta. L. Genitrix Gummi Guttae communis, Cl. XII. Ord. Monogyn. Hayn. IX. 4. Stalagmitis cambogioides Murray vel Guttaefera vera Koenig. optimum Gummi Guttae refert, nobis rarum. Cl. XXIII. Ord. Monoecia. Insulae Zeilonae et regnorum Siam et Pegu Indiae orientalis incolae.

GUMMI GUTTAE. Gambogium. Gummigutt.

Succus gummeo-resinosus, vel e ramulis dissectis, vel e trunco vulnerato emanans, leni calore inspissatus massam e flavo rubentem, opacam, in margine frustulorum sub-pellucidam, densam, fracturae conchoideae, nitentem praebet; odoris subnauseosi; saporis dulciusculi acris, os siccantis salivam simul luteo colore tingens. Pulveris color luteo-aureus. Partim in Spiritu Vini rectificatissimo, partim in Aqua solubilis, solutione aquosa lutea opaca.

HEDERA.

Hedera Helix L. Frutex scandens Orientis et Europae meridionalis. Cl. V. Ord. Monogyn. Hayn. IV. 14.

GUMMI, s. Resina, HEDERAE. Epheuharz.

Hedera Helix solummodo regionibus calidioribus Galliae, Italiae etc. resinam incisione edit. Refert frusta informia, nigro-brunnea, arida, compagis granulosae, splendoris vitrei, margine subpellucida, dura; odoris, praecipue dum accenduntur, balsamico-cerei; saporis paris subadstringentis. In Spiritu Vini rectificatissimo partim solubile, e partibus septem gummosis, viginti et tribus resinosis, reliquis septuaginta lignosis perdivisis circiter constituta.

HEDERA TERRESTRIS.

Glechoma hederacea L. Planta perennis in pratis, ad sepes etc. ubique. Cl. XII. Ord. Gymnospermia. Hayn. II. 8. Slg. off. Pfl. Lf. 2.

RERBA. Gundermann. Gundelrebe.

Folia petiolata, cordato-reniformia, crenata, subhirsuta, obscure viridia; odoris debilioris, fricatu, dum recentia sunt, intensioris graviusculi; saporis paris, subaromatici, amaricantis. Colligitur mense Aprili.

HELENIUM.

Inula Helenium L. Planta perennis montana Germaniae et Helvetiae, in hortis colitur. Cl. XIX. Ord. Superflua. Hayn. VI. 45. Slg. off. Pfl. Lf. 4.

RADIX HELENII, s. Inulae. Alantwurzel.

Radix sicca fusiformis, multipartita, pollicem et ultra crassa, longitudinaliter sulcato-rugosa, hinc inde verrucosa; epidermide luteo-brunnea aut cinerascente; intus albicans, fractura transversali annulis et foveolis laete fuscis praedita; tenax, aegre fractu; odoris radicis Iridis florentinae; saporis amari, aromatico-ignei; culta minus valet quam spontanea. Vere colligenda, findenda et exsiccanda.

Praep. Extractum.

✠ * HELLEBORUS ALBUS.

Veratrum album L. Planta perennis montana Germaniae meridionalis et Helvetiae. Cl. XXIII. Ord. Monoecia.

RADIX. Weiße Nießwurzel.

Radix venalis sicca deformis subconica, truncata, nodosa, pollicem circiter crassa, pollices plures longa, fibris undique resectis scabra; epidermide e luteo pallide fuscescente, rugosa; cortice albicante; substantia interna inprimis centrum versus cinereo-flavens, punctata; odoris fere nullius; saporis primum e dulce amari, nauseosi, dein corrosivi, pulveratione nares vellicans, sternutationem vehementem excitans. Serva vasis bene clausis.

✠ HELLEBORUS NIGER.

Helleborus niger L. Planta perennis alpina, in hortis colitur. Cl. XII. Ord. Polygynia. Hayn. I. 8. 9. Slg. off. Pfl. Lf. 2.

RADIX. Schwarze Nießwurzel. Christwurzel.

Fibrae radicis rhizomate et ramis reiectis. Radix rhizomate polycephalo, brevi, subcylindrico, subtoruloso, sulcato, magnitudine Nucis moschatae; ramis brevibus, ascendentibus, intricatis, articulatis, rugosis; fibris copiosissimis rhizoma fere obtegentibus perpendicularibus, fere straminis crassitie, aliquot pollices usque pedem longis, simplicissimis glabris. Radix gaudet epidermide fusco-nigra, in fibris nigra; substantiae corticalis flaviusculae, medullosae albidioris, annulo cinctae; monstrantis in fibris quatuor usque sex fasciculos vasculosos albidos aut flaviusculos intra ambitum circuli cruciato-vel stellato-circa nucleum medullosum obscuriorem digestos, triquetros angulis extrorsum versis, sic in radice recente; radicis siccatae vero fibrae rugosae, fragiles, pallidiores; odoris nauseosi acris, sternutationem moventis; saporis amariusculi acris et in-

primis recens linguam acredine obstupefacit. Effodienda est autumno vel ante efflorescentiam hieme paulloque post exsiccationem ad vires conservandas, tum rudius tum subtilius pulveranda et servanda in vasis bene clausis.

Cavendum, ne cum radice ADONIDIS VERNALIS fibrillis non e ramis sed e rhizomate orientibus, nigerrimis, praedita, aliarumque Hellebori specierum, adulterata sit.

PRAEP. Extractum. Tinctura.

HELMINTHOCHORTON.

CERAMIUM HELMINTHOCHORTOS ROTH. FUCUS HELMINTHOCHORTOS LATOURETTE. GIGARTINA HELMINTHOCHORTON LAMOUROUX. SPHAEROCOCCUS HELMINTHOCHORTOS STACKHOUSE. Conferva in mari mediterraneo ad littus Corsicae insulae frequens. CL. XXIV. ORD. ALGAE.

HELMINTHOCHORTON. Wurmmos. Wurmtang.

Fibrillae dichotomae, zoophytis interdum insidentes, de rupibus ab undis devulsae in littora maris mediterranei proiectae; coloris grysei, rubicundi, sordidi; contortae, atmosphaera humida flexiles, sicca duriores, fragiles; odoris marini contrarii; saporis salsi amaricantis. Teste Decandollio venale vix octavam partem Ceramii Helminthochortos veri continet, reliquae a CERAMIIS, CONFERVA FASCICULATA, C. ALBIDA, C. INTERTEXTA, CORALLINA OFFICINALI, e FUCO PURPUREO et PLUMOSO HUDS. constitutae. A Zoophytis et residuis testaceorum intermixtis ante usum tam ut fieri potest, separandum.

HIPPOCASTANUM.

AESCULUS HIPPOCASTANUM L. Arbor Persiae borealis, nunc in Germania frequens. CL. VII. ORD. MONOGYN. HAYN. I. 42. SLG. OFF. PFL. LF. 5.

CORTEX. Roßkastanienrinde.

Cortex ex ramis aetate non nimis provectis nec nimis teneris decerptus et ab alburno liberatus,

lineas duas ad tres crassus, subluteus; epidermide superinductus ex rubro fusca; odoris subaromatici; siccatus fracturae incarnatae, inodorus; saporis intense amari et adstringentis. Decoctum luteo-brunneum, desuper vel a latere inspectum, colore coeruleo varians. Colligitur primo vere ante foliationem.

* HIRUDINES.

Hirudo medicinalis L. Vermes in Aquis stagnantibus aut lentius fluentibus, qui praeferendi sunt. Cl. VI. Ord. Intestina. Annulata Latreillii.

HIRUDINES VIVAE. Blutigel.

Corpus depressum oblongum, annulatum, promovens, se ore caudaque in orbiculum dilatandis; supra fuscum vel fusco-virens, lineis quatuor utrinque notatum, prima dorsalis rufa, altera rufa nigro-maculata, tertia nigra subrufa, quarta seu marginalis lutea, ventre flavide gryseo maculis nigris variegato. Servanda in vitro ampliori Aqua pura, frequenter renovanda, semipleno linteo obligato.

HORDEUM MUNDATUM.

Hordeum vulgare L. H. hexastichon L. et H. distichon L. Plantae annuae sativae. Cl. III. Ord. Digynia. Slg. off. Pfl. Lf. 9.

HORDEUM MUNDATUM. Gerstengraupe.

Semen a corolla denudatum, album, farinosum.

♆ * HYOSCIAMUS NIGER.

Hyosciamus niger L. Planta biennis ad vias et in ruderatis frequens. Cl. V. Ord. Monogyn. Hayn. I. 28. Slg. off. Pfl. Lf. 1.

Flores in spicam foliaceam, secundam, terminalem, dispositi in alis foliorum subsessiles; calyx lanuginosus viscidus; corolla infundibuliformis, obtusa, extus pubescens, intus glabra, ochroleuca, venis purpureis reticulata; stamina villosa inclinata;

capsula operculata, bilocularis, polysperma; semina matura fuscescentia, minima.

HERBA. Schwarzes Bilsenkraut.

Folia in caule erecto, ramoso, villoso, viscido, alterna, sessilia, amplexicaulia, oblongo-ovata, dentato-sinuata, radicalibus pinnatifido-sinuatis, laciniis lanceolatis, integris, incano-viridia, pilosa, pilis subviscosis tecta, venosa, subtus nitidiora; odoris nauseoso-narcotici; saporis paris mucilaginosi. Ante florescentiam colligenda. PLANTA VIROSA.

PRAEP. Emplastrum. Extractum. Oleum coctum. Tinctura. Unguentum.

HYPERICUM.

HYPERICUM PERFORATUM L. Planta perennis pratensis et sylvestris Germaniae. CL. XIII. ORD. PENTAGYN. HAYN. VIII. 42. SLG. OFF. PFL. LF. 4.

HERBA. Johanniskraut.

Herba florens; caulis erectus, teres, angulis duobus oppositis notatus, glaber, ramosus; folia minora opposita, ovata, obtusa, sessilia, semiamplexicaulia, integerrima, punctis pellucidis pluribus perforata, glabra; petala quinque oblongo-ovata, oblique truncata, altero margine crenata, flava, punctis nigris notata; calyce monophyllo, quinquelaciniato, laciniis acutis corolla brevioribus; stigmatibus sanguineis. Tota planta pigmentum resinosum flavo-rubellum continet.

PRAEP. Oleum coctum.

HYSSOPUS.

HYSSOPUS OFFICINALIS L. Fruticulus Europae meridionalis, nobis hortensis. CL. XIV. ORD. GYMNOSPERMIA. HAYN. VI. 18.

HERBA. Isop.

Folia subsessilia, ovato-lanceolata, angusta, integerrima, obtusa, laete viridia, sursum glabra subtus

punctata, scabriuscula, margine minutissime ciliata; recentia aromatice fragrantia; saporis similis calefacientis acriusculi; sicca odoris et saporis aromatici debilioris; saporis etiam amari. Colligitur cum summitatibus subfloridis.

Praep. Aqua.

* IACEA.

Viola tricolor L. Planta annua in agris arenosis et hortis. Cl. V. Ord. Monogyn. Hayn. III. 4, 5. Slg. off. Pfl. Lf. 2.

HERBA. Freysamkraut. Dreyfaltigkeitskraut.

Herba florida; caules plures procumbentes, ramosi, angulati, scabri; folia alterna, ovato-oblonga obtusa, in petiolum decurrentia, inciso-crenata, scabriuscula; stipulae ad basin petiolorum pinnatifidae; pedunculi axillares foliis longiores, uniflori; corolla e violaceo albo flavoque tricolor, calyce duplo maior, parce odora; sapore mucilaginoso-amariusculo subacri. Cum Viola arvensi L., non commutanda. Aestate tota colligenda.

Praep. Extractum.

☥ * IALAPPA.

Convolvulus Ialappa L. Ipomoea Ialappa Desfont. et Ker. Ipomoea macrorhiza Mich. Planta perennis mexicana, ab urbe Yalapa nominem ducens. Cl. V. Ord. Monogyn. Slg. off. Pfl. Lf. 8.

RADIX. Jalappenwurzel.

Radix oblongo-ovata, tuberosa, venalis in taleolis, saepe ultra pollicem crassis, vel longitudinaliter fissa incisuris binis aut quaternis; epidermide in meliore nigriore; rugosa, cortice fusco; substantia interna celluloso-lamellosa, lamellis concentricis, non spongiosa. Sit dura, etsi manu non frangenda tamen mallei ictu facile rumpenda, fractura in meliori resinoso-undulata, obscure grisea, striis copiosis

brunneis, fuscis et nigricantibus ac plurimis punctis splendidis variegata; pulverata flaviusculo-grisea, sternutationem movens; odoris valde nauseosi; saporis similis acris, plus fauces quam linguam vellicantis, amari; quo inflammabilior, eo praestantior. Curam geras, ne radicem cum Spiritu Vini partim a resina privatam accipias.

PRAEP. Resina. Sapo ialappinus, Tinctura.

IMPERATORIA.

IMPERATORIA OSTRUTHIUM L. Planta perennis alpina, in hortis colitur. CL. V. ORD. DIGYN. HAYN. VII., 15. SLG. OFF. PFL. LF. 12.

RADIX. Meisterwurzel.

Radix compressa, aliquot pollices longa, dimidium ad unum pollicem crassa, geniculata, annulato-tuberculosa; epidermide subfusca, longitudinaliter rugosa; cortice fusco; transversim fracta albido-flavescens, loculos in circulum digestos, resina aetheroleosa nigra repletos, praebens; odoris gravis aromatico-balsamici, Angelicae, Levisticive fragrantia proximi; saporis paris, acris, sub-amari. Spontanea hortensi praestat, autumno adulto collecta.

✝ IODINA.

Substantia metalloidea e lixivio matricis cineris, Vareck dicti, combustione variarum specierum Fucorum in littoribus marinis producti (in quo vel uti prostat, vel sub forma Acidi hydroiodinici, cum Alkali nupta occurrit) ope Magnesiae nigrae et Acidi Vitrioli sublimatione Parisiis potissimum obtenta.

IODINA. IODIUM. Jodine. Jod.

Refert lamellas coeruleo-nigras, splendoris metallici, Graphitae seu Micae Ferri similes, molles, friabiles; ponderis specifici 2,267; odoris calidi acris, ingrati, cutem animalem et vegetabilia colore rutilo-flavo, fugaci induens. Vasis vitreis clausis cale-

facta in vaporem violaceum abit, et sublimatur; in Aqua aegre, in Spiritu Vini rectificatissimo facile solubilis, solutione Amylum coeruleo colore tingente. Adulteratio Iodinae cum Graphitide etc. solvendo in Spiritu Vini rectificatissimo eruitur. Servatur in vitris, epistomeis vitreis clausis, et charta nigra obductis.

PRAEP. Kali et Natrum hydroiodinicum. Tinctura.

⁂ * IPECACUANHA.

CEPHAELIS IPECACUANHA, RICH. et SWARTZ. CALLICOCCA IPECACUANHA GOMEZ. et BROTER. Planta perennis Brasiliae. CL. V. ORD. MONOGYN. HAYN. VIII. 20. SLG. OFF. PFL. LF. 14.

RADIX IPECACUANHAE VERAE. Aechte Brech- oder Ruhr-Wurzel.

Radix gracilis, flexuosa, aliquot pollices ad quatuor longa, uno latere ex more calamum scriptorium crassa, finem versus usque ad crassitiem culmi straminei tenuioris coarctata, saepius fracta; annulata, annulis integris confertis inaequalibus, rimis profundis divisis; epidermide fusco-cinerascente; substantia interna annulari albida, compacta, hic illuc quasi cornea, amaro-acri, nauseosa, vi emetica imprimis praedita; pulverata ex albido-grisea; odoris mucidi, irritantis, nauseosi; meditullium lignosum filiforme, flavescens, invalidum, itaque pulveratione residuum reiiciendum. Parva copia pulveranda, aëre vim emeticam debilitante et ideo in vitris obturatis asservanda.

Alias Ipecacuanhae radicis species, nempe UNDULATAM seu ALBAM, AMYLACEAM, a RICHARDIA SCABRA L., RICHARDIA BRASILIENSI GOMEZ, RICHARDSONIA SCABRA MART. HAYNE VIII. 21. SLG. OFF. PFL. LF. 14, originem ducentem, longiorem, strictiorem, crassiorem, nodosam, rare subannulatam, sulcis integris vel dimidiatis transversis vero praeditam, apicem versus attenuatam; epidermide vel albido-grisea vel pallide fusca, laevi; cortice friabili, albo, texturae amylaceae, filum lignosum pallide flavum tenuius includente; saporis acriusculi nauseosi debilioris; et speciem al-

teram STRIATAM, seu NIGRAM, lineas duas usque tres crassam, subarticulatam, in longitudinem striato-rugosam; epidermide griseo-nigra; cortice obfuscato, filo intermedio crassiore lutescente a PSYCHOTRIA EMETICA LINN. FILII HAYN. VIII. 19. SLG. OFF. PFL. LF. 14. nobis per-rara, non in usum pharmaceuticum admitte.

* IRIS FLORENTINA.

IRIS FLORENTINA L. Planta perennis Italiae, nobis hortensis. CL. III. ORD. MONOGYN. SLG. OFF. PFL. LF. 3.

RADIX. Florentinische Violenwurzel.

Radix venalis magna, fusiformis, sub-compressa, tuberosa, articulata, pollicem et ultra crassa, iam decorticata flavido-alba, superne tuberculis orbicularibus subfuscis notata, ponderosa, tenax; odoris VIOLAE ODORATAE; saporis amariusculi mucilagineo-farinosi, subacris.

IUGLANS.

IUGLANS REGIA L. Arbor Persiae, apud nos culta. CL. XXI. ORD. POLYAND. SLG. OFF. PFL. LF. 4.

NUX IUGLANDIS IMMATURA. Unreife Wallnuß.

OLEUM NUCUM IUGLANDIUM. Nußöl.

Drupae immaturae, extus laete virides, intus albae, carnosae; odoris subaromatici quidem, ast ingrati; saporis amaricantis, austeri, adstringentis. Colliguntur dum subula eburnea perforari possunt et siccantur.

Oleum unguinosum e nucleis maturis expressum; sit albo-stramineum, limpidum, spissiusculum; inodorum; saporis grati dulciusculi.

PRAEP. Extractum.

IUIUBAE.

ZIZYPHUS VULGARIS LAMARCK. RHAMNUS ZIZYHUS L. Arbor Orientis ac Europae meridionalis. CL. V. ORD. MONOGYN.

IUIUBAE. Rothe Brustbeeren.

Fructum drupaceum profert, siccatum magnitudinis Pruni minoris; epicarpio rubro corrugato, coriaceo; pulpa molli, flavente subdulci, mucida, fovente nucem adhaerentem, oblongo-ovatam, utrinque acutam, asperam, duram, plerumque bilocularem, rarius unilocularem.

* IUNIPERUS.

IUNIPERUS COMMUNIS L. Frutex Europae borealis, indigena. CL. XXII. ORD. MONADELPH. SLG. OFF. PFL. LF. 1.

BACCAE. Wachholderbeeren.

LIGNUM. Wachholderholz.

Baccae altero demum anno maturae; globosae, recentes extus nigro-violaceae, nitidae, siccae nigrae, vertice sulcis tribus exaratae; parenchymate carnoso-pulposo, brunneo; odore balsamico gravi; sapore pari dulci sub finem amariusculo; fovente semina tria plano-convexa, fusca conniventia. Aëre siccandae.

Lignum de radice praestantissimum, minus de ramis tenerioribus, de truncis crassioribus neutiquam valens; epidermide et cortice externo canescenti-fusco; corticis stratis interioribus ferrugineis fibrosis; omnibus odore balsamico, sapore pari subaustero amariusculo; ligni stratis extimis albidis, intimis flaviusculis aut flavo-rubicundis; tenax, grave, resinosum; odore et sapore corticis, ast debiliore.

PRAEP. Aqua. Olea destillata. Roob. Spiritus.

KINO.

NAUCLEA GAMBIR HUNTER. UNCARIA GAMBEER ROXB. Fruticulus Indiae orientalis. CL. V. ORD. MONOGYN.

GUMMI KINO, s. GAMBIENSE. Gummi Kino.

Succus inspissatus, extracti sicci similis. Apud nos occurrit in frustulis angulosis, fragilibus, extus pulvere fusco aspersis, fractura angulosa per splendente, vesiculas hinc inde praebentibus, opacis;

coloris rutile-fuliginosi, pulverando fusci; inodoris; saporis adstringentis dulciusculi; in Aqua calida maxima ex parte ac in Spiritu Vini rectificatissimo ad tres quadrantes partes circiter solubilis; solutionibus filtratis intense hyazinthinis perspicuis; aquosa Liquore Ferri saliti commixta, sedimentum copiosum cinerascente-nigrum edit; addito decocto Collae piscium, floccos rufos secernit, et cum Acido Nitri nupta, praecipitatum coloris Ferri oxydati exhibet, aqua supernatante vinaria, clara; etiam a Lixivio caustico turbatur.

Gummi Kino africanum a specie PTEROCARPI oriens et Gummi Kino novi Belgii, EUCALYPTI RESINIFERAE SMITHII, per-rare obvia.

PRAEP. Tinctura.

LAC.

Fluidum proprium foeminae BOVIS TAURI.

LAC VACCINUM. Kuhmilch.

Sit recens albedinis purae, opacum, spissiusculum; ponderis specifici circiter 1,033; parci, sed genuini odoris, alienique expers; saporis dulcis grati. Pauca quantitate ebullitum et Aqua dilutum, instillata Tinctura Iodinae, non caerulescat.

PRAEP. Serum Lactis.

LACCA IN RAMULIS.

CROTON LACCIFERUM L. FICUS RELIGIOSA L. et FICUS INDICA L. Primum arbor ceylanensis, cochinchinensis. CL. XXI. ORD. MONADELPHIA. Reliquae arbores cis- et transgangetanae. CL. XXIII. ORD. DIOECIA, optimam exhibent. RHAMNUS IUIUBA L. vero Laccam inferioris pretii producit. CL. V. ORD. MONOGYN.

RESINA, s. GUMMI LACCAE IN RAMULIS. Roher Stocklack. Stablack.

Resina cerea vel ex arboribus istis, a Cocco Laccae L. Cocco Ficus Fabr. vulneratis, vel e poris lateralibus femellarum insidentium exsudans, siccando ramos incrustans, intermixtis residuis harum femellarum et larvarum. Sit coloris hyacinthini, lucida, dura, percussione dissiliens, superficie granulata, nitoris pinguis; odoris debilis, saporis mucidi, parum amaricantis et adstringentis. Aquam et Spiritum Vini (cum Resina Laccae digestos) rubore coccineo subviolaceo tingens. Ad usum destinata a partibus lignosis, cauta percussione, separanda. Lacca in granis et tabulis, Körnerlack, Schellack, opificibus relinquenda.

* LACCA MUSCI.

Substantiá mucilaginoso-tinctoria, e Lichene Roccella L. Roccella tinctoria Acharii insularum Canariensium; et e Lichene tartareo L. Lecanora tartarea Achar. Slg. off. Pfl. Lf. 11. in rupibus maritimis Sueciae crescente, additis alkalinis, fermentationi commissis, pigmento inde obtento in molendina trito, cribrato et in tabulas oblongo-quadratas redacto, praeparata.

Lacca musci, Lacca coerulea. Blauer Lack, Lackmus.

Tabulae sint pulchre et mere cyaneae, adspectu terreae, leves, solidae quidem, ast depingentes, et fracturae terreo-asperae; odore subalkalino; sapore pari insigniore. Pigmentum maxima ex parte solvatur in Aqua calore 14°, solutione, additis Acidis, effervescente, tum restituto colore eius genuino rubello.

Praep. Charta exploratoria coerulea.

☨ LACTUCA VIROSA.

Lactuca virosa L. Planta annua Germaniae meridionalis, nobis culta. Cl. XIX. Ord. Aequalis. Hayn. I. 47. Slg. off. Pfl. Lf. 4. et 13.

Caulis erectus, teres, paniculatus inferne aculeatus; flores radiati, lutei; receptaculum nudum; calyx imbricatus, cylindricus, margine membranaceus; pappus simplex, stipitatus; semina supra medium striis tuberculosis notata.

HERBA RECENS. Giftiger Lattich.

Folia alterna, sessilia, patentia, inferiora oblongo-lanceolata, sinuato-dentata, undulata, superiora ovato-lanceolata, sagittata, integra, denticulata; utraque parte glauca; carina aculeata, denticulata, dura, rigida; recentia odore narcotico-ingrato, scatentia succo lacteo et maxime ex hoc sapore acri amaro instructa. Ante florescentiam colligenda. PLANTA VIRULENTA.

PRAEP. Extractum.

LAPATHUM ACUTUM.

RUMEX OBTUSIFOLIUS L. RUMEX CRISPUS L. et RUMEX NEMOROSUS SCHR. Plantae perennes Germaniae in locis humidis frequentes. CL. VI. ORD. TRIGYNIA. SLG. OFF. PFL. LF. 13.

RADIX. Grindwurzel.

Radix fusiformis, simplex vel ramosa, superne crassitie pollicari, pedalis et ultra, fibras parcas agens; epidermide in recenti flavescente, in sicca rubro-fusca; substantia interna fibroso-lignosa, pallide ac sordide flava, striis longitudinalibus rubris gummosis percursa; inodora; saporis amaro-acris et subadstringentis; salivam croceo colore imbuens. Antequam caulescit herba, colligenda est.

LAPIDES CANCRORUM.

CANCER ASTACUS L. ASTACUS FLUVIATILIS FABR. Insectum, in lacubus et segnioribus fluminibus ac rivis totius Europae. INSECTORUM ORD. VIII. AGONATA.

LAPIDES, s. OCULI CANCRORUM. Krebsaugen.

Concrementa calcarea, sub aestiva renovatione stomachi dentium ac crustarum prostantia, et ventriculo in capite animalis sito, et quidem utrinque unum, adhaerentia; alba, una parte convexa, altera sinuata, in Acido Nitri, relicta gelatina, cum effervescentia solubilia, texturae lamellosae, superficie, qua ventriculo Cancri adhaerent, umbilicata. Colliguntur de animalibus vivis contusis, Aqua elota et demum siccata.

PRAEP. Lapides Cancrorum praeparati.

LAPIS CALAMINARIS.

OXYDUM ZINCI NATIVUM BAT. GALL. CARBONAS OXIDI ZINCI. BAV.

Minera in Brisgowia, Gallia, Bohemia, Polonia, Austria, Saxonia et Thuringia.

LAPIS CALAMINARIS, CADMIA FOSSILIS. Galmeistein.

Oxydum Zinci terra silicea et oxydo Ferri nuptum; densum durum, modo reniforme in forma stalactitum, uvarumque, modo favosum et erosum etiam crystallisatum; coloris luteo-albicantis, idquidem optimum, ochracei et rubelli; ponderis specifici 3,3—3,5; pulveratum in Acido Vitrioli calefacto solubile, terra silicea in forma gelatinae remanente, solutione ad cuticulam evaporata, crystallos Vitrioli albi emittente.

PRAEP. Lapis calaminaris praeparatus.

* LAVANDULA.

LAVANDULA SPICA L. Fruticulus Europae meridionalis, nobis hortensis. CL. XIV. ORD. GYMNOSPERM. HAYN. VIII. 37 et 38. SLG. OFF. PFL. LF. 3.

FLORES. Lavendelblumen.

OLEUM. Lavendelöl.

Spicae terminales florum ringentium, nondum evolutorum, caeruleorum, suaveolentium; odoris aromatici gratissimi; calyce ovato-tubulato undique

striato crenato-dentato, cinereo-subtomentoso; corolla resupinata pubescente, limbi labio superiore bi-, inferiore trifido. Colliguntur cum bracteis, calycibus et corollis.

Oleum aethereum, destillatione obtentum, e regionibus australibus Europae venale. Sit pallide citrinum, tenue; ponderis specifici 0,890 — 0,894; odore florum insigni genuino; sapore fervido. Serva in vitris probe obturatis.

† LAUROCERASUS.

Prunus Laurocerasus L. Arbor Orientis semper virens, nobis in hibernaculis. Cl. XII. Ord. Monogyn. Hayn. IV. 41. Slg. off. Pfl. Lf. 6.

FOLIA RECENTIA. Kirschlorbeerblätter.

Folia ovato-lanceolata, integra, minutim serrata, margine subrevoluto, coriacea, sursum nitida et laete viridia, subtus pallidiora, glandulis in dorso et quidem ad basin eius binis instructa; odoris sub tritu nuclei mali persici, fragrantis; saporis Amygdalarum amararum, styptici, siccando pereuntis, principio Acidi borussici praedita. Mensibus Julio vel Augusto colligenda.

Praep. Aqua destillata.

* LAURUS.

Laurus nobilis L. Arbor Asiae minoris et Europae australis sempervirens, nobis in hibernaculis. Cl. IX. Ord. Monogyn. Slg. off. Pfl. Lf. 5.

BACCAE. Lorbeeren.

OLEUM LAURINUM. Lorbeerenöl.

Drupae siccatae oblongo-ovatae, utrinque obtusae; epidermide nitida, recentium coeruleo-nigra, siccarum fusco-nigrescente et rugulosa, intra corticem fragilem foventes nucleum conformem, badium laevigatum, bipartibilem solidum, fragrantia propria; sapore balsamico-amaro, pinguiusculo.

Oleum aethereo-unguinosum de baccis recentibus coctis expressum; sit e flavo et cinereo viride, fere butyraceum, subgranulosum; odoris baccarum insignis; saporis paris; calore sine residuo facile liquescens; in Naphtha Vitrioli totum solubile; in Spiritu Vini rectificatissimo solvendum, solutione odorem et saporem aether-oleosum referente, remanente Oleo pingui incolore, inodoro, insipido. Adfertur ex Italia.

LEDUM PALUSTRE.

Ledum palustre L. Fruticulus in sylvaticis, uliginosis, turfosis etc. Germaniae septentrionalis. Cl. X. Ord. Monog. Hayn. III. 21. Slg. off. Pfl. Lf. 4.

HERBA LEDI PALUSTRIS; Rosmarini sylvestris. Porsch. Wilder Rosmarin.

Caulis fruticulosus, cortice primum ferrugineo, demum cinereo vestitus, ramosus; flores albi, interdum rubicundi, pedunculati in corymbum terminalem dispositi; folia linearia, obtusiuscula, duriuscula, sempervirentia, margine revoluta, iuniora ferruginea, adultiora superne saturate viridia, subtus tomentosa, ferruginea; saporis amariusculi sub adstringentis, aromatici; digitis trita odoris graveolentis, eo Chenopodii ambrosiaci similis.

LEVISTICUM.

Ligusticum Levisticum L. Planta perennis alpina, in hortis medicis et in Franconia culta. Cl. V. Ord. Digynia. Hayn. VII. 6. Slg. off. Pfl. Lf. 6.

RADIX. Liebstöckelwurzel.

Radix teres, spithamam usque pedem longa; rhizomate siccato percrasso, transversim annulato-rimoso, in ramos plures excurrente; epidermide laetefusca, nigrescente, longitudinaliter rugosa; radix transversim scissa albicans, centrum flavescens subfuscum et telam spongiosam, lamelloso-favosam

praebens, premendo gummi resinam aethero-oleosam spissam luteam edentem; odoris ac saporis dulciusculi, aromatico-balsamici, subacris.

* LICHEN ISLANDICUS.

Cetraria islandica Acharii. Lichen islandicus L. Lichen in montibus Silesiae, Thuringiae, Hercyniae aliisque montosis frigidis Europae borealis frequens. Cl. XXIV. Ord. Lichenes. Slg. off. Pfl. Lf. 11.

LICHEN ISLANDICUS. Isländisches Moos.

Lichen siccus, foliaceus, sinuatus, laciniatus, laciniis erectiusculis, sublinearibus multifidis, canaliculato-ciliatis, fertilibus dilatatis; apotheciis adpressis planis concoloribus; siccatus coloris cinerei, vel ex albo viridiusculi, vel fusci et fulvi; saporis amari mucilaginosi, subadstringentis.

Praep. Gelatina.

LILIUM ALBUM.

Lilium candidum L. Planta perennis Syriae ac Palaestinae, nobis in hortis. Cl. VI. Ord. Monogyn. Hayn. VIII. 26. Slg. off. Pfl. Lf. 2.

FLORES. Weiße Lilie.

Flores: corollis magnis campanulatis, petalis sex niveis, lanceolatis, obtusis, erectis, apicibus revolutis; antheris luteis; recentes odoris fragrantis, sicci nullius; sapore subdulci, glutinoso.

Praep. Oleum coctum.

LILIUM CONVALLIUM.

Convallaria maialis L. Planta perennis in sylvis umbrosis frequens. Cl. VI. Ord. Monogyn. Hayn. III. 18. Slg. off. Pfl. Lf. 2.

FLORES. Maybluмen.

Flores, in scapo erecto, nudo, laevi, anguloso, racemoso, secundo, breviter pedunculati, nutantes,

candidi, monopetali; corolla campanulata, sexfida, laciniis ovatis acutulis revolutis; suaveolentes; siccati sternutationem moventes.

LINARIA.

Antirrhinum Linaria L. Planta perennis in muris, ruderatisque frequens. Cl. XIV. Ord. Angiospermia. Hayn. VI. 33. Slg. off. Pfl. Lf. 5.

HERBA RECENS. Leinkraut. Frauenflachs.

Herba florens; foliis sparsis, confertis, lanceolato-linearibus, sessilibus, sursum laete, subtus pallidius viridibus, glabris, integerrimis; floribus in spicam terminalem, densam, racemosam dispositis, ringentibus, luteis ex aurantiaco maculatis, calcaratis; odoris suburinosi; saporis subamari, ingrati. Colligenda mense Julio.

Praep. Unguentum.

* LINUM.

Linum usitatissimum L. Planta annua sativa Europae borealis. Cl. V. Ord. Pentagyn. Hayn. VIII. 17. Slg. off. Pfl. Lf. 8.

SEMEN. Leinsamen.

OLEUM. Leinöl.

Semina parva, ovata, compresso-plana, fusca, glabra, nitida; nucleo albido, mucilaginoso, unguinoso; saporis ingrate dulcis et oleosi; odoris nullius, non rancidi.

Oleum ad usum internum sit recenter expressum, pallidius-flavum, ponderis specifici 0,930—0,940; odoris graviusculi; saporis paris unguinosi, aëris attactu siccandum; ad usum externum venale purum et rancoris expers adhiberi licet.

* LIQUIRITIA.

Glycyrrhiza glabra et Glycyrrhiza echinata L.? Suffrutices, primus Europae meridionalis, in Fran-

conia cultus, alter Russiae meridionalis. Cl. XVII. Ord. Decandria. Hayn. VI. 42 et 41. Slg. off. Pfl. Lf. 10.

RADIX LIQUIRITIAE. Glycyrrhizae. Süßholz.

SUCCUS, s. Extractum siccum crudum LIQUIRITIAE. Lakritzen-Süßholz-Saft.

Radix sarmentosa, perlonga, quae non ultra duos pollices crassa, nec nimis tenuis sit, teres; recens flexilis, tenax; sicca dura; epidermide griseo-ferruginea, neutiquam, ut et reliqua radix, nigrescente; scabra; cortice ligneo compactiori, attamen lamelloso, coloris pallide sulphurei; substantia interna laete flava, radiata lamellis concentricis fibrosis, illis corticis tenuioribus, in recentibus fasciculos vasorum monstrantibus; recens odoris proprii dulciusculi, sicca vix odorata; saporis perdulcis dein amaricantis, subacris. Ante pulverationem ab epidermide liberanda.

Succus venalis e radicibus recentibus coctione in Aqua paratus, e fusco-niger, durus, fractura conchoidea, picei splendoris; saporis dulcis subacris; in Aqua solubilis, pauculum principii extractivi oxydati relinquens. Ex Hispania et Sicilia in massis spithamam circiter longis pollicem et infra crassis latisque, Lauri foliis involutus, advehitur. Reiiciatur Cupro alienatus et empyreumaticus, qui primus oculo armato, vel, solutus, mediante Ferro polito exploratur.

Praep. Elixir. e Succo Liquiritiae. Extractum. Pasta. Syrupus.

✠ * LITHARGYRUM.

Oxydum Plumbi semivitreum Bat. Oxydum Plumbi fusum Gall. Oxidulum Plumbi semifusum Bav. Deutoxydum Plumbi.

E cupellatione Argenti Aurique, Plumbo accedente, natum.

LITHARGYRUM. Bleyglätte.

Glebae ponderosae, ponderis specifici 6,044; nitidae, tactu pingues, ex albo vel rubello sordide

flavescentes, compagis lamellaceae, micantes, in Aceto concentrato coquendo fere solubiles. Cuprum et metalla heterogenea non contineat, itaque postquam Acido Nitri calido solutum, et Plumbum oxydatum Acidi Vitrioli ope e solutione plane praecipitatum est, liquor innatans filtratus nec laminam Ferri politam immersam Cupro metallico obducat, neque, cum Liquore Salis Tartari supersaturatus, oxyda metallica vel terras deponat.

Praep. Acetum. Aqua vegeto mineralis Goulardi. Ceratum Saturni. Emplastra saturnina.

LUPULUS.

Humulus Lupulus L. Planta dioica perennis Germaniae, foemina copiose colitur. Cl. XXII. Ord. Pentand. Hayn. VIII. 36. Slg. off. Pfl. Lf. 8.

STROBILI. Hopfen.

Amenta foeminea matura, subrotunda, laxe imbricata; squamis ovatis, membranaceis, tenuibus, nervosis, suppellucidis, mollibus, siccatis ex albido flavis, tactu viscidulis, basi semen solitarium, subrotundum nigrum foventibus, composita et pulvere flavo multo repleta; odoris grati, balsamici, narcotici; saporis amari non ingrati.

* LYCOPODIUM.

Lycopodium clavatum, Lycopod. annotinum, et Lycopod. complanatum L. Stachyopterides perennes in sylvis Germaniae. Cl. XXIV. Ord. Stachyopterides. Hayn. VIII. 47. Slg. off. Pfl. Lf. 5.

SEMEN. Bärlappsamen. Hexenmehl.

Semina e spicarum, in furno siccatarum, capsulis excussa et per cribrum traiecta. Oculo inermi exhibentia pulverem farinosum, pallide flavum, tenerrimum, armato globosa, subcompressa, subdiaphana, pallide sulphurea; attactu unguinosa mollia, digitis adhaerentia; inodora; insipida; Aquae innatantia

nec miscibilia; accensa cum strepitu sine fumo resinoso deflagrantia. Tinctura Antimonii acri infusa, non rubescentia. Ante capsularum rupturam colligenda.

MACIS.

Myristica moschata Thunbg. Myr. aromatica Lamk. Arbor Indiae orientalis, praesertim insulae Bandae, etiam culta in insula Francia. Cl. XXII. Ord. Monadelph. Hayn. IX. 12. Slg. off. Pfl. Lf. 8.

MACIS. Muscatenblüthe.

Arillus Nucis moschatae, rutilo fulvus, corneo-coriaceus, subdiaphanus, flexilis, linearis et late-laciniatus, striatus, laciniis incurvis; compressus Oleum exsudans; odoris ac saporis Nuci moschatae similis, praestabilioris. Serva vasis bene clausis.

Praep. Oleum. Tinctura.

* MAGNESIA NIGRA.

Manganum oxydatum nativum Bor. Oxydum Magnesii nigrum nativum Bat. Oxydum Mangani nativum Aust. Manganesium Bav. Oxydum Mangani nigrum Gall. Manganum. Magnesia vitriariorum. Manganum hyperoxydatum.

Fossile metallicum, acquiritur e Thuringia, Saxonia, Bohemia, et Ducatu nassoviensi.

MAGNESIA NIGRA. Braunstein. Mangan-Ueberoxyd.

Occurrit in massis crystallinis et densis; crystalli columnares, rhomboidei, laeves, crebrius longitudinaliter striati, mox aciculi- mox lamellaeformes coaliti, saepius in radios digesti; massae densae globuliformes, pulvere nigro, fuliginem aemulante obductae, texturae radiatae vel laminosae, fracturae minutim-granulosae, hic splendoris metallici et coloris chalybeo-grisei, depingentis; ponderis specifici 3,6—3,76; vase clauso ignita, seu coctione cum Acido

Vitrioli Gas oxygenium et cum Acido Salis Gas acidum Salis oxygenatum (Chlorinum, Halogen) largiens; in Acido Nitri insolubilis.

PRAEP. Gas oxygenium.

MAIORANA.

ORIGANUM MAIORANA L. Planta annua Europae meridionalis, nobis culta. CL. XIV. ORD. GYMNOSPERM. HAYN. VIII. 9. SLG. OFF. PFL. LF. 12.

HERBA. Majoran.

Herba florida; folia in caule erecto, tetragono et in ramulis conformibus opposita, petiolata, ovata, obtusa, punctata, venis lineata, pubescentia, e viridi-albicantia; flores inter foliola spicarum ovato-subrotunda imbricata sessiles albi; tota planta odore fragrante grato, sed gravi; sapore simili balsamico subcamphorato, acriusculo subamaro. Folia recentia subsucculenta. Colligitur floribus recenter evolutis. Serva vasis probe clausis.

PRAEP. Butyrum. Oleum destillatum.

MALVA ARBOREA.

ALTHAEA ROSEA CAVANILLES. ALCEA ROSEA L. Planta biennis orientalis, nobis hortensis. CL. XVI. ORD. POLYANDR. HAYN. II. 26. SLG. OFF. PFL. LF. 4.

FLORES. Pappelrosen.

Calyx: perianthium duplex, utrumque monophyllum, tomentosum, hirtum, exterius profunde sex- vel novemfidum, laciniis angustioribus, interius quinquefidum longius, laciniis latioribus acutioribusque; corolla atropurpurea, magna, saepe plena, tum rosaeformis; petalis quinque obcordatis, praemorsis, latis, planis, tubo staminum basi affixis; saporis mucilaginosi subadstringentis; colore variegata non adhibenda. Tota evoluta colligenda.

* MALVA VULGARIS.

MALVA ROTUNDIFOLIA L. Planta annua ubique ad vias et sepes. CL. XVI. ORD. POLYANDRIA. HAYN. II. 27. SLG. OFF. PFL. LF. 5.

HERBA. Gemeine oder Käsepappel.

FLORES. Pappelblumen.

Folia longius petiolata, cordato-orbiculata, subquinqueloba, denticulata, utrinque minutim pubescentia, sordide et obscure viridia, subtus nervosa; inodora; saporis subviscidi, mucilaginosi. Colliguntur mensibus Julio et Augusto.

Corolla monopetala, quinquepartita, sit vel caerulescens vel rubicunda, venis aut rubris aut caeruleis picta; inodora; mucilaginosa.

* MANNA.

Fraxinus Ornus. Fr. excelsior. et Fr. rotundifolia L. Arbores Europae australis, inprimis Calabriae et Siciliae. Cl. XXIII. Ord. Dioecia. Slg. off. Pfl. Lf. 5.

MANNA. Manna.

Succus mucilaginoso-saccharinus e cortice ramulorum, ictu Psylli et Kermes specierum vel Cicadae Orni L. vulnerato, exsudans et, seu in stalactitorum forma, seu in massis, attactu aestus solaris indurescens. Manna est variae formae aut canaliculata oblonga aut plana subcylindrica, nonnunquam fistulosa aut granulosa, potius grumosa (Manna canaliculata et electa); sit albida parum flavens, levis, sicca; calore manus emollienda, tunc subviscida, fragilis in fragmina aciculoso- vel granuloso-lamellosa, albidiora, sericeo-nitentia; odore proprio submelleo; sapore dulci, tandem subacri ingrato. Solvatur in pari pondere Aquae fervidae, vix decima quinta parte immunditiarum excepta, solutione limpida sublutea, et in tribus partibus Aquae calore 14°. Octo partes Spiritus Vini rectificatissimi fervidi unam eius recipiant, solutione refrigerata eam crystallisatam edente. Igne primum Cerae instar fluat, dein turgeat et comburatur. Serva loco sicco frigido. Absit Manna crassa, mollis, sordida, tenax, flavo-

fusca, quae plerumque cum Saccharo farinaceo, Farina et Melle adulteratur.

Praep. Syrupus.

* MARRUBIUM ALBUM.

Marrubium vulgare L. Planta perennis in ruderatis et aridis elatis Europae borealis et temperatae. Cl. XIV. Ord. Gymnosp. Slg. off. Pfl. Lf. 6.

HERBA. Weißer Andorn.

Foliis petiolatis, pollicaribus; in caule inferius tomentoso quadrangulo, erecto ramoso; oppositis, rotundato-ovatis, rugoso-venosis, utrinque pubescentibus, grosse ac impari-crenatis; odoris, dum recens est et digitis trituratur, fragrantis balsamici; saporis amari, acri-salsi diu persistentis. Colliguntur ante florescentiam. Flores verticillati albi in axillis foliorum.

Ballota nigra L. caule maiori, foliis cordato-subrotundis, margine acute-dentatis, viride-nigrescentibus; odore ingrato foetido, floribus purpurascentibus, et Nepeta Cataria L. foliis cordato-ovatis, dentato-serratis, pubescentibus, odore Menthae simili ab eo satis differunt.

Praep. Extractum.

MARUM VERUM.

Teucrium Marum L. Fruticulus Europae calidioris, nobis in hibernaculis. Cl. XIV. Ord. Gymnospermia. Hayn. VIII. 2. Slg. off. Pfl. Lf. 4.

HERBA. Katzenkraut, Amberkraut.

Fruticulus floridus, ramis albo-tomentosis; foliis ovatis, acutis, petiolatis, integris, oppositis, ad marginem subrevolutis, superne viridibus, inferne albidis, tomentosis, duriusculis; floribus racemosis secundis ringentibus, pallide-rubris; calyce villoso. Plantae totius fragrantia eximia est; sapor acris, aromaticus, amaricans, mastichino-camphoreus. Decerpitur florens, et servatur in vitris clausis.

MASTICHE.

Pistacia Lentiscus L. Arbor Archipelagi Graeci, praesertim insulae Chii; et Pistacia atlantica Desfont. Arbor Barbariae. Cl. XXII. Ord. Pentand. Slg. ofe. Pfl. Le.9.

RESINA, s. Gummi MASTICHES. Mastix.

Resina aestate siccissima sponte, praecipue vero e cortice trunci et ramorum transversim inciso in lacrimarum forma stillans ac mox sole indurescens; grana difformia, Lentis usque Pisi magnitudinis, plerumque saltem maiora oblonga et complanata, minoribus saepe sphaericis, albido-straminea, pellucida, vitrei splendoris, levia, sicca; superficie pulvere detrito aspersa, arida, friabilia, tritura alba, valde fragilia, fractura vitreo-conchoidea; odoris praesertim accensa, suavis balsamici; saporis debilis paris amariusculi. Dentibus comminuta etsi primum dissiliunt, denique tamen lentescant; leni calore liquentur, et accensa vivide deflagrent fumo fuliginoso. In Spiritu Vini rectificatissimo bullienti soluta non ultra decimam partem sui ponderis massae tenacis elasticae irresolutae relinquant. In Oleo Terebinthinae facile solvantur, conditionibus similibus.

MATRICARIA.

Matricaria Parthenium L. Pyrethrum Parthenium Smith. Planta perennis Germaniae, nobis hortensis. Cl. XIX. Ord. Superflua. Hayn. VI. 20.

HERBA. Mutterkraut.

Herba cum floribus, foliis alternis planis, petiolatis, pinnatis, scabriusculis, pinnis pinnatifidis, incisis, dentatis; coloris pallide-viridis, utrinque scabriusculis et punctis impressis; flores terminales, corymbosi, pedunculati, flosculi radii breves lingulati tridentati, albi, disci tubulosi, lutei; calyce hemisphaerico, imbricato, squamis margine scariosis; omnes odoris fragrantis, Chamomillam et Tanace-

tum aemulantis graviusculi; saporis paris, amari. Ante florescentiam colliguntur.

* MEL.

Substantia saccharina, spissiuscula, e nectariis florum ab Apibus melliferis L. collecta, et in earum corpore quodam modo modificata.

MEL ALBUM, virgineum. Weißer oder Jungfern-Honig.
MEL COMMUNE, flavum. Gemeiner Honig.

Mel album, sponte e favis iuniorum apium effluxum, granulosum, albidius, fragrantius, gratius, omnino optimum est.

Mel commune calore et pressione e cellulis ceraceis apium elicitum, saturatius flavum; recens consistentiae aequabilis, vetustius granuloso-crystallinum, opacum et solidius; ponderis specifici incirca 1,333; odoris genuini balsamici grati; saporis dulcissimi amoeni, sub finem fauces vellicantis. In Aqua frigida penitus, et pari fere modo in Spiritu Vini rectificatissimo solvatur, Aqua dilutum et ebullitum addita Tinctura Iodinae non coerulescat, quia, si coerulescat, Amylum et farinam continet.

Praep. Mel despumatum. Mel rosarum. Oxymel.

* MELILOTUS.

Trifolium melilotus officinalis L. Melilotus officinalis Pers. Planta annua et biennis, per totam Germaniam frequens. Cl. XVII. Ord. Decand. Hayn. II. 31. Slg. off. Pfl. Lf. 7.

HERBA. Steinklee.

Herba florens, caule erecto, subanguloso, striato glabro, ramoso; foliis alternis, petiolatis, glabris, ternatis, foliolis ovato-oblongis obtusis, acute serratis, inferis subsessilibus, terminali petiolato; stipulis lanceolato-subulatis; pedunculi axillares in racemum longum, subcylindricum, cernuum terminati; flores alterni pedicellati, corolla papilionacea flava; odoris

Asperulae odoratae mellei; saporis mucilaginei amaricantis, subacris. Mense Julio colligenda.

Praep. Emplastrum.

MELISSA.

Melissa officinalis L. Planta perennis Germaniae meridionalis, nobis hortensis. Cl. XIV. Ord. Gymnosperm. Hayn. VI. 32. Slg. off. Pfl. Lf. 1.

HERBA. Melisse.

Foliis subcordato-ovatis, petiolatis, grosse et obtuse serratis, rugosis, supra viridibus, scabriusculis, pilosis, subtus glaucis; odoris citrei; saporis similis herbaceo-amariusculi. Summitates et folia ante florescentiam colligenda.

A Ballota nigra L. odore satis distincta, aeque ac a Nepeta Cataria et Lamio purpureo.

Praep. Aqua. Spiritus.

MENTHA CRISPA.

Mentha crispa L. Planta perennis in Sibiria spontanea, nobis hortensis. Cl. XIV. Ord. Gymnosperm. Slg. off. Pfl. Lf. 1.

HERBA. Krausemünze.

Foliis oppositis sessilibus, cordato-subrotundis, acutiusculis, inciso-serratis, crispis, rugosis, supra intense viridibus scabriusculis, subtus subpilosis; spicis capitatis, staminibus corollam fere aequantibus; odoris perfragrantis, aciduli; saporis aromatico-calidi, tunc refrigerantis amariusculi. Ante florescentiam summitates et folia colligenda sint. Caulis erectus, subpilosus, tetragonus. Serva in vasis probe clausis. Mentham crispatam Schrad. Slg. off. Pfl. Lf. 13, pro Menth. crispa substituere licet.

Ne cum Mentha dentata Willd. floribus verticillatis; foliis ovatis, undulatis, acute-serratis, sessilibus commutetur.

Praep. Aqua. Oleum destillatum.

* MENTHA PIPERITIS.

Mentha piperita Smith. Planta perennis Angliae, nobis hortensis. Cl. XIV. Gymnosperm. Slg. off. Pfl. Lf. 1.

HERBA. Pfeffermünze.

Foliis oppositis, breve petiolatis, ovato-lanceolatis, acutis, acute-serratis, superficie sulcatis, glabris intense-viridibus, subtus venis pubescentibus; odor fragrans, aethereo-oleosus, quasi camphoratus; sapor aromatico-fervidus, demum per-refrigerans; spica obtusa inferne interrupta, corolla dilute-violacea, staminibus brevioribus; calyce basi glaberrimo; caulis erectus, ramosus, tetragonus, glabriusculus. Colliguntur folia cum summitatibus subfloridis.

Mentha viridis et M. gentilis L. crebrius cum piperita commutantur; prior foliis lanceolatis longioribus, nudis, acute-serratis, sessilibus; spicis oblongis, terminalibus, tribus plerumque; staminibus corolla duplo fere longioribus; Mentha gentilis foliis ovatis, obtusiusculis; caule ramosissimo; floribus verticillatis. Varietatem Menthae hirsutae γ. Smith. (Mentham piperitam Linn. spec. plantar.) aquaticae affinem reiice.

Praep. Aquae. Oleum destillatum. Rotulae.

✠ * MERCURIUS VIVUS.

Hydrargyrum. Hydrargyrus.

Metallum liquidum, seu nativum (Gediegen Quecksilber), seu praecipue cum sulphure nuptum (Zinnober, Quecksilber-Leberez) in fodinis Hispaniae, Ydriae, Carniolae, in principatu Bipontino etc. reperitur, ac destillatione et reductione cum Ferro aut Calce viva obtentum.

MERCURIUS VIVUS. Quecksilber.

Temperatura ordinaria liquidus; splendoris permetallici, coloris stannei, frigidus digitis non adhaerens; inodorus; insipidus; super charta laevi facile currens, et tactu in globulos orbiculares dissiliens, qui, pellicula expertes, nihil sordidi relinquunt;

quiete, aëris attactu, vix mutabilis, sed diu aëre accedente agitatum, tandem in oxydulum gryseo-nigricans pervertitur, ac per longum temporis spatium aestuatus in oxydum rubrum mutatur; cum Aqua destillata tritus, eam non inquinans; ponderis specifici 13,568—14,110; temperatura 32° rigescit, et aestu sublimationis evaporet sine residuo, vaporibus pulmonibus noxiis. Frigore nec in Acido Vitrioli nec Salis solubilis sit, facile vero et sine residuo in Acido Nitri; cum Aceto concentrato coctus eo nullam dulcedinem, ob tenorem Plumbi, concilians; a reliquis metallis uti, Stannum, Bismuthum liber sit, si talis non prostet, depuratur encheiresi in parte secunda dicta.

Praep. Aethiops antimonialis. Aqua phagedaenica. Cinnabaris artificialis. Emplastrum mercuriale. Liquor Mercurii nitrosi frigore paratus. Mercurius calcinatus ruber. Mercurius dulcis. Mercurius praecipitatus albus. Mercurius solubilis Hahn. Mercurius sublimatus corrosivus. Mercurius vivus depuratus. Pilulae purgantes. Turpethum minerale. Unguentum mercuriale. Unguentum mercuriale citrinum. Unguentum mundificans.

✝ MEZEREUM.

Daphne Mezereum L. Fruticulus in sylvis et nemoribus montosis Germaniae indigenus. Cl. VIII. Ord. Monogyn. Hayn. III. 43. Slg. off. Pfl. Lf. 2.

Fruticulus tri- seu quadripedalis erectus, dichotomus; floribus primo vere in racemum dispositis, purpureis, sessilibus, ternis e quavis gemma; statim post florescentiam folia e gemmae apice prodeuntia fasciculata, demum alterna, lanceolata, integerrima glabra; baccae maturae rubrae.

CORTEX. Seidelbast-, Kellerhals-Rinde.

Cortex siccus, epidermide gryseo-rubella, longitudinaliter rugosa, minutim nigro-punctata; cortice tenuissimo, flavido-viridi; libro e stramineo-albido, tenaci, fibroso, fisso lanuginoso; odoris parci, sternutationem cientis; saporis peracris, os rodentis,

aeque ac si cuti applicatur. Sub florescentia colligendus. PLANTA VIRULENTA.

* MILLEFOLIUM.

ACHILLEA MILLEFOLIUM L. Planta perennis ubique frequens. CL. XIX. ORD. SUPERFLUA. HAYNE IX. 45. SLG. OFF. PFL. LF. 1.

HERBA. Schafgarben. Schafrippen.

SUMMITATES. Schafgarbenblumen.

Folia radicalia petiolata, duplicato-pinnata, pinnulis obovatis oppositis incisis, lobulis acutis, supra minutim pubescentia, subtus lanuginosa; odoris debilis aromatici; saporis similis fortioris amari herbacei subausteri. Collige ante caulium formationem.

Flores albi, rarius rosei, compositi, radiati, in corymbum densum planum digesti, calyce ovato imbricato, squamis pubescentibus acutis; odoris aromatici ab odore florum Chamomillae non alieni; saporis balsamici amari subacris. Collige evolutos.

PRAEP. Extractum. Tinctura.

MILLEPEDES.

ONISCUS ASELLUS L. et FABRICII. Insectum in muris antiquis locisque humidis frequens. INSECTORUM ORD. VI. MITOSUTA.

MILLEPEDES. Kellerwürmer. Kelleresel.

Insecta oblonga, annulis cartilagineis imbricatis cincta, dorso cinereo, abdomine albo; antennis filiformibus, quatuordecim pedibus et cauda obtusa bifida instructa; odoris submucidi; saporis nauseosi, e dulci salsi et subacris. Quamdiu pro anni tempore recentia prostant, talia adhibe, secus sacculo linteo tenui immissa, Spiritus Vini bullientis vaporibus in vase clauso necata, ac calore, 14° non excedente, siccata serva in vitris clausis loco sicco.

✠ * MINIUM.

Oxidum Plumbi rubrum Bat. Gall. Bav. Plumbum oxydatum rubrum. Tritoxydum Plumbi.

Paratur in Anglia et Germania, praecipue prope Norimbergam, ustione Plumbi oxydulati flavi (Massicot), sub aëris accessu.

MINIUM. Mennige. Bleiüberoxydul.

Pulvis subtilis ex aurantiaco-ruber, oculo armato micaceus adparens; ponderis specifici 8,940; retorta terrea excandefactum Gas oxygenium largiens, Plumbo oxydulato flavo vel fortiori igne, vitro metallico (Lithargyro) remanente. Cuprum et metalla aliena non contineat, inde oxydulum flavum, exaestuatione Minii residuum, integre in Acido Nitri solvatur, et solutio, affuso Liquore Natri sulphurici (Salis mirabilis Glauberi) a Plumbo plane liberata, tunc filtrata, instillato Liquore Kali ferreo-borussici vel Salis Tartari a metallis libera reperiatur.

Praep. Emplastrum matris.

MORUS.

Morus nigra L. Arbor originis Sinicae, in Europa culta. Cl. XXI. Ord. Tetrandr. Slg. off. Pfl. Lf. 5.

FRUCTUS RECENTES. Schwarze Maulbeeren.

Baccae compositae, atro-purpureae vel nigrescentes; succo rubro, acidulo, grato subadstringente, turgidae.

Praep. Syrupus.

* MOSCHUS.

Moschus moschiferus L. Pecus Asiae elatioris inprimis peninsulae Transgangetanae, regni Thibetani ac Sibiriae australis sylvas montosas incolens. Cl. I. Ord. Bisulca.

MOSCHUS. Bisam.

Folliculi umbilicales maris retro umbilicum siti, ultra pollicem ex abdomine prominentes. Sint in-

tegri sine suturis, rotundo-oblongi, complanati; magnitudine Ovi gallinacei, transversim dissecti dimidium aequantes et minores, pollicem aut sesquialterum lati, hinc convexi inde plani, turgidi; vestiti membrana duplici, extima cinereo-brunnea, obsita pilis-albido-flavis vel rufis crassis, crassioribus infimis cavis, subsetosis undulatis, versus apicem folliculi radiatim in verticem convergentibus adpressis non stipatis; membrana interna subtiliori obscurius brunnea, quo recentior eo albidior; parenchymate celluloso, loculamentis intersepto farcto materie maxima ex parte gelatinoso-pingui et Oleo aethereo impraegnata, Moscho dicta, pro vetustatis ratione mutabili et ceteroquin pro climatis, animalis statu et conservationis modo diversa.

Moschus recentior sit consistentiae aequabilis, subgrumulosus, attactu siccus, nihilominus unguinosus, sanguineo-fuscus, atmosphaerae accessu coloris intensioris, tritus micans punctis subresinosis lucidius flavicantibus, non sabulosus; odoris gravissimi valde diutini, solum particularum minorum ac e distantia grati, proprii illo Alkali volatilis mixti; saporis ex acri amari penetrantis exaestuantis. Moschus magis exsiccatus sit granuloso-grumosus granulis et grumis sibi non cohaerentibus, ferrugineo-nigris, siccis, attactu unguinosus; odoris non amplius Alkali volatilis, ceterum uti et saporis dicti. Combustus non foeteat odore animali empyreumatico, et nisi paucos cineres relinquat. Aqua calida etsi modo ex parte, tamen potius quam in Spiritu Vini rectificatissimo solvatur. Moschus Transgangetanus optimus est. Serva probe in vitris epistomiis vitreis, vesica tecta, loco frigido, et propria supellectile dispensa.

Moschus Cabardinus in folliculis similibus, sed pilis ex albido-argenteis, densis, durioribus tectis; siccior, durior; odoris debilioris, quasi vegetabilis aromatici, medicina non adhibendus.

Praep. Tinctura.

* MYRRHA.

Amyris Kataf Brucei? Arbor Arabiae felicis, Aethiopiae et Abyssiniae. Cl. VIII. Ord. Monogyn.

MYRRHA. Gummi Myrrhae. Myrrhe.

Succus gummi-resinosus in frustis conglomeratis vel granis difformibus advehitur, quae sint pallide rufo-flaviuscula, nitoris pinguis, subpellucida, verrucosa-scabrida, levia; attactu, inprimis compressa, pinguiuscula, friabilia in pulverem coloris memorati unguinose cohaerentem; fragilia, fractura conchoidea maculis et striis albis, nonnunquam resegmentis unguium similibus, variegata et unguinose splendente; aromatice-nec inamoene-, etsi graviuscule-fragrantia; saporis paris simulque amari et oleosi. Calefacta non liquentur, sed inflammata deflagrent flamma lucida. In Aqua, quamvis solum ex parte, tamen facilius ac in Spiritu Vini rectificatissimo solvantur, solutione flava, aquosa lactescente. Gummi-resinam propriam, non rare Myrrhae intermixtam, magnitudinis nucis avellanae vel iuglandis, albidam vel flavescentem, nitoris languidi, eiusdemque fracturae, inodoram, saporis peramari non aromatici, elige ac reiice.

Praep. Extractum. Liquamen. Tinctura.

NICOTIANA.

Nicotiana Tabacum L. Planta annua Americae meridionalis, nobis culta. Cl. V. Ord. Monogyn. Slg. off. Pfl. Lf. 12.

Caulis erectus, teres, villosus, subviscidus; flores in panicula digesti; corolla rosea, infundibuliformis, limbo plicato; stamina inclinata; calyx quinquefidus; capsula bivaluis, bilocularis, polysperma.

HERBA. Tabak.

Folia oblongo-lanceolata, magna, sessilia, integerrima, pubescentia, viscosa; superius obscure, inferius pallidius viridia; sicca flavescentia; costis albo-virescentibus percursa; odoris gravis, narcotici;

saporis amaricantis, subacris, nauseosi. Ante florescentiam collecta probeque siccata, nec atrum colorem prae se ferentia, multo minus contorta, in usum trahuntur.

Praep. Extractum.

* NITRUM.

Kali nitricum Bor. Nitras potassae Bat. Gall. Nitras lixiviae Aust. Nitras potassae crudus Bav. Sal; magna eius copia ex Oriente venit, in Europa sicut et in Hassia ex propriis terris peculiari ratione excoquitur.

NITRUM CRUDUM. Roher Salpeter. Salpetersaures Kali.

Occurrit vel in cristallis vel in glebis cristallinis; cristalla, praesertim illa ex India orientali allata, crassa, longa, alba, diaphana, irregulariter-columnaria, hexagona, striata, utrinque oblique truncata, vel lateribus sex, pyramidatis, acuta; saporis acris-amariusculi, refrigerantis; ponderis specifici 2,000; tactu aëris non deliquescentia; temperatura ordinaria in Aquae partibus septem et in duabus Aquae bullientis solubilia; igne funduntur, et illo aucto Gas oxygenium (dephlogisticatum), dein azoticum (phlogisticatum) emittunt; prunis iniecta lucide deflagrant. Glebae cristallinae impuriores, plus salibus terreis inquinatae aeque ac muriaticis alkalinis saepius adulteratae, inde humidae fiunt. Liquor Salis Tartari terras e solutione earum secernit, et Liquor Argenti nitrici salia muriatica indicat.

Praep. Acidum Nitri. Acidum Nitri fumans. Nitrum depuratum. Spiritus Nitri dulcis.

NUX MOSCHATA.

Myristica moschata Thunbg. Myr. aromatica Lamarck. Arbor Indiae Orientalis, praesertim Insularum Moluccarum, maxime Bandae, etiam culta in insula Francia; Cl. XXII. Ord. Monadelphia. Hayn. IX. 12. Slg. off. Pfl. Lf. 8.

NUX MOSCHATA. Muscatennuß.

OLEUM NUCISTAE. Balsamum nucistae. Oleum aethereo-pingue nucleorum Myristicae moschatae. Muscatennuß-Oel, -Balsam.

Nuclei elliptico-rotundi, pulvere albo parco adspersi, flavido-fusci, venoso-reticulati, apice umbilicati, ponderosi, duriusculi, intus subfusco-albidi, venis et striis croceis brunneisque variegati, unctuosi; odoris fragrantis aromatico-acris; saporis eiusdem fervidi. Leves et a vermibus erosos ne emas. Servantur in vasis clausis.

Oleum aethereo-pingue expressione Nucum moschatarum obtentum, ex India Orientali advectum, in panibus seu massis oblongis quadrangularibus occurit; extus e rubello-flavis, intus maculis rubellis variegatis; consistentiae Sevi vervecini; tactu pingue; Aqua levius; inflammatu facile, et laete fere sine fumo ac fuligine deflagrans; odoris aromatici; saporis aromatici, pinguis, utriusque Nucis moschatae proprii. In Naphtha Vitrioli penitus solubile, solutione pellucida, residuum pingue ab Spiritu Vini rectificato colore privetur. Cavendum est, ne cum pinguedine quocunque alienatum seu a destillatione Olei Nucis moschatae aetherei residuum accipias, quod ultimum colore albidiore, consistentia duriore, tactu arido ac odore debiliore, Oleo aethereo carente, recognosceris.

✠ NUX VOMICA.

Strychnos Nux vomica L. Arbor Zeilonae et Malabariae in arenosis. Cl. V. Ord. Monogyn. Hayn. I. 17. Slg. off. Pfl. Lf. 7.

NUX VOMICA. Krähenaugen.

Semina orbicularia, tres quadrantes pollicis partes fere lata, utrinque compresso-plana, uno latere intorta, umbilicata, lineam ad duas crassa; epidermide cinerea coriacea; tomento tenui adpresso flavo

brunneo, sericeo-nitente; vix balsamice odorata; sapore amarissimo, nauseoso. NARCOTICUM.

PRAEP. Extractum.

OLEUM ANIMALE DIPPELII.

OLEUM ANIMALE AETHEREUM BOR., BAV., AUST. OLEUM PYRO-ANIMALE DEPURATUM BAT.

OLEUM ANIMALE DIPPELII. Dippels thierisches Oel.

Sit album, nunquam brunnescens, lucidum, tenuiter fluidum, pervolatile et inflammabile; ponderis specifici 0,744; odoris proprii gravissimi balsamici, non autem foetidi; saporis gravis, primo acris exaestuantis, tum os refrigerantis et amari. In Aqua partim solvatur, solutione neutiquam lactescente. Cum Spiritu Vini rectificato, Oleis aethereis et pinguibus facile totum misceatur. Aëris et lucis attactu flavescens, tum ope Carbonis vegetabilis praeparati rectificetur. In lagenulis vitreis drachmas duas continentibus, penitus repletis et epistomeis vitreis, resina firmandis, loco obscuro serva.

OLEUM CAIEPUT.

MELALEUCA LEUCADENDRON L. Arbor Indiae Orientalis, inprimis insularum Moluccarum, maxime Bandae et Sinae australis. CL. XVIII. ORD. POLYANDR. SLG. OFF. PFL. LF. 11.

OLEUM-CAIEPUT. Caieputöl.

Oleum aethereum limpidum, pervolatile, tenue, ex albo virescens; odoris valde fragrantis cardamomeo-camphorati, aciduli; saporis paris refrigerantis; in partibus paribus Spiritus Vini rectificatissimi solubile; ponderis specifici 0,924 — 0,978. Ante usum investigandum an sit Cupro coloratum, vel Camphora et Oleo Anthos depravatum; inest Oleo Cuprum, si cum Aqua et pauculo Acidi Nitri commixtum et peragitatum colorem virescentem amittit; liquoribus separatis, aquoso cum Alkali volatile

neutralisato, addito Liquore Kali ferreo-borussici, praecipitatum rutilo-brunneum demittente; Camphora ex Elaeosaccharo Caieput in Aqua soluto secernitur; Oleum Anthos admixtum odore recognoscitur.

* OLEUM CORNU CERVI FOETIDUM.

Oleum animale foetidum Bor. Oleum pyro-animale Bat. Oleum aethereum animale empyreumaticum Bav. Oleum pyrogenium animale Aust. Oleum volatile Cornu Cervi Gall.

In praeparatione Salis Cornu Cervi volatilis simul obtinetur.

OLEUM CORNU CERVI FOETIDUM. Stinkendes Hirschhornöl.

Sit crassiusculum, brunneo-fuscum, opacum, turbidum, Aqua levius; odoris alkalini empyreumatici, acris, insignis; saporis paris, amaricantis nauseosi, intensi. In Aqua e parte et in tribus portionibus Spiritus Vini rectificatissimi fere totum solvatur. Serva in vitris probe obturatis.

* OLEUM OLIVARUM.

Olea europaea L. Arbor Europae meridionalis, praesertim Galliae, Hispaniae et Italiae. Cl. II. Ord. Monogyn. Slg. off. Pfl. Lf. 3.

OLEUM OLIVARUM PROVINCIALE. Feines Olivenöl.
OLEUM OLIVARUM COMMUME. Baumöl.

Oleum Olivarum provinciale e fructibus, Olivis, maturis levi expressione sine ope caloris obtentum. Sit pingue, pellucidum, albido-flaviusculum; vix odoratum; saporis grati dulciusculi, mitis; calore — 1°, in massam albam granuloso-crystallinam abeat.

Oleum Olivarum commune, secunda eaque fortiori fructuum, Aquae fervidae infusorum, expressione obtentum; coloris obscurioris flavo-virentis, non nimis spissum; odoris proprii inamoeni etsi debilis,

nec rancidi; saporis paris, ad paranda Emplastra adhiberi poteris. — A Plumbo seu Cupro oxydatis solutisque liberum sit; ac inde cum totidem Acidi Nitri puri, sedecies cum Aqua diluti, forte conquassatum, Acido nullo modo oxyda ista cedat; quod eruitur, si liquori acido ab Oleo separato vel Aqua hydrosulphurata addatur, vel illo, praecipitatione evitata, cum Liquore Salis Tartari saturato, Liquor Kali ferreo-borussici instilletur.

Praep. Sapo medicatus.

OLEUM PETRAE.

Album, Naphtha dictum, prope Baku in Persia provenit, rubrum destillatione Petroleo communi, Gabian dicto, in Gallia et Italia abstrahitur.

OLEUM PETRAE. Petroleum. Berg- oder Steinöl.

Oleum aethereum limpidum, per volatile, in specie Naphthae, ac destillatum album, clarum, tactu aëris rubens; valde inflammabile, alens flammam coerulescentem ac fumum densum simul emittens; ponderis specifici 0,753—0,836, et 0,854; odoris penetrantis, fumum Succini aemulantis. In Spiritu Vini absoluto inque Naphtha Vitrioli et Oleis unguinosis omnis proportionis, in Spiritu Vini rectificatissimo vero partibus octo solubile. Ab Acido Vitrioli concentrato vix incalescat nec mutetur. Nigrum spissius, odoris vilioris non substituatur. Serva vitris probe obturatis.

✠ * OLEUM VITRIOLI.

Acidum sulphuricum concentratum Bor. Bav. Bat. Aust. Gall. Lond.

Acor mineralis proprius, paratur in Germania, Gallia et Anglia destillatione e Vitriolo Martis seu combustione Sulphuris citrini Nitro adjuvante.

OLEUM VITRIOLI NORDHUSANUM. Nordhäuser-Vitriolöl, -Schwefelsäure.

OLEUM VITRIOLI ANGLICUM. Englisches Vitriolöl, Englische Schwefelsäure.

Nordhusanum subfuscum, limpidum, unctuosi habitus, percausticum, in atmosphaera vapores griseo-albos, acidulos, suffocantes eructans; Aquae instillatum fortius cum strepitu exaestuans; ponderis specifici 1,8478 — 1,9000, = 78° Ar. Bk. Aq. gr.; temperatura = 0 in crystallos congelans. Oleum Vitrioli saxonicum quoddam ac bohemicum Selenio inquinatum est, quod dilutione cum Aqua in forma praecipitati rutili recipitur, et siccum in flamma tubuli ferruminatorii fusum, odorem Raphani spargit.

Anglicum seu commune, album, limpidum, non fumat; ponderis specifici 1,8085 — 1,8681, = 76 — 79° Ar. Bk. Aq. gr.; (Alkali, Plumbo, interdum Arsenico inquinatum) ad usum pharmaceuticum, modo in casibus Parte secunda indicatis, adhibe; Plumbum et Arsenicum investigatione Olei per-diluti cum Ammonio hydrosulphurato liquido deteguntur. — Servantur in lagenis vitreis vel murrhinis embolis paribus.

Praep. Acidum Vitrioli concentratum purum. Acidum Vitrioli dilutum. Elixir acidum Halleri. Naphtha Vitrioli etc.

OLIBANUM.

Amyris Kataf Forsk. Arbor regni Adel, Africae Cl. VIII. Ord. Monogyn. Et Boswellia serrata Stackh. Boswell. thurifera Roxb. Arbor Indiae orientalis. Cl. X. Ord. Monog. Slg. off. Pfl. Lf. 8.

OLIBANUM. Weihrauch.

Resina, parcius gummosa, in magnitudine Nucis iuglandis et minoris occurrit; albo-flavescens, nitore carens, pulvere albo tecta; subopaca uti Cera, sicca, fracturae parce conchoideae; odoris balsamico-resinosi; saporis paris amari; in aestu non liquefit, sed cum fumo fragrante flagrat; in Spiritu Vini rectificatissimo ex parte solubilis, residuum in Aqua solutionem lactescentem profert, resinam secernentem. Ex India orientali allatum rutilo-album.

ONONIS.

Ononis spinosa L. Planta perennis, in ruderatis siccis arenosis vulgaris. Cl. XVII. Ord. Decandria. Slg. off. Pfl. Lf. 7.

RADIX. Hauhechelwurzel.

Pedem ad duo longa, digitum crassa, ramosa, longitudinaliter profunde sulcata, contorta; epidermide brunnea, intus alba; tenax, fissilis, lignosa; saporis amariusculi subadstringentis; vix odorata. Effodienda primo vere.

☨ * OPIUM.

Papaver somniferum L. Planta annua Orientis, nobis culta. Cl. XIII. Ord. Monog. Slg. off. Pfl. Lf. 7. Hayne VI. 40.

OPIUM. Succus thebaicus. Opium. Mohnsaft.

Succus lacteus e capsulis immaturis incisione vulneratis scaturiens, in sole ac aëre inspissatus, indeque oxydatus et tinctus, optimus sed rarus; venalis plerumque e succo plantae totius expressione ac inspissatione paratus; affertur ex Oriente et Persia in panibus pugnum circiter aequantibus vel in frustis difformibus, ponderis librae unius et ultra, foliis papaverinis involutis, saepe seminibus Rumicis cuiusdam aspersis; sit coloris e fulvo-rufi vel spadiceo-fusci, opacum, ponderosum, fractura tenax, incisionis superficie nitens, extus compactum, duriusculum, intus mollius, seu sub digitis sensim emolliens, interdum cuticulis interioribus capsularum intermixtum; siccatum et tritum exhibens pulverem flavum, conglutinantem; principio summe narcotico praeditum; saporis per-acris, amari, salivam colore flavo tingens; odoris nauseoso-narcotici, nec empyreuma nec fermentationem vel mucorem prodentis. In Aqua ex parte solubile, totum vero, exceptis quisquiliis, in Vinis generosis spirituosis; addito Spiritu Salis ammoniaci caustico solutiones, Aqua dilutae,

praecipitatum copiosum gryseum, Morphium impurum, largiuntur, a Liquore Ferri saliti colorem hyacynthinum saturatum, Vino malaccensi similem, induunt et clarae manent. Pulvis, mechanice a quisquiliis mundatus, nunquam longius prostet, et in vitris clausis servetur. SUMME NARCOTICUM.

Adulteratione Opii nostris temporibus, ob certamen inter Turcas et Graecos frequens, oportet Pharmacopoeos, antequam Opium in usum medicum trahant, extractione cum Aqua perscrutari, liquidum ope Spiritus Salis ammoniaci caustici praecipitare, et cum solutione Opii genuini, pari modo tractata, comparare.

DOSIS. Opii grani pars quarta, ad grana duo pluries die.

PRAEP. Extractum Opii. Laudanum liquidum Sydh. Pulvis Ipecacuanhae opiatus. Tinctura Opii.

ORIGANUM.

ORIGANUM VULGARE L. Planta perennis Germaniae. CL. XIV. ORD. GYMNOSPERM. HAYN. VIII. 8. SLG. OFF. PFL. LF. 4.

HERBA. Gemeiner Dosten. Wohlgemuth.

Herba florens, caule erecto, obsolete-tetragono, purpurascente, pubescente, ramis similibus, oppositis; foliis oppositis, petiolatis, ovato-obtusis, subtus ac margine pubescentibus; floribus coloris carnei, ringentibus, in spicas subrotundas, paniculatas terminales conglomeratis; bracteis purpurascentibus ovatis, calyce longioribus; odoris grati, balsamici; saporis aromatici, subacris. Colligatur florescens.

ORYZA.

ORYZA SATIVA L. Planta annua, in India, America, Italia et Hispania copiose colitur. CL. VI. ORD. DIGYN. SLG. OFF. PFL. LF. 11.

ORYZA. Reis.

Semina decorticata, oblonga, farinosa, compresso-convexa, utrinque obtusa, alba, semipellucida, subsulcata.

OVUM.

Phasianus Gallus L. Avis domestica. Cl. II. Ord. Gallinae.

ALBUMEN. Eiweiß.

VITELLUS. Eidotter. Eigelb.

Ovum constát testa alba, dura, fragili, calcarea, cui subiacet membranula tenuissima, tenax semipellucida, quo continetur:

Albumen viscosum, pellucidum, in Acido Nitri, Spiritu Vini et Naphtha se coagulans; ac

Vitellus flavus, opacus, unguinosus, in Aqua solubilis.

Sint sat recentia et ab odore ac sapore alieno aut putrido libera.

Praep. Oleum.

PAPAVER ALBUM.

Papaver somniferum L. Planta annua Orientis nobis culta. Cl. XIII. Ord. Monogyn. Hayn. VI. 40. Slg. off. Pfl. Lf. 7.

CAPITA. Mohnköpfe.

SEMEN. Mohnsamen.

Capsulae immaturae, globosae, recentes glabrae, glauco-coerulescentes; siccatae rugosae flavo-testaceae; stigmate persistente, peltato, apice sub hoc quaterdecies ad octodecies hiante, laciniis totidem obtusis subrevolutis; dissepimentis periphericis incompletis; maturae sapore amaro ingrato, ori inhaerente. Colliguntur immaturae, hiatu sub stigmate peltato neutiquam patente.

Semina numerosa, minuta alba, reniformia, punctis excavatis insculpta; sapore dulci-pingui. Matura colligenda sunt.

Praep. Oleum. Syrupus Diacodion.

PASSULAE MINORES.

Vitis vinifera, β. apyrena L. Frutex Europae australis, inprimis Archipelagi graeci, insulae Cephaloniae, reliquarum. Cl. V. Ord. Monogynia.

PASSULAE MINORES. Korinthen. Kleine Rosinen.

Baccae maturae sole siccatae, orbiculares, rugosae; epidermide rubro-nigricante glabra, viscida; parenchymate pulposo; odoris debilis vinosi; saporis e dulci aciduli. Probe mundandae.

PETROSELINUM.

Apium Petroselinum L. Planta biennis Europae meridionalis, praesertim Sardiniae, nobis hortensis. Cl. V. Ord. Digynia. Hayn. VII. 23.

HERBA RECENS. Petersilie.

RADIX RECENS. Petersilienwurzel.

SEMEN. Petersiliensaamen.

Folia radicalia primi anni petiolata, pinnato-ternata, pinnis tripartitis, foliolis cuneiformibus trifidis incisis; secundi anni duplicato-pinnata, pinnis pinnatifidis, laciniis linearibus; caulina alterna, inferiora longius petiolata duplicato-pinnata, superiora vaginata, petiolata biternata, foliolis laciniisque linearibus; omnia nitida, glabra; odore grato, fragranti; sapore pari. Ante florescentiam carpenda.

Radix fusiformis, epidermide alba obiter annulata; cortice albidiore, interne obsolete striato-radiato, substantia radicali alba, carnosa, medulla orbiculata; odoris aromatici; saporis paris dulcis subacris.

Semina fusco-viridia, ovata, recurva, parva, hinc plana inde convexa, costis quinque obtusiusculis albidis notata, valleculis rapheque planis; odoris fragrantis aromatici; saporis amaricantis, aromatici.

Praep. Aqua.

* PHELLANDRIUM AQUATICUM.

PHELLANDRIUM AQUATICUM L. OENANTHE PHELLANDRIUM SPRENG. Planta perennis Germaniae. CL. V. ORD. DIGYNIA. HAYN. I. 40. SLG. OFF. PFL. LF. 14.

SEMEN PHELLANDRII AQUATICI, s. FOENICULI AQUATICI. Wasserfenchel, Peersaat.

Semina minora, ovato-oblonga, vix compressa, obsolete sulcata, costis novem ad decem planioribus praedita; calyce quinque-dentato et pistillis duobus subulatis coronata, aenea vel viride-fusca, in partes duas, convexo-planas findenda; contusa graveolentia in modum Levistici; saporis ingrati dulciusculi, acriusculi. Serva vasis probe clausis.

Odore, sapore ac forma facile a seminibus plantarum umbelliferarum adfinium, praesertim ab iis SII LATIFOLII et ANGUSTIFOLII fere globosis, profunde sulcatis, stylis deflexis coronatis, distinguendum.

PHOSPHORUS.

Ex ossibus animalium encheiresi chemica in fabricis paratur.

PHOSPHORUS. Phosphor.

Venalis refert bacilla alba vix flaventia, recens parata pellucida, Ceraeque instar splendida; ponderis specifici circa 1,770, quae tractu temporis etiam sub Aqua destillata opacantur, strato albo tenui teguntur et lucis influxu rubescunt; consistentia Ceram aequent, qua vix fragiliora sint; sub aëris attactu vapores odoris alliacei exhalent, et calore 30° inflammentur, calore 36° sub Aqua liquentur. In Naphtha, Spiritu Vini rectificatissimo, Oleis aethereis et pinguibus Phosphorus, etsi difficulter, solvatur; in pulverem redigitur, si in vitro, Aqua fervida ad tertiam partem repleto, liquatur, tunc vehementer conquassatus rigescit, et charta bibula pluries involutus cito siccatur, ac Naphtha Vitrioli etc. superfunditur. Serva in lagenulis vitreis Aqua destil-

lata, prius cocta et denuo refrigerata, implendis, epistomiis vitreis occlusis atque vasis e ferro laminato immittendis.

Dosis. Granuli pars tertia vel dimidia in solutione omni trihorio.

Praep. Acidum Phosphori.

PIMPINELLA.

Pimpinella Saxifraga L. Et Pimpinella dissecta Hoffm. Plantae perennes in locis arenosis Germaniae. Cl. V. Ord. Digynia. Hayn. VII. 20. Slg. off. Pfl. Lf. 10.

RADIX. Pimpinellwurzel.

Rhizoma radicis siccatae, interdum partitum, pollicem dimidium et ultra crassum, una cum radice spithamam longum; radix fusiformis recta vel contorta, rugis longitudinalibus ac callis transversis hinc inde tecta; coloris fusco-albidi; in fractura maxime subspongiosa, albido-flavens; odoris inter contusionem acris, sternutationem moventis; saporis amariusculi acris, pungentis. Effodienda primo vere. Cavendum ne cum radice Athamanthae Cervariae L. adulterata sit.

Pimpinella magna L., radice maiori nigrescente a supra dicta diversa; alba saepius apud mercatores cum illa et radicibus Cari Carvi, Aegopodii Podagrariae, imo cum iis Chaerophyllorum, ut dicunt, permixta occurrit.

Praep. Tinctura.

PINUS.

Pinus Abies, et P. sylvestris L. Arbores Europae borealis ac temperatae. Cl. XXI. Ord. Monadelphia. Slg. off. Pfl. Lf. 2 et 4.

* RESINA PINI, s. communis. Fichten Harz.

RESINA, s. PIX ALBA, s. burgundica. Burgundisches Harz oder Pech.

STROBILI, s. Turiones PINI. Fichten-Knospen.

Resina sponte e cortice arborum vetustiarum exsudans; venalis in massis compactis, flaventibus vel albidioribus, margine subdiaphanis, granulosis, friabilibus intus tenacioribus; odoris balsamico-terebinthinacei; saporis paris.

Igne liquata et cum Aqua cocta, dein colata, Picem albam, burgundicam vocatam, exhibet; cerei coloris, subdiaphana, ictu in fragmina conchoidea dissilientis.

Gemmae foliaceae, undique imbricatae squamis linearibus albidis, membranaceis, pruinosis; resinosae; odoris grati balsamici; saporis amari balsamici, utroque facile pereunte. Colliguntur primo vere.

PRAEP. Emplastrum adhaesivum. Emplastrum citrinum.

* PIPER.

PIPER NIGRUM L. Frutex Indiae orientalis. Malabariae, insularum Moluccarum, praecipue in insula Java et Sumatra cultus. CL. II. ORD. TRIGYN. SLG. OFF. PFL. LF. 12.

PIPER ALBUM. Weißer Pfeffer.
PIPER NIGRUM. Schwarzer Pfeffer.

Piper album; nuclei fructus maturi, albidi, rotundi, epidermide acriore privati; odoris aromatici, sub-mucidi; saporis ferventis acris.

Piper nigrum; fructus bacciformis, rotundus, immaturus siccatus, niger et rugosus, intus albus. Odoris ac saporis fortioris.

PIPER HISPANICUM.

CAPSICUM ANNUUM L. Planta annua Americae meridionalis, nobis hortensis. CL. V. ORD. MONOGYN. SLG. OFF. PFL. LF. 1.

PIPER HISPANICUM, INDICUM, TURCICUM. Spanischer Pfeffer.

Bacca non penitus matura, polymorpha, oblonga, conica, fulta calyce urceolato viridi; siccata, epidermide coccineo-flavente, nitida; parenchymate tenui carnoso-membranaceo subbiloculari; saporis proprii fervidi piperacei; recens secta odoris fere tabacini, sternutationem cientis, fovens semina numerosa flaventia, orbicularia utrinque compressa.

PIX.

Pinus Abies, P. picea, et P. sylvestris L. Arbores Europae borealis ac temperatae. Cl. XXI. Ord. Monadelph. Slg. off. Pfl. Lf. 2 et 4.

PIX LIQUIDA. Cedria. Resina Pini empyreumatica liquida. Theer. Flüssiges Pech.

PIX SOLIDA; navalis. Resina Pini empyreumatica solida. Schwarzes- oder Schiff-Pech.

Liquida, destillatione sicca e ligno ramorum, trunci et radicis Pinorum memoratarum obtenta, et quidem pars liquidorum inde prodeuntium brunneo-fusca, subdiaphana, viscida in fila ductilis; odore balsamico-empyreumatico taedae; sapore pari pingui acido.

Solida vel sicca, destillatione ligni valde resinosi vel evaporatione Picis liquidae obtenta; exhibens frusta atra, ad angulos subpellucida; frigore fragilia in fragmina plano-conchoidea, nitida; calore manus emollita tenacia; odoris ac saporis dicti, debilioris.

PLUMBUM.

Oxydatum et carbonicum (Bleierde, Weißbleierz) acidis mineralibus, maxime autem cum Sulphure nuptum (Galena, Bleiglanz, Bleischweif) in fodinis aerariis Germaniae, Hassiae etc. occurrit. Praesertim e Plumbo sulphurato, ferraginis vel minerae Ferri ope, seu ex illo ustulato, addito Carbone et Calce in officinis liquatoriis reducitur.

PLUMBUM. Blei.

Metallum gryseo-albidum, coerulescens, splendidum, molle, facile sectu, scribens, facile malleo tundendum, sed vix par ductile, flexione non stridens, vix sonorum; ponderis specifici 11,352 ad 11,358; aestu graduum circiter 250° fusile; solidum atmosphaera parce, igne liquatum vero valde Oxygenium absorbet, immo agitando totum in Oxydum cinereum (Plumbum ustum) vertitur, quod calcinatione continuata in Oxydum flavum, (Massicot) dein in rubrum (Minium) aut igne fortiori, in massam vitriformem flavam abit. A vaporibus Aceti in Cerussam commutatur, quae aeque ac Oxydum ab Oleis pinguibus et Axungia solvitur et in maiore copia cum illis cocta, Emplastra saturnina profert. Cupellatione metalla perfectiora ab imperfectis liberat, ultima in scorias cogendo. In Acido Vitrioli et Salis vix, in Acido Nitri vero per-solubile; solutio nitrica, saporis dulcis styptici, cum ea Alkalium muriaticorum aeque ac sulphuricorum mixta, vel instillato Acido Salis seu Vitrioli, praecipitatum album exhibet; ab Ammonio hydrosulphurato liquido e cinereo-nigra evadit ac sedimentum nigrum deponit.

Praep. Plumbum ustum.

POLYGALA AMARA.

Polygala amarella Cranz. Planta perennis montana Galliae et Germaniae meridionalis. Polygala amara Willd. Germaniae borealis, Sueciae. Cl. XVII. Ord. Octandria. Slg. off. Pfl. Lf. 12.

RADIX CUM HERBA. Bittere Kreuzblume.

Planta florens tota; caules erecti, plures ex una radice, digitales palmaresque, glabri vix ramosi; folia radicalia in orbem disposita, obovata, maiora, in petiolum decurrentia, apice rotundata, integerrima, glabra, subcoriacea, caulina alterna, lanceolata angusta; racemi cristati, secundi densi, coerulei, interdum albicantes, utraque radice amariora; radice tenui fusiformi, vix lineam dimidiam crassa, polli-

cem longa, rhizomate brevi, diviso in fibrillas densas, rigidas, tecta epidermide luteo-fusca, intus albida; saporis debilioris, subacris. Colligenda ante florescentiam.

Polygala hungarica et vulgaris saepius non recte pro amara dispensantur; valde ab ea differunt, foliis solis lineari-lanceolatis gaudent, et radicalibus obovatis aeque ac sapore per amaro Polygalae amarae carent.

POLYPODIUM.

Polypodium vulgare L. Filix in sylvis umbrosis Germaniae frequens. Cl. XXIV. Ord. Filices. Slg. off. Pfl. Lf. 5.

RADIX. Engelsüßwurzel.

Radix a fibrillis et squámis mundata, compressa, calamum scriptorium circiter crassa, torta, dentato-tuberculosa, longitudinaliter rugoso-strigosa; epidermide e rufo-fusca; substantia interna e luteo viridescente, compacta, fragilis, fracturae aequabilis; odoris subrancidi; saporis dulcis nauseosi, subadstringentis, rancido-acris. Vere colligenda.

POMA ACIDULA.

Pyrus malus L. Arbor Europae spontanea et culta. Cl. XII. Ord. Pentagynia. Hayn. IV. 46. Slg. off. Pfl. Lf. 3.

POMA ACIDULA. Säuerliche Aepfel.

Sint matura, incorrupta.

POPULUS.

Populus nigra L. Arbor ad ripas fossarum, fluviorum et alibi locis humidis crescens. Cl. XXII. Ord. Octandria.

GEMMAE RECENTES. Pappelknospen.

Gemmae, quae etiam oculi dicuntur, iuniores, nondum explicatae, succo balsamico, glutinoso turgentes, mense Aprili colligendae.

Praep. Unguentum.

PRUNUS PADUS.

Prunus Padus. Arbor sylvatica indigena. Cl. XII. Ord. Monogyn. Hayn. IV. 40. Slg. off. Pfl. Lf. 13.

CORTEX RECENS. Ahl- oder Traubenkirschenrinde.

Cortex ramulorum, non ultra duas lineas crassus, levis; epidermide virenti-fusca seu nigrescente, passim verrucis minimis, albidis vel subluteis obsita; substantia corticalis recens viridis, in cortice siccato lucide-brunnea; saporis amari, adstringentis, aromatici, una cum odore Amygdalarum amararum similis; principio Acidi borussici praeditus. Ex ramulis vere ineunte, ante foliorum eruptionem, colligendus est.

Adulteratur interdum Cortice Rhamni frangulae, qui verrucis carens, maculis subalbidis obsitus, sapore et odore Amygdalarum amararum simili destitutus est.

Praep. Tinctura.

PULEGIUM.

Mentha Pulegium L. Planta perennis Germaniae, nobis hortensis. Cl. XIV. Ord. Gymnospermia. Slg. off. Pfl. Lf. 13.

HERBA. Polei, Poleimünze.

Herba florens, caulibus subrotundis, repentibus, cespitosis, floriferis erectis, pubescentibus; foliis oppositis, brevius petiolatis, ovatis obtusis subcrenatis, nervosis, glabriusculis; floribus verticillatis, calycibus e viride-purpurascentibus cernuis; corolla regularis pallide coerulea, limbo extus hirsutissimo, staminibus et stylo corolla duplo longioribus.

♃ PULSATILLA.

Anemone pratensis L. Planta perennis Europae, in collibus et aridis locis crescens. Cl. XIII. Ord. Polygyn. Hayn. I. 23. Slg. off. Pfl Lf. 9.

HERBA RECENS. Braunschwärzliche kleine Küchenschelle. Wiesen-Anemone.

Herba florens, foliis radicalibus petiolatis, pinnatifidis, pinnis multipartitis, laciniis linearibus acutis, superioribus integris, inferioribus laciniato-partitis, pilosiusculis; foliis caulinis, in caule erecto subsimplici pubescente, sessilibus palmato-pinnatis, laciniis integris vel laciniato-dentatis; floribus terminalibus solitariis, nigro violaceis, extus albo-villosissimis, pendulis; petalis apice reflexis, minoribus augustioribus et acutioribus quam in Anemone Pulsatilla L. Slg. off. Pfl. Lf. 9. recens linguae acerrime urentem et diu persistentem saporem imprimit, contusa odoris Raphani similis. Deficiente Anemone pratensi, Anemonem Pulsatillam, floribus duplo maioribus, vix nutantibus, petalis apice vix reflexis, latioribus acutioribusque, foliorum radicalium pinnis angustioribus, adhibere licet.

Praep. Extractum.

PYRETHRUM.

Anacyclus officinarum Hayne. Anthemis Pyrethrum Willd. Planta annua in Thuringia ac prope Magdeburgum culta. Hayn. IX. 46. Et Anthemis Pyrethrum L. Anacyclus Pyrethrum Link? Planta Europae australis et Africae, perennis. Slg. off. Pfl. Lf 10. Cl. XIX. Ord. Superflua.

RADIX. Bertramwurzel.

Rhizomate ramoso, caulibus siccis munito; radice sub-fusiformi, calamum scriptorium (germanica) ad digitum (romana) crassa, palmam circiter longa, dura, inaequaliter sulcata, nuda; epidermide griseofusca, rugosa; cortice fusco; substantia interna flavescente; fracta concentrice lamellosa, subcornea, cum loculis minimis rufis; odoris acris; saporis acerrimi, piperati, pungentis, dein refrigerantis, longe persistentis. Radix plantae annuae autumno effodiatur.

* QUASSIA.

Quassia excelsa Swartzii. Simaruba excelsa Decand. Arbor in Americae tropicae, Iamaicae et

insularum Caribaearum, sylvis montosis, et QUASSIA AMARA L. arbor in Surinamae et Brasiliae sylvis primigenis crescens. CL. X. ORD. MONOGYN. HAYN. IX. 16 et 14. SLG. OFF. PFL. LF. 13.

CORTEX. Quassienrinde.

LIGNUM. Quassienholz.

Epidermide tenui cinerascente rugulosa; cortice tenui pallide-flaviusculo compacto, non arcte adhaerente; saporis amarissimi.

Lignum e trunco, ramis ramulisque petitum; in frustis proinde pollices nunc unum nunc plures crassis, rotundis, ulnam et ultra longis obveniens; albidum, solidum intus subradiatum fibroso-laminosum, tenax leviusculum, peramarum. Rasuram non emes et lignum pallide-flavum falsum reiicias.

PRAEP. Extractum. Tinctura.

* QUERCUS.

QUERCUS ROBUR et Q. PEDUNCULATA WILLD. Arbores in Germania frequentes. CL. XXI. ORD. POLYAND. HAYN. VI. 35. 36. SLG. OFF. PFL. LF. 11.

CORTEX. Eichenrinde.

GLANDES. Eicheln.

Cortex ramulorum, epidermide cinerea aspera, substantia corticali fibroso-compacta, in recenti flavente, in sicco rubiginea; odore debili, principium tannicum aemulante; sapore valde austero amariusculo. Ante foliationem detrahendus.

Glandes maturae, ovato-oblongae, glabrae, superius sub-fuscae, inferius albae, sub testa coriacea fragili offerentes nucleum albidum, cuticula ferruginea tectum, amarum, austerum. Colliguntur mense Octobri, cupulis, quibus insident, eximendis; siccatae a testa privandae sunt.

* RATANHIA.

KRAMERIA TRIANDRA RUIZ. Planta suffruticosa Peruviae. CL. IV. ORD. MONOGYN. HAYN. VIII. 14.

EXTRACTUM RATANHIAE s. RATANHAE. Ratanhia-extract.

RADIX RATANHIAE s. RATANHAE. Ratanhia-, Ratanha-Wurzel.

Extractum aquosum radicis, in America paratum; venale in frustis disformibus; brunneum, fragile, fracturae vitreae; pulveratum colore Kermes minerali simile; saporis valde styptici. Sit in Spiritu Vini rectificatissimo usque ad quindecim centesimas partes remanentes solubile, solutione obscure rubente. Infusum aquosum fervidum refrigeratum turbidum fiat et lactescat ut Chinae rubrae decoctum; reagentiis tentatum aeque se habeat, ac infusum radicis.

Radix ramosa, teres usque ad ultimas fibrillas, rhizomate pollicem semis ad unum crasso, ramis palmam ad ulnam longis, flexuoso-torosis, versus finem in fibrillas coarctatis; epidermide rutilo-brunnea, in radice crassa rimis transversalibus et fissuris usque ad corticem reticulata, aspera; cortice fibroso, unam lineam ad duas crasso, superficie brunneo-purpurascente, sectione transversali coloris paris, substantiam lignosam rutilam, cum disco medio nigro-brunneo, in radicibus crassioribus durissimam, in ramis tenuioribus rutilo-albidam complectente; sapor corticis valde stypticus, amaricans; masticatione salivam obscure rubram tingens. Decoctum fervidum intense rubro-brunneum, refrigeratione magis turbidum fit quam decoctum Chinae rubrae; infusa tam aquosa quam spirituosa, filtrata, coloris rubro-brunnei, a liquore Sacchari Saturni colore Persicae florum praecipitantur, liquore supernatante limpido incolore (inde ab eis Gummi Kino distinguenda, quae, liquore dicto admixto, colore lilacino griseo praecipitantur). Infusa Ratanhiae instillato liquore Ferri saliti colorem rutilo-cinerascentem induant ac sedimentum tale deponant, addito Acido Vitrioli turbida fiant et lentius sedimentum coloris lateritii obscuri edant.

PRAEP. Extractum. Tinctura.

* RHEUM.

Rheum undulatum seu Rhabarbarum L. et Rheum palmatum L. Plantae perennes, prior Chinae ac Sibiriae, altera Chinae et regni Tibetani. Cl. IX. Ord. Trigynia.

RADIX RHEI MOSCOVITICI, s. Rhabarbari moscovitici. Russische Rhabarber.

RADIX RHEI CHINENSIS. Chinesische Rhabarber.

Radix Rhei moscovitici a Rheo undulato, occurrit in frustis ovo gallinaceo majoribus, angulatis, profunde recidendo mundatis, foraminibus latis rotundis perfossis, venis luteo-albidis vel albis reticulatis, lineis stellulatis et punctis rutilo-croceis variegatis, seu rasura asperis et tunc flavescentibus; fractura densa, granulata, alba, lineis et punctis rutilo-croceis frequentibus accumulatis percursa; pulvere flavorubello; saporis proprii, amaro-subadstringentis, nauseosi; odoris nauseosi; masticata sub dentibus paululum stridet, et salivam colore croceo tingit, mucilagine carente.

Radix Rhei chinensis seu indica, a Rheo palmato, venalis in frustis vel napiformibus, apice abscissis, pollices duos et ultra crassis (ab epidermide liberatis, Rheum mundatum, Rheo moscovitico simile exhibent) vel plano-convexis maioribus, extus luteo-gilvis fuscescentibus striatis, texturae densioris; fracturae albidae, maculis crebrioribus oblongis quadrangularibus et striis tortuosis alternis, lateritio-aurantiacis obsitae; odoris fortioris; saporis magis nauseosi; masticatione sub dentibus cum stridore fortiori salivam aurantiaco-colore, sine mucilagine, impraegnat; pulvere flavo-subfuscescente. Radices nigro-tinctas aeque ac arenosas a Calcaria oxalica superflua, leviores et a vermibus erosas non emes. Serva pulverem in vitro obturato.

Caveas ne cum radice Rhei Rhapontici L., Siberiae incolae, et in Sicilia culti, intermixta sit, quae brunneo-lutea, intus annulis luteo-albis ac striis excentricis notata est;

odoris debilis, masticata tenax ac mucilaginosa, saporis adstringentioris, et in frustis longioribus, cylindricis, saepe fissis occurrit. Infusa aquosa frigide parata Rhei moscovitici et chinensis, turbida et coloris rutilo-flavi, addito liquore Mercurii nitrici, praecipitatum flavum copiosum secernunt; infusum Rhei siciliani vero non turbidum est et cum reagente dicto praecipitatum rutilo-brunneum edit.

Radix Rhei in Gallia culti, a Rheo compacto L. Slg. off. Pfl. Lf. 6., frustulis napiformibus gracilibus, superficie albidiori, venulis albidis et punctis croceis minimis adspersa, odore debili, Rhei Rhapontici simili, sapore peradstringente amaro, salivam masticando pallide flavam pingens, nuperrime in mercaturam introducta, facile dignoscenda et supprimenda.

Praep. Extracta. Syrupus. Tincturae.

✝ RHODODENDRON.

Rhododendron Chrysanthum L. Frutex in alpibus Sibiriae orientalis. Cl. X. Ord. Monogyn. Slg. off. Pfl. Lf. 8.

FOLIA. Sibirische Schneerose, Gichtrose.

Folia ovato-oblonga, subacuta, in petiolum brevem decurrentia, pollicem ad duos longa, pollicem dimidium ad unum lata, supra reticulato-rugosa, coriacea, rigida, margine revoluta; siccata e fusco-viridia, subtus discoloria dilute fulva, glabriuscula, nervo intermedio prominente; odoris Rhei appropinguantis; saporis paris, austeri, amaricantis. Narcotica.

Curam geras ne Rhododendri ferruginei L. folia minora, lanceolata, glabra obscurius tincta, margine parum reflexa, subtus lepra ferruginea tecta, et folia Rhododendri hirsuti L. obovata, acutiuscula, ciliata, subtus punctata illis Rhododendri Chrysanthi substituantur.

RHOEAS.

Papaver Rhoeas L. Planta annua inter segetes crescens. Cl. XIII. Ord. Monogynia. Hayne VI. 38. Slg. off. Pfl. Lf. 8.

FLORES. Klapprose. Klatschrose.

Corolla tetrapetala, petalis puniceis integris subrotundis, ungue nigro, exsiccatis violaceo-rubris; odoris ingrati sub-narcotici; saporis paris mucosi, acidiusculi.

PRAEP. Syrupus.

✝ RHUS.

RHUS TOXICODENDRON et RADICANS L. Frutex Americae borealis, in hortis cultus. CL. V. ORD. TRIGYNIA. HAYN. IX. 1. SLG. OFF. PFL. LF. 3.

Truncus vel procumbens radicans, vel erectus; inflorescentia paniculata; corolla pentapetala, sulphureo-virens, interdum venis purpureis picta; calyx quinquepartitus; drupa subglobosa, incano-lutea, exsucca, monopyrena.

HERBA. Wurzelnder- oder Gift-Sumach.

Folia ternata, foliolis petiolatis, ovatis seu angulatis acutis, integris aut sinuato-crenatis, nudis vel pubescentibus, obscure viridibus; recentia succo lacteo flavescente, cutim nigre pingente, repleta, acerrimum halitum evaporantia et tactu periculosa. Colliguntur sub florum proventu, sole lucente, caute, manibus vestitis, et bene siccata in vitris, seu vasis, e Ferro laminato Stanno obducto, clausis servantur. VENENOSA.

PRAEP. Extractum.

RIBES.

RIBES RUBRUM L. Frutex Germaniae, in hortis colitur. CL. V. ORD. MONOGYN. HAYN. III. 25. SLG. OFF. PFL. LF. 2.

BACCAE RECENTES. Rothe Johannisbeeren.

Globosae, in vertice umbilico emarcido; epicarpio subdiaphano, rubro, glabro, nitente; parenchymate scatente succo laete rubro vix odorato, sapore grato e dulci acidulo subvinoso, fovente semina pedicellata, ovata.

PRAEP. Syrupus.

RICINUS.

Ricinus communis L. et Ricinus undulatus Besser. Plantae in India utraque, Africa et insula Creta fruticosae, apud nos cultae annuae. Cl. XXI. Ord. Monadelph. Slg. off. Pfl. Lf. 1.

Ricinus communis; foliis peltatis palmatis, lobis lanceolatis, serratis, caule herbaceo pruinoso, elateriis racemosis erectis. Ric. undulatus, foliis peltatis palmatis, lobis ovatis, serratis, caule herbaceo pruinoso, elateriis paniculatis patulis. Tota planta maior, quam antecedens.

SEMEN RICINI, s. Cataputiae maioris. Ricinus-, Wunderbaum-Saamen.

OLEUM. Ricinus-, Castor-, Palm-Oel.

Semina magnitudinis phaseoli saccharini et maiora, ovata, compressa, verticipendula, basi acutiora, cicatricula carunculata praedita; testa fragili grisea, brunneo- vel nigro-variegata, nitida; nucleo, cuticula nivea incluso, albo oleoso; saporis pinguis dulciusculi siccantis.

Oleum unguinosum, flavescens, spissius; odoris dulciusculi; saporis fatui siccantis; temperatura = 0° non congelans; ponderis specifici 0,9690. In Spiritu Vini absoluto omni in proportione sine residuo solubile sit. E seminibus probe maturis et siccis exprimendum, si venale gustando etc. non bonae notae est. Venale, saporis per-acris, vehementer alvum purgans, ac vomitum ciens, non adhibetur.

* ROSA PALLIDA.

Rosa centifolia L. Frutex Asiae temperatae nobis hortensis. Cl. XII. Ord. Polygyn. Slg. off. Pfl. Lf. 10.

FLORES. Centifolien-, Garten-Rose.

Petala obcordata, pallidius rubra; grate fragrantia; subdulcia, inde cum amaritie subadstringentia. Convertuntur petala, a calycibus decerpta, post plenam

evolutionem vel recentia, vel sale condita, vel exsiccata.

Praep. Aqua destillata. Conserva Rosarum. Mel Rosarum.

ROSA RUBRA.

Rosa gallica L. Fruticulus Europae australis, nobis hortensis. Cl. XII. Ord. Polygyn. Slg. off. Pfl. Lf. 9.

FLORES. Damascener-, Essig-Rosen.

Flores inaperti; petalis obcordatis, purpureis, debilioris odoris; stypticis, amaricantibus. Colligendi cum calycibus e quibus eximenda petala, quae, unguibus flavis seiunctis, in loco umbroso calido mox siccanda et in vasis opacis servanda sunt.

ROSMARINUS.

Rosmarinus officinalis L. Frutex Orientis et Europae australis, nobis in hibernaculis. Cl. II. Ord. Monogyn. Slg. off. Pfl. Lf. 3.

HERBA RORIS MARINI s. Anthos. Rosmarin.

OLEUM RORIS MARINI s. Anthos. Rosmarinöl.

Folia et summitates florentes; folia, in caule ramoso et in ramis oppositis tetragonis pubescentibus, opposita, lineari-lanceolata, margine revoluta, obtusa, superne profundius viridia, rugosa, in medio sulcata, subtus albo-tomentosa, nervo maiori percursa; odore aromatico gravi; sapore acri in recentibus camphorato-terebinthinaceo, ingrato amarius-culo, in siccis minus camphorato et neutiquam terebinthinaceo; florum corolla dilute e violaceo-rubella, odore foliorum vero penetrantiore. Serva vasis clausis.

Oleum aethereum destillatione obtentum, e regionibus australibus Europae praesertim ex Gallia et Hispania venale. Sit incolor, limpidum, tenue; ponderis specifici, 0,865; graveolens; saporis campho-

rati; pars una in partibus duodecim Spiritus Vini rectificatissimi solvatur, proportione omni vero in Spiritu Vini absoluto.

Praep. Spiritus.

RUBIA TINCTORUM.

Rubia tinctorum L. Planta perennis pratensis Orientis, Tatariae et Europae australis, in hac et in temperata culta. Cl. IV. Ord. Monogyn. Slg. off. Pfl. Lf. 7.

RADIX. Färberröthe. Krapp.

Radix plerumque triennis, siccata; reptans, praelonga, teres quae non sit ultra calamum anserinum crassa, parce ramosa, fibris crassioribus obsita, epidermide e rubello cinerascente, in sicca longitudinaliter rugosa; cortice in iuniore crassiore, postea tenuiore, brunneo-fusco subnitido; substantia interna in iuniori sanguinea, carnoso-fibrosa, tandem coloris laterum, fibroso-lignescente; filo medullari tenui orbiculato, tandem fuscescente; recens odore debili cortici Sorbi aucupariae subsimili, sicca fortiori ingrato mucido; sapore contrario mucilaginoso amariusculo, demum substyptico, acriusculo.

* RUBUS IDAEUS.

Rubus Idaeus L. Frutex Europae, in hortis cultus. Cl. XII. Ord. Polygyn. Hayne III. 8. Slg. off. Pfl. Lf. 5.

FRUCTUS RECENTES. Himbeeren.

Bacca recens conico-hemisphaerica, rubra, basi cava a receptaculo clavato carnoso ibidem intruso, composita acinis imbricatis subrotundis obtusis, stylo setaceo subpersistente instructis; parenchymate succulento rubro suaveolente e dulci grate acidulo; fovente semen subreniforme. De frutice sylvestri praestantior.

Praep. Acetum. Aqua. Syrupus.

RUTA.

Ruta graveolens L. Fruticulus Europae meridionalis, nobis hortensis. Cl. X. Ord. Monogyn. Hayn. VI. 8. Slg. off. Pfl. Lf. 1.

HERBA. Raute.

Folia supradecomposita, glauca, petiolis teretibus supra obsolete sulcatis, lobis oblongis obtusis, margine minutim crenatis, terminali obovato; recentia odore forti non ingrato, etsi caput gravante; sapore aromatico amariusculo; sicca odore et sapore longe debiliore. Ante florescentiam carpenda.

Praep. Oleum destillatum.

☨ SABADILLA.

Veratrum Sabadilla Retzii? Planta perennis chinensis et mexicana. Cl. XXIII. Ord. Monoecia.

SEMEN. Sabadillsaamen.

Pericarpia tricapsularia membranacea, flavo-fuscescentia, ovato-oblonga, acuminata, suturis praedita, clausa vel aperta; continentia semina brunneo-nigricantia, rugosa; oblonga, obtusa, acuminata, incurva, convexo-plana, sub-compressa, margine acuto, intus albida; saporis acerrimi urentis, amari, aridi, nauseam moventis; odoris parci, sternutationem conciliantis.

☨ * SABINA.

Iuniperus Sabina L. Frutex Asiae borealis et Europae meridionalis sempervirens, nobis hortensis. Cl. XXII. Ord. Monadelph. Slg. off. Pfl. Lf. 8.

HERBA. Sadebaum, Sevenbaum.

Summitates; ramuli teneri, distiche patentes, squamis emarcidis tecti; foliis acerosis, adpressis, alternatim oppositis, linearibus, acutis subulatis, pungentibus, convexis, crassiusculis, obscure viridibus, glabris, graveolentibus; odore terebinthinaceo narcotico;

sapore gravi amaricante exaestuante; ramuli tenerrimi foliis similibus imbricati. Carpitur vere et servatur vitris vel cistis, Ferro laminato Stanno obducto munitis, probe clausis.

Praep. Oleum destillatum. Tinctura.

* SACCHARUM.

Saccharum officinarum L. Planta arundinacea palustris ambarum Indiarum. Cl. III. Ord. Digyn. Hayne IX. 30. 31. Slg. off. Pfl. Lf. 9.

SACCHARUM ALBUM. Weißer Zucker.

SACCHARUM CRYSTALLISATUM ALBUM, s. candis. Weißer Candiszucker.

Substantia vegetabilis dulcis propria, e succo culmorum expresso, cum lixiviis et lympha coquendo depurato et in massam crystallinam inspissato, orta.

Massa candida, ad angulos subdiaphana, nitens, compagis subcrystallinae; sit sicca sonora, et fracta exhibeat fragmina inaequalia splendida, crystallino-granulosa. Solvatur in dimidia parte Aquae, etiam tota in Spiritu Vini rectificatissimo. Coerulescentem non emes.

Vel e succo depurato vaporando ac refrigerando in crystallos reducto, obtenta.

Crystalla prismatico-rhomboidea, tetragona vel hexagona, planis duobus convergentibus acuta, margine saepe truncata, fere alba, splendentia, dura, plerumque coalita; pari modo solubilia.

Praep. Syrupus Sacchari albi.

SACCHARUM LACTIS.

Substantia subsaccharina, e Sero Lactis vaccini dulci evaporando et crystallisando maxime in Helvetia et Lotharingia paratur.

SACCHARUM LACTIS. Milchzucker.

Crustae et glebae rotundatae crystallinae, e Sero Lactis dulci evaporatione ortae, hinc inde prismata

tetragona regularia, vel truncata, vel lateribus quatuor acuta, constructionis laminiformis praebentes; albae, subdiaphanae, nitentes, crassae, durae; subtus planae scabrae; inodorae; masticatione strepitantes, saporis terreo saccharini. In Aquae temperatae partibus decem ad duodecim, in partibus quatuor vero, si addas Lixivii caustici quantitatem sufficientem solvantur, in bullientis partibus tribus vel quatuor solubiles, solutione a liquore Terrae ponderosae salitae non turbanda. Sint a particulis caseosis liberae, non flavescentes.

✠ * SACCHARUM SATURNI.

Plumbum aceticum Bor. Acetis Plumbi Bat. Acetas Plumbi in crystallos concretus Gall. Acetas Plumbi acidulus siccus Aust. Acetas Plumbi Bav. Plumbi Acetas Lond.

Sal metallicus e Cerussa et Aceto depurato paratus.

SACCHARUM SATURNI. Sal Saturni. Bleizucker. Essigsaures Bleioxyd.

Refert vel crystallos minores, integras, albas, diaphanas, prismaticas, obliquas, tetragonas, compressas, lateribus binis latioribus, bifariam acutas seu truncatas, vel aciculaeformes; subpellucidas, sericei splendoris; odoris acetici; saporis primum dulcis, dein styptico-metallici, venenosi. Atmosphaerae expositae parum dehiscentes et tum in Aqua non plane solubiles; solvantur in duplici pondere Aquae temperatae et in minore quam pari Aquae bullientis, aeque ac in Spiritu Vini rectificatissimo; solutio cum Aqua hydrosulphurata acida (Liquore probatorio Hahnem.) permixta sedimentum nigrum edit, addita Acidi Vitrioli quantitate sufficiente integre decomponitur, praecipitatum album grave secernit, ac odorem Acidi Aceti spargit; liquor praecipitato innatans filtratus evaporatione sine residuo avolet. — Venale interdum Calcem vel terram argillaceam aceticam continet. Serva vasis clausis uti efficacissimum remedium.

Dosis. Granum dimidium ad unum bis terve die.

Praep. Saccharum Saturni depuratum.

SAGO.

Metroxylon Sagu Rottboel. Sagus genuina Labillardieri. Sagus Rumphii Willd. Arbor ex genere palmarum Indiae orientalis, Moluccarum, Amboinae. Cl. XXI. Ord. Hexandria.

GRANA SAGO. Sagu. Sago.

Fecula e medulla Palmae dictae auxiliante Aqua obtenta, ope cribri granulata et siccata. Sit in granis parvis, subrotundis quodammodo angulatis, albis vel rubicundis, perduris; odoris ac saporis farinosi proprii. Coctione in Aqua et Vino grana turgescunt, clara fiunt, mollescunt etiam solvuntur. Caveas ne cum Amylo Solani tuberosi granulato et tincto intermixta sint.

✠ SAL ACETOSELLAE.

Oxalium Bor. Oxalas acidulum potassae Bat. Oxalas Potassae acidulus Bav. Kali oxalicum acidulum.

E variis speciebus Oxalidis, e. g. Acetosellae corniculatae, striatae, trifoliatae, Cl. X. Ord. Pentagynia, Rumice acetosa. Cl. VI. Ord. Trigyn. Slg. off. Pfl. Lf. 2. et 7. (aliisque plantis succi acidi) et quidem e succo expresso clarificato crystallisatione paratus. Affertur praesertim ex Helvetia et Thuringia.

SAL ACETOSELLAE. Sauerkleesalz. Saures kleesaures Kali.

Sit album, opacum, exhibeat parallelopipeda cuneato-aggregata, apice oblique truncata; saporis peracidi et subausteri; solubilia in triginta partibus Aquae, et calore 14° in sex bullientis. Serva uti efficacissimum remedium in vitro clauso.

Videatur ne Tartaro vitriolato, acido suo supersaturato, vel Crystallis Tartari adulteratum sit; primus recognoscitur,

si Sal suspectum, in Aqua destillata fervida solutum, cum Liquore Salis Tartari saturatur et liquidum filtratum cum Liquore Terrae ponderosae salitae miscetur, praecipitato orto in Acido Nitri irresolubile; vapores empyreumatici, quos Sal Acetosellae adulteratum combustione spargit, et residuum carboneum nigrum Crystallos Tartari admixtas produnt; Oxalio puro ustione residuum griseum exhibente.

Praep. Acidum oxalicum.

* SAL AMARUM.

Magnesia sulphurica Bor. Sulphas Magnesiae Bat. Bav. Aust. Gall. Sal anglicum s. epsoniense.

Sal terreum neutrum, vel e fontibus soteriis amaris Bohemiae (Sedlitzensibus, Seidschuetzensibus) et Angliae (Epsoniensibus), vel e lixiviis crystallisatione Salis communis residentibus in Germania, in Italia vero decompositione spontanea seu artificiali Schistorum, Magnesiam et Ferrum sulphuratum continentium, elixatione, depuratione et crystallisatione obtentum.

SAL AMARUM. Bittersalz. Englisches Salz. Schwefelsaure Magnesia.

Venale in crystallis acicularibus, subita crystallisatione e lixivio concentrato agitatione ortis. Sit clarum, album, splendens; ponderis specifici 1,66; vix in atmosphaera dilabens; saporis amari salini. In partibus duabus Aquae temperatae et in bullientis parte dimidia ponderis sui solubile; solutione caute evaporata crystallos prismaticas, rectangulares, tetragonas, irregulariter bifariam acutas reddit; igne liquescit, et siccum non funditur. Alkalia fixa caustica et aërata Magnesiam e solutione Salis amari praecipitant, cum Aëre fixo saturata solutionem vero istam vix turbent. Serva loco sicco, vasis clausis.

Ne Magnesiam et Calcem salitam contineat, inde aëre humido non liquescat; solutio aquosa a liquore Acidi oxalici vix turbanda, ceterum cum liquore Kali ferreo-borussici vel liquore probatorio Hahnem. permixta, a metallis libera

reperiatur. Ad adulterationem cum Sale mirabile Glauberi detegendam sal suspectum exsicca, et illi adde dimidium ponderis sui pulveris Carbonum subtilissimi, fiat cum Axungia Porci globulus, qui in crucibulo tecto excandefacto tam diu urendus est, quam vapores sulphuricos emittit, tunc massam Aquae bullienti ingere et liquorem filtra. Filtratum incolor et insipidum Sal amarum purum indicat; si vero tinctum evadit et cum Acidis Aërrem hepaticum (Gas hydrosulphuratum) et Sulphur praecipitatum edit, cum Sale mirabili Glauberi alienatum censeas et reiicias.

Praep. Magnesia alba, et calcinata. Sal amarum depuratum.

* SAL AMMONIACUM.

Ammonium muriaticum Bor. Murias Ammoniae Bat. Bav. Gall. Aust.

Sal neutrum ex Alkali volatili aërato liquido et sublimato impuro, destillatione urinae putridae vel partium solidarum animalium obtento, varia encheiresi depurato et Acido Salis nupto, crystallisatione vel sublimatione in Gallia, Anglia, Germania et Hassia nostra paratum.

SAL AMMONIACUM. Salmiak. Salzsaures Ammonium.

Vel in forma concreta conica, Sacchari albi raffinati habitum et colorem aemulante, vel in placentis maioribus convexo-concavis, subpellucidis, plus minus albis, in fractura aspectus glacialis, quoad texturam fibroso-radiatis, venale; solidum subtenax, atmosphaera persistens, inodorum, saporis acris salini dein urinosi; ponderis specifici 1,450; in Aquae frigidae partibus tribus et in una parte Aquae bullientis, paululum in Spiritu Vini rectificatissimo solubile; solutio encheiresi usitata plerumque crystallos aciculares longas, in forma barbae pennae concretas, evaporatione cautiori vero octaëdras oblongas praecipue vero tetraëdras, in crustas coalitas, edit. Phiala igni expositum funditur et exsiccatum in forma vaporum alborum totum sublimatur. Si pulveratum cum Calce viva seu Alkali fixo quodam conteritur, odorem Alkali volatilis spargat. Ab Sale

ammoniaco secreto Glauberi (Ammonio sulphurico) et Sale mirabile Glauberi (Natro sulphurico) liberum censeas, si solutio, addito liquore Terrae ponderosae salitae, clara maneat, aeque ac a metallis, si, Liquore Kali ferreo-borussici vel Aqua hydrosulphurata, affusis, colorem non ducat. Sal ammoniacum in placentis, crusta nigra fuliginosa obductis, ante usum a crusta illa liberandum; raffinatum et sublimatum album ad usum internum praeferendum; in mortario ferreo puro calefacto pulverandum. Serva vasis clausis loco sicco.

Praep. Alkali volatile siccum. Flores Salis Ammoniaci martiales. Spiritus Salis Ammoniaci aquosus et anisatus. Sp. Sal. Ammon. causticus. Sp. Sal. Ammon. vinosus. Sal Ammoniacum depuratum.

* SAL COMMUNE.

Natrum muriaticum Bor. Murias Sodae Bav. Bat. Gall. Aust.

Sal neutrum, per totum orbem in fontibus salinis et Aqua marina reperitur, in salinis Hassiae nostrae quoque excoquitur; solidum fossile vero in Polonia et Austria effoditur.

SAL COMMUNE, s. culinare. Kochsalz.

SAL GEMMAE. Steinsalz. Salzsaures Natrum.

Primum in crystallis minoribus tetraëdricis excavatis, subita crystallisatione ortis, alterum in cubis rare in octaëdris occurrit. Sit album, clarum seu subpellucidum; saporis salsi puri grati non amariusculi. Purum in aëre sicco constans, in atmosphaera humida vero Aquam attrahit sed non liquefit; ponderis specifici 2,3 — 2,15. Super igne crepitat et desilit, excandefactum funditur. Aquae seu frigidae seu bullientis partes circiter tres unam partem Salis communis solvunt. Plerumque Magnesiam salitam vel Sal ammoniacum fixum aeque ac Gypsum continet, et inde facile atmosphaera liquescit; ad usum internum crystallisatione depurandum. Serva loco sicco.

Praep. Acidum Salis. Acidum Salis dephlogisticatum. Spiritus Salis dulcis. Sal commune depuratum.

* SAL CORNU CERVI VOLATILE.

Ammonium carbonicum pyro-oleosum Bor. Carbonas Ammoniae pyro-animale Bat. Carbonas Ammoniae alcalinus pyro-oleosus Aust. Subcarbonas Ammoniae pyro-oleosus Bav. Subcarbonas Ammoniae oleosus concentratus Gall.

Alkali volatile Oleo empyreumatico nuptum, destillatione ex ossibus animalium etc. et sublimatione repetita cum Carbone vegetabili praeparato in fabricis receptum.

SAL CORNU CERVI VOLATILE. Flüchtiges Hirschhornsalz. Brenzlichtöliges kohlensäuerliches Ammonium.

Sit massa crystallina, alba; odoris Alkali volatilis et Olei animalis aetherei, penetrantis; saporis paris subcaustici; aëri expositum maxima ex parte diffugiat; in quatuor partibus Aquae calore 14° solvatur et calore 60° penitus sublimetur. Serva vitro obturato loco sicco.

Praep. Spiritus Salis Cornu Cervi rectificatus. Liquor Cornu Cervi succinatus.

* SAL MIRABILE GLAUBERI.

Natrum sulphuricum crystallisatum Bor. Sulphas Sodae Bat. Aust. Gall. Sodae sulphas Lond. Soda vitriolata. Deuto-Sulfas Sodii.

Sal neutrum, in pluribus regionibus ad littora lacuum salsorum aut in alveo exsiccatorum, nec minus in fodinis et fontibus Sale communi divitibus, occurrens et crystallisatione depuratum; pari quoque ratione arte factum, de praeparatione Acidi Salis e Sale communi ope Olei Vitrioli residuum, aut sub confectione Salis ammoniaci e Sale ammoniaco secreto Glauberi (Ammonio sulphurico) ope Salis communis, obtentum.

SAL MIRABILE GLAUBERI. Glaubersalz. Schwefelsaures Natrum.

Recenter effossum, nativum mox e crystallis aciculae et hastaeformibus coalitis constans, mox in forma stalactitorum obvium; plerumque coloris e flavo- vel griseo-albi, diaphanum, splendoris vitrei; fracturae minutius conchoideae planioris.

Arte crystallisatum referat prismata vel rhombica tetragona, vel hexagona irregularia, longitudinaliter striata; apice truncata, vel planis duobus, quatuor vel sex acuta, plerumque compressa. Sit decolor clarum, nisi aëris attactu pulvere albo obtectum, nisi ulterius obliteratum, quo modo facile dilabens dimidium ponderis sui perdit; saporis primum refrigerantis, dein amari subsalsi. Calore expositum liquefit, dein, Aqua crystallisationis evaporata, in massam salinam reducitur, quae valde excandefacta funditur. Solvatur calore 14° in tribus partibus Aquae et minori copia quam pari pondere bullientis. Solutio sit neutra, neque a Liquore Argenti sulphurici nec Salis Tartari turbanda, nec cum Aqua hydrosulphurata permixta, tenorem metallicum prodens; affuso Lixivio caustico Alkali volatile non redoleat.

Praep. Sal mirabile Glauberi depuratum.

* SALEP.

Orchis Mascula. O. Morio. O. fusca. O. ustulata et O. militaris L. Plantae perennes pratenses Asiae et Europae. Cl. XX. Ord. Diandria. Slg. off. Pfl. Lf. 9 et 12.

RADIX SALEP s. Salab. Salep.

Bulbi oblongo-rotundati, tuberosi, subtus saepe acuminati, variae magnitudinis, ab illa Fabae usque Nucis iuglandis, albido-flaviusculi aut leviter grisei, non fusci; quo pellucidiores, eo meliores, vix rugosi, corneae duritiei; pulverati exhibentes pulverem albidum; odoris dum recentes sunt hircini, siccati debilioris; masticati saporis mucilaginosissimi fatui. Bulbi ex India allati praecipue magnitudine nostratibus praevalent; decorticati siccati, plerumque per-

forati et filis gossypinis coniuncti sunt. Colligendi in fine aestatis, seminibus maturis scapoque marcescente, ac bulbo vetere reiecto, Aqua frigida lavandi, deterendo simul linteo rudiori epidermidem, et filis traiecti, cito in furno siccandi.

SALIX.

Salix fragilis L. Salix Russeliana. Smith. et Salix alba L. Arbores Asiae et Europae borealis ac temperatae in humidis. Cl. XXII. Ord. Diandria. Slg. off. Pfl. Lf. 14.

CORTEX. Weidenrinde.

Cortex Salicis fragilis et Russelianae, epidermide glabra nitida flavo-virente, tenax, ad articulos ramorum una cum hisce fragilis; aetate profecta fissilis, deductilis, fibrosus; odore balsamico-dulciusculo; sapore balsamico-amaro, dein valde styptico. Cortex Salicis albae, epidermide fusca, tenuis, flexilis, fibrosus; odore et sapore priori similis. Uterque vere, e ramulis biennibus, ad summum triennibus, colligendus et caute loco umbroso, ne odorem perdat, siccandus.

Praep. Extractum.

* SALVIA.

Salvia officinalis L. Fruticulus Europae meridionalis, nobis hortensis. Cl. II. Ord. Monogyn. Hayn. VI. Slg. off. Pfl. Lf. 4.

HERBA. Salbey.

Folia, cum summitatibus, in caule quadrangulo, villoso, ramoso, opposita, petiolata, ovato-lanceolata, crenulata, rugosa, crassiuscula, utrinque subvillosa; coloris ex glauco-viridis; odoris fragrantis, balsamico-camphorei; saporis amaricantis, aromatici, subadstringentis; calycibus mucronatis striatis, bracteis longioribus. Colliguntur folia ac summitates ante florescentiam. Serva vasis clausis.

Praep. Aqua. Oleum destillatum.

* SAMBUCUS.

SAMBUCUS NIGRA L. Arbuscula maximae partis Europae, passim culta. CL. V. ORD. TRIGYNIA. HAYN. IV. 16. SLG. OFF. PFL. LF. 5.

BACCAE RECENTES. Hollunderbeeren.

FLORES. Hollunder- oder Fliederblumen.

Baccae maturae, orbiculatae, apice depressae, umbilico parvo quinquefido adpresso praeditae; epidermide violaceo-nigra, glabra nitidiuscula; parenchymate succulento e violaceo fusco; graveolentes; grate acidulae; seminibus minutis durioribus, oblongis, angulatis.

Cymae quinquepartitae florentes, floribus pedicellatis; calyce parvo quinquedentato; corolla alba, siccata pallide sulphurea, polline flavo, tubo brevi crasso; odore suavi subnarcotico; sapore mucilaginoso subaromatico, quidquam amaricante. Pedunculis recisis celerrime siccandae. Serva vasis clausis.

PRAEP. Aqua. Roob.

SANGUIS DRACONIS.

DRACAENA DRACO L. Arbor insularum Canariensium. CALAMUS ROTANG L. et CALAMUS DRACO WILLD. Arbores Indiae orientalis. CL. VI. ORD. MONOGYN. PTEROCARPUS DRACO L. PT. OFFICINALIS JACQ. Arbor Americae meridionalis. CL. XVII. ORD. DECANDRIA. HAYN. IX. 2, 3 et 9.

SANGUIS DRACONIS. Drachenblut.

Resina e cortice caudicis et petiolorum inciso forsan pariter de fructibus obtenta; in massis maioribus rotundatis (optima), in globulis compressis pollicaribus, foliis palmarum inclusis et articulatim connexis, aut in baculis pari integumento tectis, maxime obvia; sit opaca, atropurpurea, fracturae planae, nitoris resinosi, maculis hyacinthino-purpureis, plerumque fragminibus foliorum palmarum intermixta;

odoris fere nullius; saporis parci dulciusculi aridi; triturae coloris luteo-scarlatini; igne liquetur et prunis iniecta fumum balsamicum edat et flagret; in Aqua non solubilis, tota fere in Spiritu Vini rectificatissimo, solutione atro-sanguinea.

* SAPO ALICANTINUS.

Paratur e Lixivio caustico minerali et Oleo Olivarum, coctione.

SAPO ALICANTINUS, VENETUS, SAPO SODAE OLEOSUS BAV. Spanische-, Venetianische-Seife.

Sit solidus albidus, aspectu pinguis, attactu vero glaber, odoris neutiquam rancidi; saporis non nimis alkalini, nec rancidi; aëri expositus non humescat; in Aqua destillata et Spiritu Vini rectificatissimo solvatur, excepta forsan minima portione sedimenti terrei aut terreo salini; metallici nil teneat. Serva loco sicco frigido.

PRAEP. Spiritus Saponis. Emplastrum Saponis.

SAPO DOMESTICUS.

Paratur coquendo Sevum cum Lixivio caustico vegetabili, et sub finem addendo Sal commune.

SAPO DOMESTICUS. Gemeine Seife.

Sit solidus, duriusculus, albo-cinereus, subpellucens, nonnisi recenter paratus unguinosus, ceterum subflavescens siccus et asper, fractus grumulosus; solum Sevum redolens, nec odore nec sapore rancido; aëris attactu longiore Alkali minerale ex eo eflorescere incipit. In octo partibus Spiritus Vini rectificati bullientis solvatur, solutione refrigerata in gelatinam aequabilem, pellucidam opalescentem abeunte.

Sapo alicantinus et domesticus ad usum externum solummodo inserviunt, dum ab opificibus non satis puri parari solent. Cum oxydis metallicis tincti non adhibendi.

PRAEP. Balsamum Opodeldoc.

SAPONARIA.

Saponaria officinalis L. Planta perennis Germaniae. Cl. X. Ord. Digynia. Hayn. II. 2. Slg. off. Pfl. Lf. 4.

HERBA. Seifenkraut.

RADIX. Seifenkrautwurzel.

Folia in caule erecto tereti, geniculato superne ramoso, et in ramis oppositis patentibus, pubescenti-scabriusculis ad genicula opposita, breviter petiolata, ovato-lanceolata, acuta, glabra; parce venoso-lineata, margine scabriuscula, subtus trinervia. Ante florescentiam carpenda.

Radix cylindrica, geniculata, ramosa, fibrosa, repens, calamum scriptorium crassa, sub epidermide ex rubro flavescente, siccatu rufa, facile separabili, flavescens inque medio albida; saporis e subdulci glutinosi, dein amaricantis, subacris. Effodiatur vere.

Non confundatur cum Lychnidis dioicae radice, alba ista et insipida.

Praep. Extractum.

SARSAPARILLA.

Smilax officinalis Kunth. et Smilax siphilitica Humb. Suffrutices Americae meridionalis. Cl. XXII. Ord. Hexandria.

RADIX. Sarsaparillwurzel.

Adfertur in fasciculis longis sesquipedalibus, vel rotundatis orbiculatim contortis, globum magnum medio perfossum referentes, Sarsaparilla electa s. rotunda; vel sub nomine Sarsaparillae de Honduras naturalis, rhizoma cum ramis adhaerentibus, ulnam et ultra longis. Sit crassitie calami scriptorii, flexuosa, subnodosa, longitudinaliter rugoso-sulcata; epidermide brunnescente, cortice rutilo-brunnea; longitudinaliter facile findenda, fracturae albae, cum annulo corticali fuscescente; odoris parci; saporis

amylacei, sub-mucilaginei, dein amaricantis subausteri, a cortice orientis. Decoctum agitatum spuma densa tegitur. Sarsaparilla a Smilace siphilitica Humb. deprompta, ad Orenoci littora inprimis obvia, vix ad nos pervenit. Ante usum findenda.

Sarsaparillam griseam, ab ARALIA NUDICAULI L. ortam, verae similem, sed crassiorem nec in fractura albam, et maculis purpureis instructam, sapore dulciusculo-mucilagineo dein acri, fauces vellicanti, in usum non trahes.

SASSAFRAS.

LAURUS SASSAFRAS L. Arbor Pensylvaniae, Carolinae, Virginiae, Americae borealis. CL. IX. ORD. MONOGYNIA. SLG. OFF. PFL. LF. 8.

LIGNUM. Sassafras-Holz.

Radix cum trunci parte infima tuberculoso-ramosa, venalis in frustis magnis; cortice, epidermide griseo-ferruginea rugosa tecto, lamelloso, intus rubigineo, fragili; odore grato, Foeniculum aemulante; sapore dulciusculo aromatico, subacri; substantia lignosa in stratis externis castaneo-rubente aut flavobrunnescente, intus pallide lutea, striis longitudinalibus variegata, levi, porosa; odore et sapore corticis, sed debiliore. Destillatione cum Aqua Oleum aethereum, Aqua ponderosius, odoris et saporis dicti concentratissimi, exhibet. Partem lignosam decorticatam, utpote plerumque inodoram, vetustiorem et effoetam ac scobem nunquam emes.

PRAEP. Oleum destillatum.

✝ SCAMMONIUM.

CONVOLVULUS SCAMMONIA L. Planta perennis Orientis, inprimis Syriae. CL. V. ORD. MONOGYNIA. SLG. OFF. PFL. LF. 9.

SCAMMONIUM. Scammonium.

Succus lacteus gummeo-resinosus, e radice incisa stillans, sole siccatus. Frusta maiora difformia, ci-

nerea, quae non nimis fuscescant, opacá, quo leviora, eo meliora, arida, forma quasi scoriarum, friabilia, triturae lucido-cinereae; fragilia, fractura subnitida, obscurius tincta; odoris debilis, tandem nauseam moventis; saporis primum non insignis, postea acris amari, nauseosi. Quae solubiliora in Aqua sunt, et quae in Spiritu Vini rectificatissimo maxima ex parte soluuntur, praevalent; solutio aquosa sit griseo-virens, lactescens et parum sedimenti emittat, spirituosa luce pervia.

♃ * SCILLA.

Scilla maritima L. Planta perennis in Europae meridionalis et Orientis littoribus arenosis. Cl. VI. Ord. Monogyn. Slg. off. Pfl. Lf. 1.

RADIX SCILLAE s. Squillae. Meerzwiebel.

Bulbus ovato-globosus, pugno par, quin maior, ponderosus; epidermide tenerrima, una cum squamis externis aridis lineatis rufa; squamis interioribus albis striatis, hinc inde, praecipue secundum nervos subrubentibus, crassis, carnosis, scatentibus succo tenaci; parum odoratus, nisi laceratus aut tritus; sapore nauseoso amarissimo acri; succo cutim rodente; a tunicis exsuccis liberatus et in squamas solutus, leni calore exsiccatur ac loco sicco servatur. Siccata in squamis unum ad duos pollices longis, minoris latitudinis, corneis ventricosis, flavide-albis subpellucidis, nervoso-lineatis obvia.

Praep. Acetum. Oxymel. Tinctura.

SCORDIUM.

Teucrium Scordium L. Planta perennis in locis paludosis Europae ac Germaniae. Cl. XIV. Ord. Gymnospermia. Hayn. VIII. 3. Slg. off. Pfl. Lf. 7.

HERBA. Lachenknoblauch.

Folia pollicaria, in caulibus quadrangulis, basi repentibus stoloniferis, tunc erectis geniculatis, ra-

mosis et in ramis oppositis ad genicula opposita, subsessilia, ovato-oblonga, obtusiuscula, basi angustiora, crenata, minutim ciliata, superne ex albo-viridia, subrugosa, subtus pubescentia; recentia odore alliaceo gravi; sapore pari amaro; siccata odore et sapore mitiore. Colligenda ante florum eruptionem.

SECALE CORNUTUM.

Degeneratio propria seminis SECALIS CEREALIS L. ab Uredine frumenti Sowerby producta.

SECALE CORNUTUM. Mutterkorn.

Sint Secalis cerealis semina, naturalibus maiora; extus e violaceo-nigrescentia, intus vel albida vel violacea; lineas tres ad pollicem longa, lineam unam ad duas lata, angulosa, apice acuta interdum incurva, longitudinaliter sulcata; odoris proprii; saporis dulciusculi.

* SENEGA.

POLYGALA SENEGA L. Planta perennis Americae temperatae ac borealis. CL. XVII. ORD. OCTANDRIA. SLG. OFF. PFL. LF. 12.

RADIX. Senega-, Klapperschlangen-Wurzel.

Radix, rhizomate brevi, crasso, annulato-rugoso, sub nodosa, ramis sensim attenuatis, flexuosis, crassioribus contortis, altero latere tuberculis semiannularibus tectis, altero margine argute decurrente, cristae instar, praeditis, tenuioribus longitudinaliter sulcatis tuberculatisque. Radices adultiores epidermide cinerascente, iuniores flavido-fuscescente tectae; cortex fuscescens, cum filo intermedio lignoso albo-flavescente; radix contusa odoris acris fere rancidi; saporis primum farinacei, mox acidiusculi, denique acris pungentis, linguae et faucibus pertinaciter adhaerentis, subamari.

PRAEP. Extractum. Syrupus.

* SENNA.

Cassia lanceolata Lamarckii. C. officinalis Gaertn. C. Senna α L. Suffrutex superioris Aegypti et Nubiae. Cl. X. Ord. Monogyn. Hayne IX. 41. Slg. off. Pfl. Lf. 11.

FOLIA SENNAE. Sennesblätter.

Folia Cassiae lanceolatae Lamk. folia Sennae verae, seu alexandrina praebent; sint pallide luteo-viridia, unguem circiter longa, lineas tres lata, sub-lanceolato-ovalia, acuta, basi inaequilatera, subtus, costa prominula et nervis oculo armato minutim pubescentia, aeque ac superficie molliuscula tactu; odoris proprii characteristici; saporis mucilagineo-amaricantis subacris et nauseosi; leguminibus ovalibus rectiusculis.

Folia Sennae tripolitana, verisimiliter a varietate Cassiae lanceolatae Lamk., et a Cassia obtusata Hayne. Cassia Senna Lamarck. Hayne IX. 43. producta, parum ab antecedentibus differunt, forma solum minore, obtusioreque recognoscuntur.

Hisce folia Cynanchi Argel Delilii, Solenostemmae Argel Hayne. Hayne IX. 38, illis Cassiae lanceolatae Lamk. subsimilia, immixta haud raro reperiuntur; ex albido-viridia, longiora, vere lanceolata, utrinque pariter in acutum angustata, rigida, costa intermedia prominula, nervis lateralibus carente, superficie rugoso-granulata inde aspera; saporis acris amaro-dulcis, nauseosi. Paulo validius cathartica dicuntur.

Folia Sennae nobis allata miscellam dictorum foiorum praebent, quam, si talis constituta est, ut maximam copiam foliorum Cassiae lanceolatae Lamk. minorem copiam tripolitanorum et minimam foliorum Cynanchi Argel contineat, a stipitibus et pulvere antea liberatam, in usum trahere potes.

Caveas ne pro illis accipias foliola Cassiae lanceolatae Lamk. in Italia culta, folia Sennae itala, latiora, tenuiora, magis mucilaginosa, vix amaricantia, vel folia Sennae alep-pensia, a Cassia obovata Colladon. Cassia Senna β italica L. Hayne IX. 42. Slg. off. Pfl. Lf. 7, etiam in Italia culta, glauca, subcuneato-obovalia, obtusissima, mucronata, subtus venoso-nervosa; leguminibus, Folliculi Sennae dictis, lunatis, incurvis permixta, vel foliola Coluteae cruentae L. fere orbiculata, tenerrima, apice truncata. Absint folia Sennae americana, a Cassia marylandica, Slg. off. Pfl. Lf. 10, producta, ovato-oblonga, aequalia, petiolo basi glanduloso, equidem folia Sennae moccaensia seu Indiae orientalis, a Cassia acutifolia Delili? Hayne IX. 40, pollicem et ultra longa, lineari-subulata, saporis parci mucilaginosi.

Praep. Potio purgans.

SERPENTARIA.

Aristolochia Serpentaria L. Planta perennis Americae borealis. Cl. XX. Ord. Hexandria. Hayn. IX. 21.

RADIX. Virginische Schlangenwurzel.

Radix, rhizomate brevi praemorso, fibrosa fibris copiosissimis, tres pollices et ultra longis, filiformibus flexuoxis, intricatis, fragilibus, fibrillis crispis flexilibus; epidermide gilva aut brunneo-virente; substantia interna albo-flavente medulla ferruginea; tota odoris penetrantis camphorato terebinthinacei nec simul Valerianae alieni; saporis paris aromatici calefacientis, subamari subacris. In vitris probe clausis servanda.

Cum radicibus nigris Asari virginici L. interdum adulteratae dicuntur, sed quum saepe foliis suis cordato-oblongis planis praeditae occurrant, facile inde a radicibus aliénis admixtis distinguuntur, si folia sicca, Aqua tepida mollita, talia reperiuntur.

* SERPYLLUM.

Thymus Serpyllum L. Fruticulus europaeus in apricis frequentissimus. Cl. XIV. Ord. Gymnospermia Slg. off. Pfl. Lf. 14.

HERBA. Quendel. Wilder Thymian.

Caule repente; ramis ramulisque tetragonis, decumbentibus, rubellis, pubescentibus, floriferis erectis; foliolis oppositis, ovatis, obtusis viridiusculis, versus basin parce ciliatis, integerrimis; floribus terminalibus, purpurascentibus, capitatis, verticillatis; saporis amari, aromatici, fragrantiae balsamicae citratae. Colligenda est florida, mensibus Junio Julioque.

PRAEP. Spiritus.

* SEVUM VERVECINUM.

SEVUM VERVECINUM. SEBUM OVILLUM. Hammeltalg.

Pinguedo abdominalis recens, inprimis omentalis et renalis OVIS ARIETIS L. minutim concisa, Aqua elota et leni calore in vase figulino liquata atque dein colata. Sit alba, solida, fere inodora; saporis mitis. Serva loco sicco frigido vasis clausis.

* SILIQUA DULCIS.

CERATONIA SILIQUA L. Arbor Orientis ac Europae meridionalis. CL. XXIII. ORD. TRIOECIA. HAYN. VII. 36. SLG. OFF. PFL. LF. 4.

SILIQUA DULCIS. Johannisbrod.

Legumen pollices sex circiter longum, pollicem latum, compressum, oblongum, plus minus incurvum, coriaceum, quo crassius et concussu minus crepitans, eo melius; cortice brunneo nitido glabro fragili, parenchymate pulposo-compacto, odoris mellei, saporis dulcis farinosi; multiloculare, fovens semina rubra multa, in singulis loculamentis solitaria, ovata compressa, durissima obscuro-rubra, glabra, nitida.

SIMARUBA.

QUASSIA SIMARUBA LINN. FILII. Arbor Americae, in Guiana, Carolina, insula Jamaica etc. crescens. CL. X. ORD. MONOGYNIA.

CORTEX. Simarubarinde.

Radicis cortex praestantior, longus, perfibrosus, aliquot lineas crassus, pollicem ad quatuor latus, rare convolutus, pluries quoque complicatus, laciniatus, levis; epidermide fusco-cinerea hinc inde rimulosa; intus pallidior, fractu pertinax, per se non in pulverem redigendus; inodorus, amarus.

* SINAPIS.

SINAPIS NIGRA L. Planta annua sativa ac spontanea Germaniae. CL. XV. ORD. SILIQUOSA. HAYN. VIII. 40. SLG. OFF. PFL. LF. 13.

SEMEN. Senffaamen.

Semina subrotunda exigua, testa ferrugineo-fusca, undique minutim punctato-rugosa; trita odore acri, nares vellicante; sapore fervido-acri, os et fauces urente, subamaro; nucleo flavo oleoso-albuminoso. Pulverem, seu farinam Sinapeos nunquam emes. Serva pulverem in vasis murrhinis seu in vitris probe clausis, ast non diutius.

PRAEP. Sinapismus simplex et fortior.

* SODA.

NATRUM CARBONICUM BOR. CARBONAS SODAE VENALE BAT. CARBONAS SODAE GALL. NATRUM SUBCARBONICUM CRUDUM HANNOV. SUBCARBONAS SODAE BAV. NATRUM AUST. ALKALI MINERALE.

Sal alkalinum nativum in Aegypto, Hungaria et Sibiria ad ripas lacuum, calore solis evaporatorum, copiose efflorescens, in Hispania vero combustione SALSOLAE SATIVAE L. littoribus marinis spontaneae et cultae, ac in Gallia deflagratione plantarum marinarum uti prostant e speciebus Salicorniarum, Salsolarum, Atriplicum etc., in Germania denique maxime e Sale mirabili Glauberi et Sale communi operatione chemica, in officinis salinariis, obtentum.

SODA. Soda. Mineralisches Laugensalz.

Soda cruda, hispanica, in massis duris compactis, ponderosis, semi-fusis, e cinereo-coerulescentibus, atmosphaera efflorescentibus, saporis salsi lixiviosi occurrit, et refert miscellam e Soda, Sale mirabili Glauberi, Sale communi, Terra argillosa, silicea, Calce, Ferro, et Carbone constitutam, etiam cum pauculo Sulphuris nuptam. Soda hungarica purior.

Soda crystallisata Germaniae usu pharmaceutico praeferenda est; vel in glebis difformibus, albis, claris, splendidis, vel in crystallis octaëdricis rhomboidibus, apice valde truncatis, aut prismaticis tetragonis complanatis, oblique truncatis, aut tabulaeformibus rhomboidibus imbricato-coalitis, obvia; saporis mitis alkalini, dulciusculi refrigerantis; crystalli aëre facile efflorescunt et in pulverem album dilabuntur. Calore temperato in duplici pondere Aquae, calore 80° vero in Aqua crystallisationis solvuntur. Chemice uti Cineres clavellati investigandae. Serva vasis murrhinis vel vitreis, epistomeis clausis, loco sicco.

Praep. Sal Sodae depuratum. Sal Sodae perfecte saturatum. Lixivium causticum minerale. Soda phosphorata.

SPATHUM PONDEROSUM.

Baryta sulphurica nativa Bor. Sulphas Barytae Aust. Gall. Barytes Bav.

SPATHUM PONDEROSUM. Schwerspat. Schwefelsaurer Baryt.

Sal neutrale terreum, in crystallis prismaticis rhomboidibus rectis, truncatis vel varie acutis, praecipue vero in tabulis rhomboidibus acervatis, ac in massis crystallinis splendentibus obvium. Sit lacteo-album, compactum, durum, margine pellucidum, concussu fragile, in fractura plano-conchoidea splendens vel micans, texturae lamellosae; ponderis specifici 4,3 — 4,6; subita exaestuatione decrepitans, sed non in pulverem fatiscans, igne aucto fusile; Aqua et Acidis non solubile, inde pulveratum di-

gestione cum Aqua regia a corporibus terreis heterogeneis et metallicis liberandum. Non cum Spatho fluorico, interdum immixto, confundatur, itaque pulveratum et cum Acido Vitrioli depurato concentrato superfusum, in calore vapores Acidi fluorici ne edat.

Praep. Aqua Barytae. Baryta acetica. Baryta nitrica. Terra ponderosa salita.

SPERMA CETI.

Cetaceum Bor. Album Ceti. Adipocire Gall. Adipocera cetosa Bav.

SPERMA CETI. Wallrath.

Massa sebaceo-cerea cum Oleo piscium mixta; in magna copia inter membranas cerebri Cetaceorum e. g. Physeteris macrocephali, Tursionis, et micropsis L. Physeteris Orthodontis Laceped. et Delphini edentuli vel orcae L. reperitur, ebullitione cum Lixivio diluto ac filtratione depuratur. Sit alba subcompacta, semi-pellucida, nitoris matricis perlarum, lubrica, tactu mitis nec unguinosa, fractura lamelloso-squamosa; odoris dulciusculi, viscosi; ponderis specifici 0,943; calore 45° liquescit; ebullitione in Spiritu Vini rectificatissimo parum, in Naphthae Vitrioli rectificatae vero pondere suo aequali solvitur, solutione refrigerando in crystallos lamellosas coagulante.

Attactu aëris rancidum et flavum fit, propterea in vitro clauso servandum.

Praep. Emplastrum.

* SPIRITUS.

Alcohol venale Bav.

Liquor spirituosus, fermentatione vinosa e seminibus, fructubus, etc. vegetabilium, Amylum vel Saccharum continentibus, affusa Aqua et addito fermento,

temperatura idonea instituta, subsequente destillatione miscellae obtentus, et denuo destillando rectificatus.

SPIRITUS FRUMENTI, VINI. Branntwein.

Sit tenuis, limpidus, incolor, vel solo extractivo doliorum flavide tinctus; odoris et saporis purioris spirituosi, pro vario vegetabile, ex quo originem ducit, variantis, inflammabilis; si ex frumento paratus, ponderis specifici 0,944 ad 0,940 = 10°—11° Ar. Bk. Aq. lev.; hic maxime scopo pharmaceutico inserviat.

PRAEP. Spiritus Vini rectificatus. Spiritus Vini rectificatissimus. Spiritus Vini absolutus.

* SPONGIA.

SPONGIA OFFICINALIS L. Zoophyton maris mediterranei et rubri, Americae quoque in littoribus atlanticis obvia. CL. VI. VERMES. ORD. V. CORALLIA.

SPONGIA MARINA. Bade-, Waschschwamm.

Substantia levis, elastica, tenax, formae subglobosae vel irregulariter lobatae, multis foraminibus diametri variantis pervia, quibus liquores sorbens turget, albida, cerina, et fuscescens; odoris marini; saporis salsi ab Aqua marina sorpta. Spongiae molliores tactu mitiores, minoribus poris ac colore albidiore praeditae optimae, maioribus vero foraminibus pertusae, minus elasticae et asperae Spongiae equorum vocantur; LAPIDES SPONGIARUM continent, quibus demtis, lotione cum Aqua depurantur.

PRAEP. Spongia cerata. Spongia usta. Pulvis contra strumas.

STANNUM.

E Stanni oxydati mineris (Späthiges Zinnerz, Zinnstein, Zinngraupen), in Anglia, Saxonia, Bohemia et Indiis orientalibus, regno Malacca et insula Banca obviis, ustulatis carbonis ope reductum.

STANNUM. Zinn.

Metallum solidum, candoris coerulescentis, recens fusum persplendidum, facile sub malleo in laminas redigendum, parum ductile, molle, sed Plumbo durius, stridendo flexile, tenax; fractura uncinatum, manibus frictione odorem proprium acidiusculum metallicum communicat. Purius ex Anglia et Indiis orientalibus; ponderis specifici 7,291, malleatum 7,299; atmosphaera splendorem perdit, sed non oxydatur; aestu gradibus 228° ad 267° Therm. centigradi fusile, fusum in superficie cum oxydo griseo-albo, Cinis Iovis vocato, obtegitur. A metallis heterogeneis liberum sit; addito quadruplo ponderis sui Acidi Nitri limatura Stanni coquendo in oxydum album pervertitur, liquor oxydo innatans defusus et filtratus, affusa Aquae destillatae copia, nec praecipitatum album edat, nec cum liquore Sodae depuratae, praecipitatione evitata, saturatus, a Liquore Salis mirabilis Glauberi turbandus, neque, addito Spiritu Salis ammoniaci caustico praeponderante, coerulescat, inde a Bismutho, Plumbo et Cupro liberum censendum. Arsenicum, Stannum inquinans, detegitur, si liquor nitricus, oxydo Stanni innatans, defusus ac methodo dicto saturatus, liquoris Argenti nitrici ope investigatur. Inquinatio cum Antimonio regulino eruitur, si Stannum suspectum in copia exuberante Acidi Salis coctione solutum, residuum maius relinquit, quod in Aqua regis solutum, solutionem exhibet, quae cum Aqua destillata diluta praecipitatum album et, instillata Aqua hydrosulphurato-acida, Sulphur auratum edit.

Praep. Liquor Stanni muriatici.

☨ STRAMONIUM.

Datura Stramonium L. Planta annua Americae, nunc in ruderatis Germaniae ubique, Cl. V. Ord. Monogyn. Hayn. IV. 7. Slg. off. Pfl. Lf. 1.

Caulis erectus, dichotomus, teres, glaber; flores solitarii in dichotomia ramorum, breviter pedunculati; calyce tubuloso-anguloso cum corolla deciduo;

corolla magna, alba, infundibuliformis ac plicata, tubulo viridescente; capsula matura fuscescens, magna, erecta, ovata, quadrivalvis, spinis rigidis brevibus obsessa; radice ramoso-fibrosa.

HERBA. Stechapfelkraut.

SEMEN. Stechapfelsaamen.

Folia magna, alterna, petiolata, ovata acuta, impariter sinuato-dentata, decurva, subpubescentia, supra obscure viridia, subtus pallidiora, venosa; odoris nauseoso-narcotici; saporis paris amaricantis. Ante florescentiam colligenda et vase clauso servanda.

Semina reniformia, subrugosa, cuticula nigra tecta, nucleo albo; inodora, saporis narcotico-nauseosi. Matura nigra colligenda et vasis clausis servanda. TOTA PLANTA VENENOSA.

PRAEP. Extractum. Tinctura.

STYRAX IN MASSIS.

STYRAX OFFICINALE L. Arbor insularum Archipelagi et Graeciae. CL. X. ORD. MONOGYN. SLG. OFF. PFL. LF. 6.

STYRAX IN MASSIS. CALAMITA. CALAMITES VERA. Aechter Storax.

Resina e cortice vulnerato sudans; in frustis angulosis, densis, mole variis, albicantibus vel fuscescentibus, fere opacis, cum massa e flavo-rufa diaphana conglutinatis, uti Benzoë suaveolentibus, obvia; saporis dulciusculi resinosi pungentis; foliis arundinaceis involuta, inde Calamita vel canaliculata vocata. Styrax Calamita syriaca optima sed valde rara.

Scobs styracina, a mercatoribus etiam STYRAX CALAMITA, Gemeiner Storax, vocata, coloris rutilo-brunnei, e ligno et cortice arboris dicti, particulis resinosis styracinis coalita, ad solam fumigationem prostare debet.

STYRAX LIQUIDA.

Liquidambar styraciflua L. Arbor Carolinae Americae septentrionalis. Cl. XXI. Ord. Polyandria. Et Altingia excelsa de Noronae, Altingia coerulea Lamarckii, arbor conifera Iavae Cochinchinae. Cl. XXI. Ord. Polyandria.

STYRAX LIQUIDA. Flüssiger Storax.

Balsamum seu nativum e trunco inciso stillans, seu decoctione ramulorum foliorumque cum Aqua obtentum, consistentiae unguenti resinosi, opacum, superficie tactu aëris coloris fusci, intus fusco-cinerei; odoris grati storacini proprii, acidiusculi; saporis balsamici acris; in Spiritu Vini rectificatissimo calefacto, quisquiliis exceptis, solubile. Cave ne cum Therebinthina inquinatum accipias.

Praep. Unguentum de Styrace.

SUCCINUM.

Resina propria arboris mundi primitivi, e familia Coniferarum, interiti. In Borussia praesertim ad littora maris Baltici, undis a tempestatibus impetuose agitatis, e fundo arrepta, natans inter fucos reperitur et cum illis ope retis proprii obtinetur, etiam ibidem fossilis reperitur.

SUCCINUM ALBUM et CITRINUM. Bernstein, Agtstein.

Frusta obtuso-angulosa, impolita vel nitida, diaphana vel opaciora, coloris straminei, mellei ac rufi, ponderis specifici 1,06—1,10; dura, tamen contundendo fragilia, fractura plano-conchoidea, splendoris vitrei vel pinguis, tritura flavido-alba; odore parco grato, quando fricatur negative-electricum fit ac corpora leviora attrahit. In Spiritu Vini rectificatissimo, Oleis aethereis et pinguibus vix solubile. Tostione vel destillatione sicca liquefit, brunneum ac nigrum colorem induit et Gas hydrogenium carboneum, Aquam, Oleum aethereum ac empyreumaticum, tandem Sal Succini sublimando exhibet;

massa remanens maxima ex parte in Spiritu Vini rectificatissimo et Oleis, tam pinguibus quam aethereis, solubilis. Rasuram Succini, dum pura sit, adhibere licet.

PRAEP. Oleum. Sal volatile.

* SULPHUR.

Vel e nativo vulcanico, in massis crystallinis concreto et terris etc. inquinato, in Italia et insula Islandia, vel e Pyrite Ferri aut Cupri destillatione in Germania, Gallia etc. obtentum ac in forma cylindrorum aut pulveris (Florum Sulphuris) venale.

SULPHUR CITRINUM. Schwefel.

FLORES SULPHURIS. Schwefelblumen.

Materies simplex, solida, laete-citrina, nitida, fere opaca, sonans, fragilis, contundendo dissiliens, fracturae interdum aciculoso-crystallinae, in manu calefacta strepitum ciens ac negative-electrica fit, magisque affricta, tum odoris proprii; saporis paris parci; ponderis specifici 1,99—2,00; aestu moderato fusilis, refrigerando in crystalla stellato-aciculosa connexa concrescens, aestu aucto colorem intensiorem induit, et vasis rite clausis sine residuo sublimatur; tactu aëris vero exaestuata, cum flamma coerulea deflagrat et vaporem sulphuroso-acidum, suffocantem, emittit; Aqua insolubilis, solubilis vero in Spiritu Vini absoluto, Naphtha ac Oleis tam aethereis quam pinguibus calefactis, Lixivioque caustico.

Flores Sulphuris sublimatione in camera clausa fabricis recepti, pulverem coloris supra dicti referunt. Sint tactu laeves, inter digitos contriti stridentes et tum odoris fortioris; lotione cum Aqua ab Acido Vitrioli semper adhaerenti liberati, soli medico usu adhibendi, Sulphur citrinum usu veterinario. Ab Arsenico liberi sint, quod eruitur, si pars una cum partibus quatuor Nitri purissimi misceatur et miscella in crucibulo hassiaco detonetur,

massa salina residua dein in Aqua destillata solvatur ac solutum filtratum, cum Acido Nitri caute saturatum, partim cum Ammonio hydrosulphurato liquido et pauculo Acidi Salis, partim cum liquore Cupri ammoniacalis investigetur.

Praep. Balsamum Sulphuris. Flores Sulphuris depurati. Hepar Sulphuris calcareum. Hepar Sulphuris alkalinum. Lac Sulphuris.

TACAMAHACA.

Calophyllum Inophyllum L. Arbor insularum Amboinensium, insulae Javae, Malabariae Indiae orientalis. Cl. XIII. Ord. Monogynia.

TACAMAHACA. Tacamahac.

Resina e cortice trunci vulnerato proflua et in massis forma variis concreta; lutescens, subpellucida, recens allata inter digitos emollienda, plerumque sicca, pulvere adspersa, friabilis, in fragminibus nitida; odoris fragrantis, validi, lavandulacei; saporis aromatici subacris; Spiritu Vini rectificato solubilis.

Fagara octandra Jacquin. arbor insulae Curaçao et Regni Mexicani Tacamahacam americanam, apud nos etiam venalem, producere dicitur. Populus balsamifera L. et Pop. candicans Ait. Americae septentrionalis, Tacamahacam spuriam seu communem ex luteo-viridescentem emittunt.

TAMARINDI.

Tamarindus indica L. Arbor Asiae occidentalis, Aegypti ac Indiae orientalis. Cl. XVI. Ord. Triandria. Slg. off. Pfl Lf. 7.

TAMARINDI. Tamarinden.

Pulpa e fusco-nigricans, seminibus maiusculis duris, subfuscis, splendidis, anguloso-rotundis, compressis et fibris mixta, e legumine deprompta; odoris

vinoso-acidi proprii; saporis paris pungentis. Recentem, tenacem, spissam in usum trahere, eam vero vitare oportet, quae in locis humidis diu recondita fuit, superficie uda, seminibus emollitis, tumidulis, parce splendidis, aeque ac Cupro inquinatam; lamina Ferri polita in pulpam suspectam, Aqua emollitam et calefactam, iniecta Cuprum prodit.

Praep. Pulpa.

TANACETUM.

Tanacetum vulgare L. Planta perennis Europae, ubique frequens. Cl. XIX. Ord. Superflua. Hayn. II. 6. Slg. off. Pfl. Lf. 1.

FLORES. Rainfarrnblumen.

HERBA. Rainfarrnkraut.

Flores dense corymbosi, terminales, aurei; corollulis tubulosis, nonnunquam flosculis radiatis obsolete-trifidis cincti; inclusis calyce communi hemisphaerico, glabriusculo, squamis lanceolato-acutis imbricato; receptaculo nudo. Colliguntur nuper evoluti.

Folia in caule tripedali erecto striato, sessilia, alterna, pinnata; laciniis lineari-lanceolatis, inciso-pinnatifidis, argute serratis; obscuro-viridia, punctata, stipulis ac costis ex albo villosis. Colligenda ante florescentiam. Tota planta odoris fortis, camphorati; saporis amari, aromatici.

Praep. Extractum. Oleum destillatum.

* TARAXACUM.

Leontodon Taraxacum L. Planta perennis, Germaniae frequentissima. Cl. XIX. Ord. Aequalis. Hayn. II. 4. Slg. off. Pfl. Lf. 2.

HERBA RECENS. Löwenzahn-, Pfaffenröhrlein-Kraut.

RADIX. Löwenzahnwurzel.

Folia radicalia omnia in circulum prostrata, basi angustiora, apicem versus latiora, runcinata, glabra, laciniis triangularibus denticulatis, ultima maxima, iuniora subvillosa, adultiora glabra. Variat foliis, minoribus, tenuioribus, runcinato-laciniatis. Floribus magnis luteis, calyce duplici, foliolis exterioribus reflexis, interioribus erectis; scapo erecto, glabro unifloro, tubuloso, succo lacteo scatente. Colligitur subflorescens.

Radix fere fusiformis, superne digitum crassa, spithamam longa, saepe multiceps, fibris undique munita; epidermide in sicca nigrescente in recenti flavo-brunnea, transversim subannulato-rugosa; substantia interna carnosa, formata e stratis tunicarum concentricis, inde discissa discum annulatum praebens; recens scatens, inprimis vere et autumno, succo lacteo albo, primum dulciusculo quidem, sed dein amariori ac herba; sicca autem solum saporis amariusculi.

Praep. Extractum. Mellago.

* TARTARUS.

Tartarus crudus. Tartras lixiviae acidulus impurus Aust. Potassae Supertartras impura Lond. Tartras Potassae acidulus crudus Bav. Tartras acidulus Potassae venalis Gall. Tartarus albus Bat. Roher Weinstein.

Crystalli Tartari. Tartarus depuratus Bor. Tartras lixiviae acidulus depuratus Aust. Potassae Supertartras Lond. Tartras acidulus Potassae purus Gall. Tartras Potassae acidulus purus Bav. Tartris potassae acidula depur. Bat. Supertartras Potassae depuratum Belg. Weinsteinkrystalle. Saures weinsteinsaures Kali.

Sal acidum succi Vuarum et Vini Vitis viniferae L. in doliorum conditivorum parietibus, faecibus et Calcaria tartarica inquinatum, haerens, in forma crustae plus vel minus crassae, durae, subcrystal-

linae, fractura nitentis, e Vinis albis coloris sordide-albi, Tartarus albus, rutili vero e Vinis rubris, Tartarus ruber, secedens; saporis aciduli terrei faecium.

A sordibus repetita solutione in Aqua fervida, additione Terrae argillosae seu Cinerum, ac clarificatione cum albumine Ovorum et crystallisatione in Monte Pessulano in Gallia, Venetiis in Italia purificatus, Crystallos Tartari venales refert. Sint niveo-albae nitentes, diaphanae, in frustula crystallina coalitae vel integriores et tunc prismata tetragona vel hexagona imparia, aut obtuse truncata aut lateribus duobus acuta, praebentes; sub dente durae, masticatae saporis aciduli; calore temperato aëris in 170—180 partibus Aquae purae, in bullientis vero partibus 26—28 solubiles. Combustione Gas inflammabile, Oleum, Aquam et Spiritum Tartari (Acidum empyreumaticum) emittunt ac in residuo poroso carboneo Sal Tartari (Kali carbonicum) relinquunt. Detonatione cum Nitro instituta, fluxum nigrum et album, praecipue Sal Tartari continentem, exhibent. Tenorem Cupri vel metallicum alium ne prodant, suspectae in Aqua solutae cum liquore Kali ferreo-borussici vel Aqua hydrosulphurata investigandae.

Praep. Cremor Tartari. Cremor Tartari solubilis. Mixtura simplex. Sal essentiale Tartari. Sal Tartari. Sal Tartari perfecte saturatum. Sal polychrestum Seignettei. Spiritus Tartari. Tartarus solubilis. Tartarus tartarisatus.

* TARTARUS VITRIOLATUS.

Kali sulphuricum Bor. Sulphas Potassae Bat. Bav. Gall. Sulphas lixiviae Aust. Potassae sulphas Lond. Arcanum duplicatum. Sulphas Potassii.

De paratione Acidi Nitri residuus et dein saturatus etc.; vel sub praecipitatione Magnesiae albae compositus ac vaporatione liquoris obtentus, e fabricis venalis.

TARTARUS VITRIOLATUS. Vitriolisirter Weinstein. Schwefelsaures Kali.

Prismata interdum tetragona plerumque vero hexagona, irregularia, brevia, minora, tetraëdris seu hexaëdris acuta, vel crustae solum acumina crystallorum praebentes. Crystalli albae, perspicuae, splendentes, aëre constantes; saporis amari, salsi, subacris; prunis iniectae decrepitant, et ad albedinem excandefactae fluunt ac fixae permanent. In partibus sedecim Aquae destillatae et in quinque bullientis solubiles. Solutio nec a liquore Argenti sulphurici vel Salis Tartari turbenda, neque, cum liquore Kali ferreo-borussici vel Aqua hydrosulphurata permixta, metalla prodat. Serva loco sicco.

Tartarus vitriolatus, cum Vitriolo albo Sal duplex constituens, interdum (ut dicunt) venditur, et crystallis prismaticis obliquis quadrilateribus ac rhomboëdris, et praecipitato albo, Aqua hydrosulphurata affusa, orto recognoscitur ac reiiciatur.

* TEREBINTHINA.

Pinus Larix L. Arbor in montosis Europae meridionalis frequens, nobis culta Slg. off. Pfl. Lf. 6. Pinus Picea L. Abies alba Willd. Abies taxifolia Lambert. Arbor in Europae borealis ac mediae alpinis et montosis. Pinus Pinaster Lamb. Pini sylvestris varietas L. Arbor in arenosis maritimis Burdigalae Galliae culta. Slg. off. Pfl. Lf. 12. Et Pinus sylvestris L. ubique, maxime autem in Thuringia et Silva nigra frequens. Slg. off. Pfl. Lf. 2. Cl. XXI. Ord. Monadelphia.

* TEREBINTHINA VENETA, s. laricina. Balsamum Pini Laricis Bav. Venetianischer Terpenthin.

TEREBINTHINA ARGENTORATENSIS, s. abietina. Straßburger Terpenthin.

* TEREBINTHINA COMMUNIS, s. burdigalensis. Gemeiner Terpenthin.

* OLEUM TEREBINTHINAE. Oleum aethereum Laricis Bav. Terpenthinöl.

Terebinthina est Resina liquida Oleo aethereo foeta, in vasis resiniferis et vesiculis Pinorum contenta, e foraminibus trunci terebratis et tubulis munitis, stillans.

Terebinthina veneta, quam Pinus Larix exhibet, sit subflavescens, limpida, fluido-spissa, subtenax, in fila ductilis; odoris subcitrei resinoso-aciduli; saporis resinosi subpungentis, subamari; in Spiritu Vini rectificatissimo solubilis.

Terebinthina argentoratensis, a Pino Picea oriens, coloris obscurioris, pellucida; odoris fortioris; saporis peramari, non pungentis, destillatione cum Aqua optimum Oleum Terebinthinae largitur.

Terebinthinam communem Pinus Pinaster et P. sylvestris proferunt. Esto flavide-alba, e partibus duabus constituta, altera leviore, fluidiore, diaphana, intensius tincta, altera albidiore, opaca, densiore, granulosa, Melli crystallino simili; odoris fortis ingrati; saporis amari, acris nauseosi. Usui veterinario adhibenda.

Oleum Terebinthinae aethereum venale destillatione Terebinthinarum variarum, praecipue earum Pini Pinastri et Piceae cum Aqua obtentum; colore carens, limpidum tenue; ponderis specifici 0,870 = 26° Ar. BK. Aq. lev.; odoris Pini puri; saporis proprii amari non persistentis; in Spiritu Vini absoluto solubile, Naphthae Vitrioli, caute rectificatae, partes duae ad tres unam Olei Terebinthinae solvunt. Ad usum internum destillatione e Terebinthina veneta parandum vel rectificatione cum Aqua depurandum. Oleum Strobilorum Pini, odoris vilioris, ne adhibeas.

Praep. Oleum Terebinthinae depuratum. Terebinthina cocta.

THYMUS.

Thymus vulgaris L. Planta suffruticosa Europae meridionalis, nobis culta. Cl. XIV. Ord. Gymnospermia. Slg. off. Pfl. Lf. 14.

HERBA. Thymian.

Herba florens, caule erecto, ramoso, tenui; foliis sempervirentibus, oppositis, ovatis, sessilibus, revolutis, utrinque punctatis, floribus verticillatis, spicatis, albis, aut ex albido purpureis; saporis odorisque aromatici, balsamici, grati. Colligitur florens et servatur vasis clausis.

‡ TIGLIUM.

Croton Tiglium L. Frutex Indiae orientalis, imprimis Malabariae, insularum Moluccensium, Zeylonis et Iavae. Cl. XXI. Ord. Monadelphia. Slg. off. Pfl. Lf. 11.

GRANA TIGLII. Purgirkörner.

OLEUM CROTONIS. Crotonöl.

Semina magnitudinis phaseoli saccharini, ovato-oblonga, lateribus latioribus oppositis in angulum obtusum protractis, latere uno convexiore; testa vel cuticula ferruginea tecta, vel nuda nigra, languida, costis atris a cicatricula decurrentibus, margine seminum maxime prominentibus, notata, subaspera, tenui fragili, intus cuticula albida vestita; albumine griseo-flavente, bipartibili, medio excavato, embryonem membranaceum includente, oleoso; saporis oleosi, rancidi tantillum, acerrimi urentis et linguae diu inhaerentis.

Oleum e seminibus expressum, in vitris drachmae unius ex Anglia affertur. Sit limpidum, flaviusculum, pingue fluidum, Olei Olivarum instar; odore resinam Ialappae aemulante; saporis acerrimi urentis. Oleum, e seminibus recentioribus decorticatis, expressione nobis obtentum, pari omnino efficacia est. Efficacissimum purgans.

Dosis. Octava pars guttulae unius pluries die, usque ad unam guttam.

Cave ne semina Iatrophae Curcas L. Americae incolae, olim semina Ricini americani maioris vocata, forma similia, sed magnitudine Nucem avellanam minorem aequantia, loco seminum Crotonis Tiglii accipias; margine costis

carentia, cuticulis duabus obtecta, prima nigro-brunnea, rimosa, secunda spongiosa lutescente, testam castaneam duram includente.

TILIA.

TILIA EUROPAEA L. cum varietate grandifolia. Arbor ubique frequens. CL. XIII. ORD. MONOGYNIA. HAYN. III. 47 et 48. SLG. OFF. PFL. LF. 4.

FLORES. Lindenblüthen.

In pedunculis subtrifloris, bracteatis, bracteis albido-virentibus, submembranaceis, oblongis, obtusis, pedunculo decurrentibus integerrimis; calyce quinquepartito, albido; corolla pentapetala, petalis lutescentibus, suaveolentibus. Ipsa efflorescentia carpendi et siccandi.

TORMENTILLA.

TORMENTILLA ERECTA L. Planta perennis in Europae borealis et temperatae aridis. CL. XII. ORD. POLYGYNIA. HAYN. II. 48. SLG. OFF. PFL. LF. 6.

RADIX. Tormentillwurzel.

Radix cylindrica, superne digitum crassa, duos circiter pollices longa, tuberosa, nodosa, incurva, fibris copiosis longis, rigidis tecta; epidermide ferruginea, subsquamosa; cortice atropurpureo compacto, substantia interna ex brunneo-rubra, vel rubella, solida, cellulosa; inodora; valde styptica. Vere effodienda.

TRAGACANTHA.

ASTRAGALUS VERUS OLIVIER. Frutex Armeniae et Persiae. CL. XVII. ORD. DECANDRIA. SLG. OFF. PFL. LF. 11.

GUMMI TRAGACANTHAE. Tragantgummi.

Gummi e ramis exsudans, in frustula elongata, multifarie contorta, seu vermiformia complanata condensatum; albidum, subdiaphanum, durum, tenax,

aegre pulverandum; Aqua valde intumescit, ita, ut pulveris pars una partes viginti quatuor Aquae fervidae in mucilaginem spissam ac glutinosam pervertat; saporis fatui. Gummi Tragacanthae electum solum in scopum medicum adhiberi debet, flavum et rufum ab eo excludendum, aeque ac Gummi Kutira vel Kuteera, ex India orientali advectum, in Aqua solum intumescens, vi glutinandi expers.

Praep. Mucilago.

* TRIFOLIUM FIBRINUM.

Menyanthes trifoliata L. Planta perennis palustris Germaniae. Cl. V. Ord. Monogynia. Hayn. III. 14. Slg. off. Pfl. Lf. 3.

HERBA. Fieberklee. Bitterklee.

Caulis articulatus solidus, prostratus, radicans; folia radicalia omnia ternata, longe petiolata, petiolis vaginantibus, foliola maiuscula laete-viridia, ovata, sessilia, firmula, obtusa, margine undulata, glabra, peramara; odoris herbacei. Maio vel Iunio colligenda.

Praep. Extractum.

TUTIA.

Tutia. Cadmia. Tutie.

Oxydum Zinci impurum in forma crustarum vel laminarum venale, fusco-cinereum, friabile, camini fornacum, in quibus Zinci minerae funduntur, lateribus adhaerens, insipidum et inodorum. In Acido Vitrioli solutum ac solutione evaporata, Vitrioli Zinci crystallos format.

Praep. Tutia praeparata.

ULMUS.

Ulmus campestris L. et Ulmus effusa Willd. Arbores sylvaticae Germaniae. Cl. V. Ord. Digynia. Hayn. III. 15. Slg. off. Pfl. Lf. 5 et 14.

CORTEX. Ulmen-, Rüster-Rinde.

Cortex interior, ligno proximus, ab externo aspero, fragili, fusco liberatus; lentus, mucilagine in fila ductili scatens, ex lamellis tenuibus concretus, glaber, recens flavus, per exsiccationem spadiceus; sapore mucilaginoso-amaro subaustero, parum acri. Colligitur vere ex arborum non nimis adultarum ramis.

UVA URSI.

Arbutus Uva Ursi L. Fruticulus sempervirens Europae et Americae borealis. Cl. X. Ord. Monogynia. Hayn. IV. 20. Slg. off. Pfl. Lf. 4.

FOLIA. Bärentrauben-, Sandbeeren-, Steinbeerenblätter.

Caules plures ex una radice, caespitosi, decumbentes, pedales et ultra, fruticulosi, ramosi; flores ovati in racemum terminalem simplicem nutantem dispositi, ex albo-purpurascentes; foliis alternis unguicularibus oblongis, obovatis, subsessilibus, integerrimis obtusis, plerumque margine subrevolutis, coriaceis, duriusculis, nitentibus, semper virentibus, supra flavido-viridibus, rugosis, subtus venuloso-reticulatis pallidioribus; odoris parci; saporis adstringentis subamari. Folia cum sumitatibus ante florescentiam colligenda.

Non confundenda cum foliis Vaccinii Vitis Idaeae L. Slg. off. Pfl. Lf. 5. margine parum revolutis, subtus glaucis, punctis fuscis nigricantibus notatis, quorum infusum aquosum, cum liquore Vitrioli Martis mixtum, praecipitatum tenue nigro-viridescens edit, Aqua supernatante clara; infusum foliorum Uvae Ursi vero pariter tractatum sedimentum copiosum nigrum coerulescens exhibet, Aqua supernatante nigro-turbida.

* VALERIANA SYLVESTRIS.

Valeriana officinalis L. Planta perennis Europae in subalpinis siccis, in paludosis ac udis dumetis, nobis indigena. Cl. III. Ord. Monogyn. Hayn. III. 32. Slg. off. Pfl. Lf. 6.

RADIX. Gemeiner Baldrian.

Radix praemorsa annulata, fibris copiosis, ad apicem capillaribus, duos ad tres pollices longis, insertione squamis ovatis praeditis, obsita, stolonifera, cavitatem unde caulis prodierat servans; epidermide in recenti sordide albido-lutescente, in sicca cinerascente-fusca; intus albida, subcarnosa; odoris proprii subnauseosi, vehementis, camphoraceo-aciduli; saporis similis amaro-acris; Oleum aethereum continet. Effodienda vere, ante caulis evolutionem, locis siccis creta, rejectis radicibus fibris virides-centibus praeditis et evitatis radicibus VALERIANAE DIOICAE, minoribus illa. Vasis probe clausis servanda.

Venalem siccatam interdum cum radice Hellebori nigri Rhanunculorumque intermixtam dicunt, quam reiicere oportet.

PRAEP. Aqua. Extractum. Oleum destillatum. Tincturae.

VANILLA.

EPIDENDRUM VANILLA L. VANILLA AROMATICA SWARTZ. Planta parasitica Americae meridionalis, inprimis Hispaniae novae. CL. XX. ORD. DIANDRIA.

SILIQUA VANILLA. Vanille. Vanillen.

Siliquae fere semipedales, calami scriptorii maioris crassitie, subcompressae, lineares, versus pedunculum et apicem attenuatae, longitudinaliter flexuoso-striatae et sulcatae, splendoris oleosi, pingues; coloris atro-fusci; intus pulpam nigram pinguem ac semina minima subrotunda, nigra splendida continentes; odoris benzoico-balsamici fragrantissimi; saporis paris aromatici gratissimi subdulcis; in superficie crystallis aciculosis micantibus flavido-albis, Acidum benzoicum prodentibus, saepius tectae. Ne accipias siliquas vetustiores, siccas, emarcidas, saporis acidi, nec non siliquam Vanillae Laquaira dictam, nigram, latiorem, odoris pulpae Prunorum aciduli, subbalsamici, saporis aciduli dulcis Cassiae fistulae, subaromatici. Serva in vitris obturatis.

PRAEP. Tinctura.

* VERBASCUM.

Verbascum Thapsus Schrad. Verbasc. thapsiforme Schrad. et Verbasc. phlomoides Linn. Plantae biennes in arenosis sterilibus ac ruderatis Germaniae. Cl. V. Ord. Monogyn. Slg. off. Pfl. Lf. 1 et 12.

* FLORES. Wollblumen. Königskerze.

HERBA. Wollkraut.

Flores, breviter pedunculati, in spicam terminalem longam densam obtusam bracteatam dispositi; calyce quinquepartito, tomentoso; corollae rotatae tubo brevi glabro, limbo magno vel minori tamen tres quadrantes pollicis fere diametri, aureo-flavo, extus pubescente, quinquefido rotundato; filamentis tribus villosis, duobus nudis; odoris suavis, subviolacei; saporis mellei, subaromatici, visciduli. Iulio et Augusto, tempore sicco sole lucente, colligendi et diligenter siccati cribri ope a calycibus et villis prurientibus liberati, vitris vel vasis e Ferro laminato, Stanno obducto, servandi.

Folia alterna decurrentia, longa, larga, ovato-lanceolata crenulata, rugosa, mollia, utrinque tomento albido densissimo vestita, inferioribus petiolatis; odoris parci; saporis mucilagineo-herbacei.

VERONICA.

Veronica officinalis L. Planta perennis sylvarum et dumetorum. Cl. II. Ord. Monogyn. Hayne IV. 3. Slg. off. Pfl. Lf. 5.

HERBA. Ehrenpreiß.

Herba florens, caule procumbente, geniculato, pubescente, palmari et pedali, inferne saepius radicante tunc adscendente; foliis laete-viridibus, oppositis, subsessilibus, obovato-rotundis obtusis, basi cuneatis, serratis, pubescentibus; odoris parci; saporis amaricantis subadstringentis; flores spicati, pedunculati, corolla coerulea, interdum rutila vel albida, venis obscurioribus percursa. Maio et Iunio colligenda.

VINUM.

Liquidum fermentatione spirituosa e succo baccarum VITIS VINIFERAE L. progenitum, defaecatum. SLG. OFF. PFL. LF. 11.

VINUM ALBUM. Weißer Wein.
VINUM RUBRUM. Rother Wein.
VINUM HISPANICUM. Spanischer Wein.

Omne Vinum in usum pharmaceuticum trahendum sit genuinum, fermentatione longiori sat defaecatum. In genere Spiritum Vini destillatione, calore 60° non attingente, neutiquam edat, etsi nonnulla Vina illum calore vix maiore perdant. Spiritus Vitrioli volatilis (Acidum sulphurosum), si continetur, minima certe portiuncula adsit; partes metallicas non contineat; nec pigmenta, artificialiter sibi nupta, ad vasorum parietes deponat. Inquinationem Vinorum, natura dulcium, cum Saccharo recognoscas, si vitrum colli angustioris Vino suspecto repletum ac digito clausum inversum sub Aqua in vase hyalino aperitur et Aqua dulcis inde evadit. Damnanda immixtio Plumbi oxydati facile additione liquoris probatorii Hahnemanni exploranda.

Vinum album et quidem Rhenanum aut Franconicum sat generosum, in quo Acidum malicum iam cum Spiritu Vini arctius connubium, Naphthae non absimile, iniverit, separato maxima ex parte Tartaro; sit plus minus citrinum, penitus diaphanum; odore spirituoso amoeno, ceterum aromaticovario; sapore pari miti acidulo. Argentum purum ne denigret, liquore Argenti nitrici instillato, vix brunnescat aut sedimentum nigrum demittat.

Vinum rubrum, inprimis Gallicum, sit purpureofuscum; odore grato subaromatico spirituoso; sapore pari austero subacido, addito liquore Barytae aceticae aut liquore Salis Tartari nil Aluminis monstret.

Vinum Hispanicum, praecipue Hispanico-Lusitanicum aut insularum Canariensium, sit saturate ru-

bro- aut flavo-brunneum; odore spirituoso grato; sapore pari dulcescente, tandem amariusculo; destillatione Spiritum nec nimis facile, nec aromatico odore imbutum edat, aut extractum genuino alienum relinquat.

VISCUM ALBUM.

Viscum album L. Fruticulus parasiticus sempervirens Pyrorum, Malorum etc. Cl. XXII. Ord. Tetrandria. Hayn. IV. 24. Slg. off. Pfl. Lf. 2.

LIGNUM VISCI ALBI. Weißer Mistel.

Ramuli tenuiores, bini terni quaterni eodem loco ex ramis dichotomis prodeuntes, cum foliis, teretes, ad caulis et ramorum divisiones subnodosi, sulco annulari subdentato; folia opposita, sessilia, lanceolato-oblonga, obtusa, integerrima, versus basin attenuata, flavo-virentia, coriacea, scabriuscula, nervosa; textura interna, uti ramuli, valde glutinosa; et ramuli recentes et folia recentia odore ingrato mucido fungino subnarcotico, sicca pari, sapore simili glutinoso amariusculo subaromatico praedita. Primo vere ante florescentiam colligenda, leniter siccanda, et in vasis probe clausis servanda; pulvis nunquam longius prostet.

✠ * VITRIOLUM ALBUM.

Zincum sulphuricum Bor. Sulphas Zinci Bat. Aust. Gall. Bav. Zinci sulphas Lond. Vitriolum Zinci. Zincum oxydatum sulphuricum.

Sal metallicum raro nativum. Venale plerumque e minera Zinci Rammelsbergensi, (Pyritem Zinci, Ferri etc. continente, Zinkblende), ustulata, aëre fatiscata et elixivata, subsequenti encheiresi propria, in officinis Goslariensibus, ad sylvam Hercyniam, paratur.

VITRIOLUM ALBUM. Weißer Vitriol. Schwefelsaurer Zink.

In glebis difformibus albis, opacis, minutim crystallinis, Saccharo albo raffinato similibus, obvium;

saporis metallici acris valde styptici, vomitum ciens. In tribus partibus Aquae destillatae solvatur, solutio cum Spiritu Salis ammoniaci caustico mixta, lactescens et decomposita, affusione ampliore Spiritus dicti clara redditur, metallis heterogeneis residentibus, Cupro excepto, quod solutionem colore coeruleo tingit. Eligatur albissimum, a Vitriolo Martis immixto non viridescens vel rubiginosum, ad usum externum et veterinarium. In scopum ulteriorem medicum et pharmaceuticum e Zinco puro et Acido Vitrioli puro diluto, solutione et crystallisatione, parandum.

✠ * VITRIOLUM COERULEUM.

Cuprum sulphuricum Bor. Sulphas Cupri Bat. Aust. Gall. Bav. Cupri sulphas Lond. Vitriolum de Cypro. Cuprum oxydatum sulphuricum.

Sal metallicum in Hispaniae fodinis apud Rio Tinto magna copia fossile; venale eadem methodo uti Vitriolum album e Pyrite Cupri (Kupferkies) Goslariae et Marienbergae Saxoniae, etiam ex Aquis caementatoriis naturalibus Hungariae excoquitur.

VITRIOLUM COERULEUM. Blauer Vitriol. Schwefelsaures Kupfer.

Venale in glebis crystallinis et crystallis integrioribus, prismaticis hexagonis aut rhomboidibus compressis, oblique vel horizontaliter truncatis, pellucidis, splendentibus, plerumque pulvere viride-albido fatiscendo aspersis, coloris cyanei intensioris pulchri; saporis acidiusculi acris, styptici metallici nauseosi; calore liquefit; in quatuor partibus Aquae destillatae et in duabus bullientis solubile; sedimentum coeruleo-albidum, quod Spiritus Salis ammoniaci causticus ex ista solutione secernit, ab exuberante copia reagentis modo dicti resolvitur, solutione inde orta lazulina clara, corporibus alienis uti Ferro, Terra argillosa residentibus. Inquinationem rariorem cum Zinco sulphurico detexeris per di-

gestionem solutionis Vitrioli coerulei suspecti cum Ferro metallico ita, ut Cuprum ex illa totum praecipitatum sit, tum fluido filtrato Spiritum Salis ammoniaci causticum in copia exuberante adde, Zincum oxydatum, primum praecipitatum, a Spiritu dicto resolvitur ac ex liquore, denuo filtrato, vaporatione recipitur.

Sal triplex e Terra argillosa, Cupro oxydato et Acido Vitrioli constitutum, Vitriolo coeruleo persimile, in Gallia fabricatum, ne emas; color debilior et praecipitatum album insolubile, in solutione, cum Spiritu Salis ammoniaci caustico uti antea tractata, residens, fraudem indicunt.

VITRIOLUM VIRIDE.

Ferrum sulphuricum Bor. Sulphas Ferri Bat. Aust. Gall. Bav. Ferri sulphas Lond. Vitriolum Martis. Ferrum oxydulatum sulphuricum.

Sal metallicum parcius nativum, maxime vero, methodo apud Vitriolum album dicta, e Pyrite Ferri (Schwefelkies, Eisenkies) obtentum. E Saxonia, Hungaria et Anglia affertur.

VITRIOLUM VIRIDE. Grüner- oder Eisen-Vitriol. Schwefelsaures Eisen.

Vel in glebis crystallinis vel in crystallis plus minusve integrioribus occurrit. Crystalli prismatico-rhomboides aut truncatae aut pyramide tetragona acutae, splendidae, diaphanae, cum Vitriolo fatiscente albo vel flavescente saepius aspersae; coloris dilute herbacei vel smaragdini; saporis dulciusculi, styptici. In duabus partibus Aquae destillatae, in tribus quadrantibus vero bullientis solubile; calore liquefit, et aestu continuante, in pulverem album, (Vitriolum ad albedinem calcinatum) vertitur; igne fortiori decomponitur ac rubiginosum fit, (Vitriolum ad rubedinem calcinatum); excandefactum Oleum Vitrioli edit, Ferro oxydato, (Colcothar seu Capite mortuo Vitrioli) remanente. Saepius Cupro inquinatum uti Hungaricum etc. ac inde coerulescens, id quod lamina Ferri polita indicit; solutio in tenorem Vitrioli albi Spiritus

Salis Ammoniaci caustici praeponderantis ope exploratur. Anglicum purius quidem, attamen ad usum internum non adhibendum.

ZEDOARIA.

Curcuma Zerumbet Roxb. Curc. Zedoaria Salisb. Amomum Zerumbet Koenig. Amom. latifolium Lamarck. Cl. I. Ord. Monogyn. Slg. off. Pfl. Lf. 8. radicem Zedoariae longam refert. Curcuma Zedoaria Roxb. Curcuma aromatica Salisb. Amomum Zedoaria Berg. et Willd. radicem Zedoariae rotundam exhibet. Plantae perennes Indiarum orientalium. Cl. I. Ord. Monogyn.

RADIX. Zittwerwurzel.

In segmentis maxime oblongis, rarius disciformibus, magnitudine pollicis unius vel duorum, triangulatis, uno latere convexis, obvia; epidermide dilute-fusca, rugosa, residuis fibrarum tenacium nodulosa; substantia interna compacta, subcornea, carneo-fuscescente, tritu lutescente; odoris fragrantis zingiberini sed debilioris; saporis subcamphoracei, aromatici, amaricantis.

ZINCUM.

Metallum, ex India orientali et China advectum optimum; Goslariae et in Polonia ac Silesia e mineris Zinci, potissimum e Lapide Calaminari ac Pyrite Zinci, (Zinkblende), diu ustulato et inde a Sulphure liberato, addito pulvere Carbonum, destillatione obtentum.

ZINCUM. Zink.

In quadratis oblongis maioribus, duas tertias partes pollicis ad unum circiter crassis, effusum obvium; fractum sit gryseo-albidum, parum coerulescens, splendens, texturae lamellosae subradiatae, tenax, rigidum, difficile limatu; ponderis specifici 6,861—7,200; temperatura 80° — 120° mallei patiens et compressione laminabile, temperatura 164° vero

contundendo in pulverem redigendum; ante ignitionem liquefit, igne aucto, sub aëris accessu, cum flamma lucidissima flavente-viridi flagrat ac in oxydum album porosum pervertitur, quod partim sub forma flosculorum levissimorum (Florum Zinci) avolat. Laminatum, aëri et pluviae longum tempus expositum, cuticula durissima oxydi albidi tegitur. Acido Vitrioli solutum, uti Vitriolum album, ob inquinationem cum metallis heterogeneis, investigandum; tam Indicum quam Europaeum pauculum metalli novi, Cadmium vocati, continet. Indicum, ut purissimum, solummodo ad usum pharmaceuticum adhibeatur.

Praep. Flores Zinci. Vitriolum album purum.

ZINGIBER.

Amomum Zingiber L. Zingiber officinale Roscoë. Planta perennis Indiarum orientalium et Africae occidentalis. Cl. I. Ord. Monogyn. Slg. off. Pfl. Lf. 7.

RADIX ZINGIBERIS ALBI. Weißer Ingwer.

Venalis in segmentis pollicem et ultra longis, tuberoso-nodosis, complanatis, subpalmatis, obtuse lobatis aut mammilaribus; epidermide teneriore e luteo pallide cinerea, inaequaliter rugosa et plicata; cortice flavo-brunnescente; substantia interna albida, dura, ponderosa, compacta, vasis setosis percursa; odore grato camphorato; sapore aromatico acerrimo, fauces vellicante.

Radicis segmenta, extus brunnea, prius quam cito siccata fuerint, Aquae ferventi, ne germinent, immersa, inde corneae compagis, quae Zingiber commune seu nigrum audiunt, non adhibe.

PARS SECUNDA.

FORMULAE.

ACETUM AROMATICUM.

Loco Aceti antiseptici, bezoardici, et prophylactici. Gewürzeßig.

Rp. Herbae Absinthii,
Rorismarini,
Salviae,
Menthae piperitidis, singularum Uncias duas,
Caryophyllorum aromaticorum,
Radicis Zedoariae singulorum Unciam dimidiam.

Concisis et vasi vitreo ingestis affunde
Aceti Vini Libras octo,
Spiritus Rorismarini Uncias quatuor.

Vase vesica perforata clauso, digerantur leni calore per quatriduum. Acetum refrigeratum per colum fortiter exprime, et per chartam bibulam filtratum, in lagena vitrea obturata serva.

Liquidum sit pellucens, ex rubro lucide-brunneum; odoris aromatico-acidi; saporis paris.

ACETUM CAMPHORATUM.

Kampheresig.

Rp. Camphorae tritae Grana quinque,
Pulveris Gummi Arabici Grana decem,
Pulveris Sacchari albi Scrupulum unum.

Misce et solve in mortario lapideo, sensim sensimque addendo
Aceti Vini Unciam unam.

Paratur ex tempore.

ACETUM COLCHICI.

Zeitloseneßig.

Rp. Radicis Colchici recentis Uncias quatuor,
Aceti Vini Libras quatuor.

Radicem minutim concisam, Aceto infusam, frigide per septimanam in vitro, vesica clauso, macera. Liquori a sedimento per linteum defuso adde

Spiritus Vini rectificati Uncias duas.

Filtra per chartam bibulam et in lagena vitrea obturata serva.

Liquidum sit pellucens, coloris Vini albi; odoris acidi; saporis similis simulque amari.

* ACETUM CONCENTRATUM.

Acidum aceticum concentratum Aust. Bav. Acetum per frigus concentratum. Koncentrirter Eßig. Eßigsäure.

Rp. Cinerum clavellatorum depuratorum Uncias sedecim,
Aceti destillatione depurati, quantum sufficit ad perfectam saturationem.

Liquor vaporet ad uncias quadraginta, quibus in retortam vitream tubulatam immissis, adde

Magnesiae nigrae pulveratae Uncias duas,
Acidi Vitrioli concentrati puri Uncias duodecim,
Aquae communis pari pondere dilutas.

Tum adaptato recipiente et iuncturis luto munitis, fiat destillatio ad siccum usque, cavendo ne ignis sub finem augeatur et empyreuma oriatur. Serva in vitris epistomiis vitreis probe claudendis.

Sit hyalinum; odoris acetici puri, nec empyreumatici nec sulphurosi; saporis paris acris; ponderis specifici 1,030 = 5° Ar. Bk. gr. Uncia una a drachmis duabus cum dimidia Salis Tartari saturetur. Cum aqua destillata sat dilutum nec a liquore Barytae aceticae, nec Argenti nitrici turbetur. Instillato Ammonio hydrosulphurato liquido, Plumbum non prodatur.

* ACETUM DESTILLATUM.

Acidum acetosum Bat. Acidum aceticum dilutum Aust. Bav. Belg. Acidum aceticum debile Gall. Destillirter Eßig. Verdünnte Eßigsäure.

Rp. Aceti concentrati Partem unam,
Aquae destillatae Partes quatuor, vel quantum satis,
ut sit ponderis specifici 1,008 = 1° Ar. Bk. gr.
Serva ut supra dictum.

Sit ponderis specifici dicti. Uncia una a drachma dimidia Salis Tartari saturetur. Ceterum chemica ratio aequiparat illam Aceti concentrati.

✠ * ACETUM LITHARGYRI.

Acetum saturninum Bor. Hann. Acetis Plumbi liquida Bat. Belg. Acetas Plumbi liquidus Bav. Acetas Plumbi acidulus solutus Aust. Subacetas Plumbi liquidus. Gall. Liquor Plumbi subacetatis Lond. Acetum Saturni. Acetum Plumbi Sax. loco Extracti Saturni. Bleiglätte- oder Blei-Eßig. Eßigsäuerliche Bleiflüssigkeit.

Rp. Lithargyri aurei pulverati Uncias quatuor,
Aceti Vini Libras tres.

Coque in vase figulino vitro obducto, bacillo ligneo agitando, donec Charta exploratoria coerulea, Aceto rubefacta, liquori immersa inde Alkali instar afficitur, et libra una semis circiter supersit. Post refrigerationem liquor per chartam bibulam coletur et in vitro obturato servetur.

Sit clarum, flavum; ponderis specifici 1,2500 = 34° Ar. Bk. gr.; saporis e dulci styptici nauseosi, Chartam exploratoriam coeruleam non permutans; addito Spiritu Salis Ammoniaci caustico praeponderante, non coerulescat.

ACETUM ROSARUM.

Roseneßig.

Rp. Florum Rosarum rubrarum Unciam unam,
Aceti Vini Uncias duodecim.

Post macerationem frigidam in vase vitreo per septimanam, exprimendo cola et aceto expresso adde

Spiritus Vini rectificati Unciam unam,

tunc per chartam bibulam filtratum, in lagena vitrea obturata serva.

Eadem methodo parantur ACETA e VARIIS HERBIS et FLORIBUS.

ACETUM RUBI IDAEI.

Himbeereneßig.

Rp. Fructuum Rubi Idaei recentium Partem unam,
Aceti Vini Partes duas.

Seponantur in lagena vitrea per mensem, colaturae addatur,

Sacchari albi Pars una.

Ebulliat semel in lebete stanneo, dein coletur et refrigeratum in lagenis vitreis obturatis servetur.

* ACETUM SCILLAE.

ACETUM SCILLITICUM. Meerzwiebeleßig.

Rp. Radicis Scillae siccatae et concisae Uncias duas,
Aceti Vini Libras duas.

Macera leni calore in lagena vitrea clausa, subinde agitando, per octiduum. Acetum colando defunde et illo adde

Spiritus Vini rectificatissimi Unciam unam et dimidiam.

Postquam subsederit liquor per chartam bibulam filtretur ac in lagena vitrea clausa servetur.

Liquidum sit pellucidum, brunneo-rubrum; odoris acidi et acris; saporis similis per amari.

ACIDUM ACETI.

ACIDUM ACETICUM BOR. BAT. ACIDUM ACETICUM CONCENTRATUM BELG. ACIDUM ACETICUM PURUM AUST. GALL. ACETUM VINI GLACIALE SAX. ALCOHOL ACETI. ACETUM CONCENTRATUM WESTENDORFII. Concentrirte Eßigsäure.

Rp. Pulveris Tartari vitriolati Libram unam,
Olei Vitrioli Nordhusani Libram dimidiam,
Aquae communis Libram unam semis.

Oleum Vitrioli aqua dilutum, superaffundatur Tartaro vitriolato, et evaporet ad siccitatem in vase murrhino aut vitreo. Tum illico admisce terendo

Terrae foliatae Tartari crystallisatae, leni calore ab aqua crystallisationis privatae, Uncias novem,
Pulveris Magnesiae nigrae Unciam dimidiam.

Miscellam immitte in retortam vitream tubulatam; applicato excipulo amplo atque iuncturis optime clausis, ex arena calore moderato fiat destillatio, donec nebula in excipulo et guttae ad caudam retortae cessent. Acidum collectum in vitro, epistomio vitreo probe clauso, serva.

Sit ponderis specifici 1,0759 = 12° Ar. Bk. gr.; ceterum natura ac signis puritatis ACETO CONCENTRATO congruum.

* ☹ ACIDUM BORUSSICUM.

ACIDUM BORUSSICUM ALCOHOLICUM BAV. ACIDUM PRUSSICUM BELG. ACIDUM HYDROCYANICUM GALL. ACIDUM ZOOTIUM. Blausäure. Geistige Blausäure. Hydrocyansäure.

Rp. Kali ferreo-borussici Uncias duas.

Immitte in retortam vitream, tubulatam minorem, cuius rostrum per tubum vitreum rectangulum cum vitro alto cylindrico, quod in mixturam refrigerantem, vel nivem, vel glaciem contusam, impositum est, communicat. Vitro cylindrico ingere

Spiritus Vini rectificatissimi Drachmas quatuordecim,

iuncturisque luto ex farina et vesica clausis, affunde per tubulum retortae

Acidi Vitrioli concentrati puri Unciam unam, iam antea dilutam
Aquae destillatae Uncia una.

Fiat ex balneo aquae, rostro adscendente retortae, destillatio quam diu liquidum, in striis cohaerentibus oleo-aethereis, in cylindrum expediatur, ut solet per sextam partem horae. Destillatione peracta, obtinentur Acidi limpidi unciae duae. Dispensantur in octo vitra, epistomiis vitreis adamussim clausis et colore nigro obductis. Servantur loco frigido ut VENENUM.

Hoc ACIDUM BORUSSICUM SPIRITUOSUM secundum praescriptionem KELLERI paratum, in pari volumine maiorem partem Acidi borussici puri continet quam illum Ittnero et Pharmacopoea Bavarica duce confectum, quum Ittnerus ex Kali ferreo-borussici unciis duabus Acidi borussici spirituosi uncias quatuor, et Pharmacopoea Bavarica uncias decem destillatione parari posse contendant. ACIDUM HYDROCYANICUM VAUQUELINI multo dilutius est, quod si medici postulant, paras hac ratione:

Rp. Mercurii hydrocyanici Partem unam,
solve leni calore in
Aquae destillatae Partibus octo.

Per solutionem transmitte Gas hydrosulphuratum, e Ferro sulphurato vel Calce sulphurata ope Acidi Vitrioli diluti in lagena Woulfiana, tubulo curvato praedita, evolutum, donec illud, praecipitato omni Mercurio in statu Aethiopis mineralis, abundet.

Liquorem tum per linteum exprimendo cola et per chartam bibulam filtra, illique per vices adde

Pulveris Cerussae albae purae quantum sufficit,
ad tollendum omne Acidum hydrosulphuratum.

Miscellam probe agitatam per chartam filtra et usui, ut supra dictum, serva.

Sit albidum vix flavescens, limpidum; odoris et saporis Amygdalarum amararum insignis, prius etiam spirituosi; Coctum totum diffugiat, affusa Aqua hydrosulphurata ne mutetur, cum pauculo Lixivii caustici et Aqua destillata mixtum, addito liquore Vitrioli Martis oxydati ac instillato Acido Salis, virescat, mox Coeruleum berolinense producat.

DOSIS. Gutta dimidia vel una semel, ter, quaterve de die.

✠ ACIDUM NITRI FUMANS.

ACIDUM NITROSO-NITRICUM BELG. ACIDUM NITROSUM BAT. ACIDUM NITRICO-NITROSUM CON-

CENTRATUM AUST. ACIDUM NITROSUM LIQUIDUM GALL. SPIRITUS NITRI FUMANS GLAUBERI. Rauchende Salpetersäure.

Rp. Nitri depurati pulverati Libras duas.

Retortae vitreae, inde semi-repletae immissis, ope infundibuli, rostro longo incurvo instructi, caute et retortam saepius agitando affunde sensim

Acidi Vitrioli concentrati puri Uncias quindecim,

antequam

Aquae communis Unciis duabus

diluti et refrigerati.

Excipulo magno retortae adiuncto, ac tubulo vitreo tenui, atmosphaerae vel aquae attactui exposito, commissurae inserto, eam luto, e bolo albo et vernice lini confecto linteo illito, bene claude. Luto siccato, fiat destillatio, excipulo, quantum fieri potest, refrigerando, igne pedetentim aucto, donec sub fine fundus balnei candeat, ad siccum usque. Acidum obtentum in vitro, embolo vitreo munito ac emplastro citrino circumdato, loco umbroso serva.

Liquor pellucidus aurantiacus, vapores pariter tinctos, suffocantes, exhalans, corpora organica destruens, illisque colorem flavum communicans; ponderis specifici 1,440 ad 1,465 = 52—54° Ar. Bk. gr.; igne ita diffugiat ut nihil residui relinquat. Cum decem partibus Aquae destillatae dilutus, a liquore Barytae nitricae et Argenti nitrici non turbetur, affusa Aqua hydrosulphurata colorem non ducat.

Massa salina, in retorta residua, aqua soluta et cum Alkali vegetabile saturata, vaporatione lixivii crystallos TARTARI VITRIOLATI exhibet.

✠ * ACIDUM NITRI.

ACIDUM NITRICUM BOR. BAT. BELG. BAV. AUST. GALL. SPIRITUS NITRI ACIDUS. AQUA FORTIS. Salpetersäure. Salpetergeist. Scheidewasser.

Rp. Nitri depurati pulverati Libras octo,

in retortam vitream satis capacem immissis, ope infundibuli supra dicti, affunde

Acidi Vitrioli concentrati puri Libras quinque et Uncias quatuor,

dilutas antea

Aquae communis Libris tribus.

Applicetur excipulum amplum, continens

Aquae destillatae Libras quinque.

Iuncturis, tubulo securitatis, antea dicto, praeditis, luto bene clausis, instituatur destillatio ad siccum, cautelis notatis. Acidum obtentum per tubulum in retortam vitream tubulatam immitte et additis

Nitri depurati pulverati Unciis duabus,

rectifica, seponendo primas Acidi stillantis partes tam diu, donec ultima, decuplo volumine Aquae destillatae diluta, a liquore Argenti nitrici affuso non amplius turbatur ac clara remanet. Tunc lutum, ex gypso usto et ovo gallinaceo paratum, cito applica, et ad siccum usque destillare perge. Acidum serva in vitro cum embolo vitreo.

Acidum Nitri venale, vulgo Aqua fortis appellatum, plerumque Acido Salis vel Vitrioli contaminatum, ad usum medicum internum nunquam adhibeatur.

Sit hyalinum; odoris ingrati; ponderis specifici 1,250 = 34° Ar. Bk. gr. Reliqua uti in Acido Nitri fumante se habent.

* ACIDUM PHOSPHORI.

Acidum phosphoricum Bor. Bat. Belg. Bav. Aust. Gall. Acidum phosphoricum purum Hann. Liquor acidus phosphoricus purus Sax. Phosphorsäure.

Rp. Acidi Nitri Uncias decem,

Aquae destillatae Uncias tres.

Calefactis in cucurbita vitrea, satis capaci, balneo arenae ingesta, usque dum lente ebulliant, adde

Phosphori frustulum Granorum decem circiter pondus habens,

alembicum vitreum, sine luto, collo cucurbitae, charta circumlutato, impone et rostrum alembici lagenae medicinali maiori immitte. Phosphoro, cum evolutione vaporum rubrorum nitrosorum soluto, al-

terum frustulum cucurbitae iniice, et hac encheiresi perge, donec uncia una Phosphori oxydata sit, addendo si opus est Acido Nitri diluto.

Liquor refrigeratus, in alteram cucurbitam effusus, evaporet destillando, donec guttae stillantes sapore acido careant, et Acidum residuum syrupum quoad consistentiam aequet, quod tunc cum Aqua destillata fervida misceatur, ut post refrigerium pondus specificum dictum attingat. Fluidum, a terra silicea etc. vasorum residendo ac filtrando liberatum, in vitro epistomio vitreo clauso serva.

Sit limpidum, decolor, inodorum; saporis acidi haud ingrati; ponderis specifici 1,1806 = 26° Ar. Bk. gr. Cum quatuor partibus Aquae destillatae dilutum, instillato liquore Barytae aceticae praecipitatum edat, quod Acidum Phosphori praedominans vel Acidum Nitri totum resolvat; addito Ammonio hydrosulphurato liquido a Plumbo liberum reperiatur et a metallis reliquis, si caute cum Spiritu Salis Ammoniaci caustico saturatur et Aqua hydrosulphurata miscetur, qua non mutetur; saturatum instillato liquore Ammonii oxalici non turbetur.

ACIDUM PHOSPHORI FUSUM.

Acidum Phosphori glaciale. Geschmolzene oder feste Phosphorsäure.

Obtinetur, si Acidum Phosphori, destillatione ab Acido Nitri liberatum, spissum, in cucurbita vitrea denuo evaporetur et excandescat, donec particula cum cochleare, e Platina confecto, exemta et in tabula lapidea, oleo pingui illita, refrigerata vitri instar indurescat. Tunc cucurbitam claude et semirefrigeratam frange ut Acidum rigidum eximere possis, quod calidum adhuc vitro, embolo largo munito, cito immittas.

Solutio in aqua aeque se habeat uti Acidum liquidum.

✠ * ACIDUM SALIS.

Acidum muriaticum Bor. Bat. Belg. Acidum muriaticum concentratum Bav. Aust. Acidum muriaticum liquidum Gall. Acidum hydrochloricum. Spi-

RITUS SALIS ACIDUS. Salzsäure. Koncentrirte Salzsäure. Saurer Salzgeist.

Rp. Salis communis purioris sicci Libras sex.

Retortae satis amplae, ut ad dimidium repleatur, immissis, affunde

Acidi Vitrioli concentrati puri Libras quinque, antea dilutas

Aquae communis Libra una cum dimidia,

ac collum retortae Aquae communis unciis aliquot alluendo purga.

Retortam balneo arenae immitte, excipulum tubulatum ita adpone, ut per tubulum cum lagenis Woulfianis duabus communicet, in quas distributae sunt

Aquae destillatae Librae quatuor,

et quae, quantum fieri potest, refrigerentur. Iuncturas ac tubulos cum luto spisso, e farina et ovo gallinaceo, lino illito, obtura; illico arenam incalescere facias, modice tamen, dum Gas erumpens vividius aestuet, sub finem autem, ubi paululum deferbuerit liquor, ignem sensim auge et destillare perge donec massa in retorta perfecte sicca fuerit.

Acidum purum, in lagenis Woulfianis contentum, misce atque ei, addita Aqua destillata, pondus specificum 1,133 = 20° Ar. Bk. gr. para, dein lagena embolo vitreo munita serva; illud vero in excipulo receptum concentratum, sed ferro inquinatum, parationi Ferri saliti adhibe.

Sit limpidum, decolor, vapores acidos pungentes exhalans; ponderis specifici dicti. Cum Aquae destillatae copia dilutum, neque addito liquore Barytae nitricae turbetur, nec cum liquore Kali ferreo-borussici mixtum, coerulescat.

Si Acidi Salis pars una cum Aquae destillatae partibus duabus, vel quantitate sufficiente, ut sit ponderis specifici 1,036 diluitur, habes:

ACIDUM SALIS DILUTUM.

ACIDUM MURIATICUM DILUTUM. BAV. BAT. AUST. Verdünnte Salzsäure.

Massa salina, in retorta residens, aqua soluta et Creta ad saturitatem acidi praeponderantis addita, post filtrationem vaporando ac refrigerando SAL MIRABILE GLAUBERI CRUDUM praebet.

✠ ACIDUM SALIS DEPHLOGISTICATUM.

ACIDUM MURIATICUM OXYGENATUM HANN. BAT. BELG. BAV. AUST. AQUA OXYMURIATICA BOR. CHLORUM AQUA SOLUTUM. ACIDUM SALIS OXYGENATUM. SPIRITUS SALIS DEPHLOGISTICATUS. Ueberſaure- oder dephlogiſtiſirte Salzſäure. Chlor-Waſſer. Oxygenirte Salzſäure.

Rp. Salis communis sicci Uncias sex,
Magnesiae nigrae pulveratae,
Aquae communis, singularum Uncias tres.

Sal et Magnesiam nigram misce ac retortae vitreae, mixtura ad dimidium vix complendae, immitte, tunc adde Aquam sub agitatione, dein

Acidi Vitrioli concentrati depurati Uncias sex,

antea cum

Aquae communis Unciis tribus

diluti et refrigerati. Retortam, balneo arenae ingeras, eiusque collo, uncia una Aquae depurato, embolus subereus perforatus adaptetur, cui tubulus rectangulus vitreus infixus est. Hic cum lagena bistubulata minore, libram dimidiam Aquae continente, illa vero alteris duabus lagenis Woulfianis, aqua vel nive refrigerandis, cohaereat, in quibus distributae sunt

Aquae destillatae Librae sex.

Iuncturis, ope vesicae ac luti spissi ex ovo gallinaceo ac farina linteo illiti, clausis, arenae balneo ignem lenem subdepone ac eo usque ale, donec Gas oxymuriaticum (Chlorum, Halogen) parcius evolvatur. Gas liberum ex ultima lagena per tubulum vitreum incurvum in vas, aquam et Calcem ustam continens, transeat ut absorbeatur. Acidum in priori lagena ortum, utpote Acido Salis inquinatum, repone; in

lagenis reliquis vero contentum misce, ac vitris plurimis, capacitatis unciarum circiter quatuor, embolis vitreis munitis, infunde, quae vesica obturata, et charta nigra velata, loco obscuro frigido serventur.

Liquorem clarum vix flaventem praebeat; odoris suffocantis vitiosi; saporis acris subausteri; Aquam vix pondere specifico superet. Pigmentorum vegetabilium colorem ita destruat, ut a liquore Salis Tartari restitui nequeat.

✠ * ACIDUM VITRIOLI CONCENTRATUM PURUM.

ACIDUM SULPHURICUM CONCENTRATUM BOR. ACIDUM SULPHURICUM PURUM BAT. BELG. ACIDUM SULPHURICUM DEPURATUM HANN. AUST. GALL. ACIDUM SULPHURICUM CONCENTRATUM RECTIFICATUM BAV. OLEUM VITRIOLI PURISSIMUM SAX. Reine concentrirte Vitriol- oder Schwefelsäure.

Rp. Olei Vitrioli Nordhusani quantum satis est.

Retortae vitreae minori, colli longioris, loricatae, infunditur, ita ut pars quarta capacitatis vacua supersit, additis Platini aliquot filis; balneo arenae dein impositae et arena usque ad collum circumdatae aptatur excipulum vitreum sphaericum capacitatis triplicis retortae, collo breviori praeditum aqua frigida immersum, iuncturis luto liberis; collum autem retortae in excipuli cavum ad ipsius medium usque protendatur. Igne submisso, modice incalescat retorta, crescenteque igne, ut leniter bulliat Oleum, primum exstillabit pars fumans glacialis (Oleum Vitrioli glaciale vel Acidum sulphuricum anhydrum), quam seponi curabis; aptato deinde excipulo altero sicco calefacto, aqua frigida non immerso, destillet Acidum incolor ad siccitatem fere residui, igne in finem ad excandescentiam fundi balnei aucto. In lagenis, embolis vitreis probe obturatis, asservandum.

Sit decolor, limpidum; Olei pinguis instar spissum; ponderis specifici 1,8478, = 78° Ar. Bk. gr.; atmosphaerae tactu nullos vapores exhalet, nec exaestuatum Acidum Nitri vel Salis spiret, ac sine residuo diffugiat. Cum Aquae de-

stillatae partibus duodecim dilutum ac Spiritu Salis Ammoniaci caustico saturatum, clarum remaneat, et liquidum salinum istud, addito Ammonio hydrosulphurato liquido, a metallis liberum inveniatur.

ACIDUM VITRIOLI DILUTUM.

Acidum sulphuricum dilutum Bor. Bat. Bav. Aust. Spiritus Vitrioli acidus. Spiritus Vitrioli. Verdünnte Vitriol- oder Schwefelsäure. Vitriolgeist.

Rp. Aquae destillatae Partes quinque,
illis sensim instilla
Acidi Vitrioli concentrati puri Partem unam.
Misce et serva in vitro cum embolo vitreo.

Sit decolor, limpidum; saporis acidi amaricantis; ponderis specifici 1,1258, = 19° Ar. Bk. gr. Signa chemica puritatis uti in Acido concentrato.

☨ AETHIOPS ANTIMONIALIS.

Hydrargyrum stibiato-sulphuratum Bor. Sulphuretum hydrargyri et stibii Bat. Belg. Sulphuretum Hydrargyri nigrum et Stibii. Bav. Sulphuretum hydrargyri stibiatum Aust. Schwefel-, Quecksilber- und Schwefel-Spiesglanz. Spiesglanzmohr.

Rp. Antimonii crudi praeparati Uncias duas,
Mercurii vivi depurati,
Florum Sulphuris depuratorum singulorum Unciam unam.

Misceantur adspergendo interdum aliquot Aquae guttulas, diuturna trituratione in mortario lapideo usque ad perfectam unionem, ut etiam microscopii ope globuli mercuriales non detegantur. Servetur in vitro obturato.

Sit pulvis niger, aspectus velutini, inodorus, insipidus; in Aqua et Spiritu Vini insolubilis. Ferri puri limati pari pondere addito, excandefactus, Mercurio vivo sublimato, regulum Antimonii et pyritem Ferri relinquat.

Dosis. Grana quinque ad octo, bis terve de die.

AETHIOPS MARTIALIS.

Ferrum oxydulatum nigrum Bor. Oxydum ferri nigrum Bat. Gall. Oxydulum ferri Bav. Oxydulum ferri nigrum Aust. Hypoxodes ferri. Protoxydum ferri. Eisenoxydul. Eisenmohr.

Rp. Croci Martis aperitivi quantum placet.
Adde
Olei Olivarum quantitatem sufficientem
ut fiat pulvis oleoso-humidiusculus, quem in crucibulum hassiacum immitte, aperturam deinde operculo et luto argillaceo, excepto foramine minore in commissura, claudens. Luto siccato, excandescat crucibulum, aestu rubello laeto, per horae sextantem. Refrigeratum oxydulum in pulverem tenuissimum redigendum et vitro obturato servandum est.

Sit pulvis niger, subtilis, valde depingens; attractilis. In Acido Salis solvatur sine sensibili evolutione Acidi hydrosulphurati (Aëris hepatici) aut residuo copiosiore Carbonis. Ceterum uti Ferrum purum chemice eruendus.

* ALKALI VOLATILE SICCUM.

Ammonium carbonicum Bor. Carbonas ammoniae alcalinum solidum Bat. Subcarbonas ammoniae Belg. Gall. Bav. Carbonas ammoniae alcalinus Aust. Ammonium subcarbonicum Hann. Lond. Sal alcali volatile siccum. Sal volatile Salis Ammoniaci. Trockenes flüchtiges Alkali. Kohlensaures Ammonium. Kohlensäuerliche Ammonia. Ammoniak.

Rp. Salis Ammoniaci albi pulverati ac siccati Libram unam,
Cretae albae pulveratae, siccatae, Libras duas.

Diligenter siccata et accurate mixta immittantur in retortam vitream colli et orificii amplioris, agitando, ita ut quinta pars capacitatis eius vacua restet. Tunc eam ad collum usque in arenae balneum pone, et excipulum, vel vitreum vel fictile-siliceum, capacitatis dimidiae retortae, collo amplo breviori instructum, adapta, interque iuncturas tubulum vitreum ingere, exitus vaporis expansi causa. Iuncturis luto

e gypso usto ac farina humida clausis, sublimationem institue, in finem operationis aestum ad fundi retortae excandescentiam rubellam augendo, temperandoque increscentem excipuli calorem aqua frigida vel glacie. Serva in vasis vitreis vel porcellaneis bene obturandis, loco frigido.

Idem excipulum pluribus sublimationibus, Alkali non exemto, adhiberi, et tunc frangi potest.

Crustae salinae, crassae, durae, subdiaphanae, decursu temporis aquae exhalatione opacae, niveae, friabiles; odoris ac saporis ammoniacalis, sed non empyreumatici; aestu in totum diffugientes; in tribus partibus Aquae frigidae ac fere in aequalibus bullientis solubiles. Acido Nitri saturatum, fluidum, instillato liquore Argenti nitrici vix turbetur, et Acido Nitri supersaturatum, admixto Ammonio hydrosulphurato liquido, a Plumbo et Cupro liberum reperiatur.

* ALUMEN USTUM.

Sulphas Aluminae exsiccatum Bat. Sulphas Aluminae et Potassae acidulus ustus Bav. Supersulphas Aluminae et Potassae exsiccatum Belg. Alumen igne exsiccatum Gall. Alumen exsiccatum Lond. Gebrannter Alaun.

Rp. Aluminis crudi puri quantum libet.

In olla fictili, non vitreata, ita capaci, ut ad tertiam modo partem repleatur, inter prunas intumescat ac spumescat, perpetua sub agitatione cum spathula porcellanea, donec vapores humidos non amplius emittat, ac leve porosumque evaserit.

Sit candidum, leve, rarum, totum friabile. Post ustionem, aliquo tempore elapso attactuque aëris, saporem austerum edat; Chartam exploratoriam coeruleam madefactam colore obscure rubro tingat, et lente in Aqua solvatur.

✠ * ANTIMONIUM CRUDUM PRAEPARATUM.

Stibium sulphuratum nigrum laevigatum Bor. Sulphuretum Stibii venale ablutum Bav. Subsulfas Stibii loti Gall. Präparirter roher Spiesglanz. Schwefel-Spiesglanz.

Antimonium crudum purum, in mortario ferreo contritum et ope cribri pulveratum, super lapidem expolitum ac durum, affusa parva mole aquae, laevigetur, ut fiat pulvis subtilissimus, loco tepido siccandus et vitro obturato asservandus.

Si ANTIMONIUM CRUDUM PURUM venale non prostaret, paratur sequenti modo:

Rp. Pulveris Reguli Antimonii puri Partes tres,
Florum Sulphuris Partem unam.

Mixta in crucibulo hassiaco tecto, aestu rutilo, tam diu funduntur, donec massam aequalem praebeant, quam effunde, refrigeratamque pulvera.

Pulvis iterum cum
Florum Sulphuris Parte dimidia
funditur, interdum agitatus, donec Regulus cum Sulphure saturatus, et Sulphur superfluum evaporatum sit.

Massa effusa ac frigefacta, texturam aciculosam, superficie plerumque stelluloso-radiatam, ceterum caracteres physico-chemicos Antimonii crudi puri praebeat.

DOSIS. Drachma dimidia pro adulto, pro infante Grana nonnulla.

* ✠ AQUA AMYGDALARUM AMARARUM CONCENTRATA.

Concentrirtes Bittermandelwasser.

Rp. Amygdalarum amararum Libras tres.

Contusas ac frigide exprimendo ab oleo liberatas, dein per cribrum traiectas, retortae vitreae vel vesicae destillatoriae, stanno intus obductae, immitte et affunde:

Spiritus Vini rectificatissimi Uncias duas,
Aquae communis Libras sex.

Abstrahantur librae tres, quae filtrentur. Serva loco frigido in lagenis vitreis, charta nigra obductis, bene obturatis ut EFFICACISSIMUM REMEDIUM.

Parum lactescens, diaphana; odoris Amygdalarum amararum concentrati; saporis paris. Instillatis liquore Vitrioli

Martis oxydati et tunc guttulis Lixivii caustici, denique caute addito Acido Vitrioli diluto, coerulea fiat et Coeruleum Berolinense deponat.

Dosis. Guttae decem ad sexaginta caute progrediendo, ter de die.

* AQUA CALCIS.

Aqua Calcariae Bor. Calcaria pura liquida Bav. Liquor Calcis Lond. Kalkwasser.

Rp. Calcis ustae optimae Libras duas.

Vasi abietino immissae Aqua bullienti insperguntur dum in pulverem fatiscant, tunc sensim sub agitatione adde

Aquae communis Libras triginta,

stent per horas duodecim, interdum agitatae spathula lignea. Liquorem defunde et per chartam bibulam in lagenas, probe obturandas, filtra.

Sit hyalina; saporis alkalini, os siccantis; Chartam exploratoriam luteam colore e rubro-brunnescente valde imbuat; instillato liquore Ammonii oxalici, intense lactescat, et, aëri exposita, mox cuticula obtegatur.

* AQUA DESTILLATA.

Destillirtes Wasser.

Destillent Aquae communis duae trientes, reiectis primis stillantis Aquae partibus donec non amplius ab Aqua Calcis turbantur. Aquam tunc stillantem in lagenas, exacte replendas et accurate claudendas, immitte ac serva.

Destillatio Aquarum fiat e vesica cuprea intus probe stanno obducta, et alembico ac canali refrigeratorio e stanno anglico confecto, ne ulla ratione Aqua, a corporibus quae destillationi subiiciuntur, propter indolem acidam, in multis manifestam, possit veneno cupri inquinari. Vas frigidarium sit amplum, aqua frigida semper repletum. Servantur Aquae odoriferae medicatae loco frigido, in lagenis rite charta tectis.

Aquae destillatae e variis floribus, fructibus, et herbis sint odoris ac saporis genuini, non empyreumatici, nec mucosae nec sedimentum simile deponentes. Olea, vel recenter destillatis aut vetustioribus innatantia aut fundum harum petentia, filtrando caute separentur.

AQUA ANISI.

Aniswasser.

Rp. Seminis Anisi contusi Libram unam,
Aquae communis sufficientem quantitatem.
Destillando eliciantur librae viginti quatuor.
Eodem modo paratur:

* AQUA FOENICULI.

Fenchelwasser.

E semine Foeniculi.

AQUA AROMATICA.

loco Aquae cephalicae et Aquae embryonum.

Gewürzwasser.

Rp. Herbae Salviae Uncias octo,
Roris marini,
Menthae piperitidis,
Florum Lavendulae, singulorum Uncias quatuor,
Seminis Foeniculi,
Corticis Cassiae cinnamomeae, singulorum Uncias duas.
Scissis et contusis affundantur
Spiritus Vini rectificati Librae quatuor,
Aquae communis Librae viginti.
Macerentur per horas viginti quatuor et destillando eliciantur librae duodecim.

AQUA CERASORUM.

Kirschenwasser.

Rp. Amygdalarum amararum Libram unam.
Contusis ac frigide exprimendo ab oleo liberatis, dein per cribrum traiectis, et vesicae immissis, affunde

Aquae communis sufficientem quantitatem.
Caute destillando elice libras viginti quatuor.

AQUA CHAMOMILLAE.

Chamillenwasser.
Rp. Florum Chamomillae vulgaris Libras tres,
Aquae communis sufficientem quantitatem.
Destillatione eliciantur librae viginti quatuor.
Eadem ratione parantur:

AQUA HYSSOPI.

Ysopwasser.
Ex herba Hyssopi.

AQUA IUNIPERI.

Wachholderbeerwasser.
E baccis Iuniperi.

AQUA MELISSAE.

Melissenwasser.
Ex herba Melissae.

AQUA SALVIAE.

Salbeywasser.
Ex herba Salviae.

* AQUA SAMBUCI.

Hollunderblüthenwasser.
E floribus Sambuci.

---

* AQUA CINNAMOMI.

Zimmtwasser.
Rp. Corticis Cassiae cinnamomeae contusae Libram unam,
Aquae communis sufficientem quantitatem.
Stent per diem in vase clauso, postea destillatione eliciantur librae decem.
Pari modo paratur:

AQUA VALERIANAE.

Baldrianwasser.
E radice Valerianae sylvestris.

AQUA CINNAMOMI SPIRITUOSA.

Geistiges Zimmtwasser.
Rp. Corticis Cassiae cinnamomeae contusae Libram unam,
Spiritus Vini rectificati Libras duas,
Aquae communis quantum satis.
Destillando eliciantur librae decem.
Eadem ratione paratur:

AQUA MENTHAE PIPERITIDIS SPIRITUOSA.

Geistiges Pfeffermünzwasser.
Ex herba Menthae piperitidis.

AQUA CORTICUM AURANTIORUM.

Pomeranzenschaalenwasser.
Rp. Corticum Aurantiorum mundatorum, Libram unam,
quibus contusis ac vesicae immissis adde
Aquae communis sufficientem quantitatem.
Destillentur librae sedecim.

☨ AQUA LAURO-CERASI.

Kirschlorbeerwasser.
Rp. Foliorum recentium Lauro-Cerasi Libras tres.
Minutim conscissis ac in mortario lapideo pistillo ligneo ruditer contusis, in retortam vitream immitte et affunde
Spiritus Vini rectificatissimi Uncias duas,
Aquae communis Libras sex.
Adaptato excipulo, et post debitam digestionem, destillando elice Libras tres, igne leni. Destillatum per chartam bibulam filtratum, serva loco frigido

in lagenis vitreis, colore nigro obductis, bene obturatis, ut EFFICACISSIMUM REMEDIUM.

In defectu foliorum recentium Lauro-Cerasi substituere licet AQUAM AMYGDALARUM AMARARUM CONCENTRATAM.

Parum lactescens, diaphana; odoris Amygdalarum amararum concentrati; saporis paris. Instillatione liquoris Vitrioli Martis oxydati et tunc guttularum Lixivii caustici, denique caute addito Acido Vitrioli diluti, coerulea fiat et Coeruleum Berolinense deponat.

DOSIS. Guttae decem ad sexaginta caute progrediendo, ter de die.

* AQUA MENTHAE PIPERITIDIS.

Pfeffermünzwasser.

Rp. Herbae Menthae piperitidis Libras duas cum dimidia,
Aquae communis sufficientem quantitatem.
Destillentur librae viginti quatuor.

Eadem ratione paratur:

AQUA MENTHAE CRISPAE.

Krausemünzwasser.

Ex herba Menthae crispae.

AQUA NAPHAE.

AQUA FLORUM AURANTII BOR. BAT. BELG. AUST. AQUA FLORUM CITRI AURANTII BAV. GALL. Pomeranzenblüthenwasser.

Rp. Florum Aurantiorum recentium Libram unam et dimidiam,
Aquae communis quantum satis.
Destillatione eliciantur librae decem.

AQUA PETROSELINI.

Petersilienwasser.

Rp. Seminis Petroselini contusi Libram unam,

Aquae communis sufficientem quantitatem.
Destillent librae sedecim.

* AQUA ROSARUM.

Rosenwasser.

Rp. Florum Rosarum pallidarum recentium Libras sex,
(vel sale conditorum, bonae notae, Libras septem)
Aquae communis quantum satis.
Destillatione eliciantur librae viginti.

AQUA RUBI IDAEI.

Himbeerenwasser.

Rp. Fructuum Rubi Idaei recentium contusorum ac statim modice expressorum Libras duodecim,
Aquae communis quantum satis.
Destillent librae octodecim.

AQUA LAXATIVA VIENNENSIS.

Infusum Sennae compositum Bor. Infusum Sennae Bat. Infusum laxativum Aust. Infusum Sennae cum Manna Bav. Wiener Laxirtränkchen. Zusammengesetzter Sennesblätter-Aufguß.

Rp. Foliorum Sennae Partes sex,
Passularum minorum Partes tres,
Cremoris Tartari Partem unam,
Seminis Coriandri contusi Partem dimidiam.
Mixta macerentur per horam cum
Aquae fervidae Partibus sexaginta octo.
In colatura solve
Mannae calabrinae Partes sedecim.
Paratur ex tempore.

☨ AQUA OPHTHALMICA COERULEA.

Liquor Cupri ammoniaci Bat. Liquor ophthalmicus caeruleus Aust. Liquor Cupri ammoniati Lond. Aqua saphirina. Aqua coelestis. Blaues Augenwasser. Kupfersalmiak-Flüssigkeit.

Rp. Pulveris Salis Ammoniaci depurati Drachmas duas,
Aeruginis puri Grana quinque,
Aquae Calcis Libram unam.
Stent usque ad solutionem, et filtrata in lagena obturata serventur.

AQUA PHAGEDAENICA.

Altschadenwasser.
Rp. Mercurii sublimati corrosivi Grana duo.
Conterantur in mortario porcellaneo exacte cum Aquae Calcis Uncia una cum dimidia.
Paratur ex tempore.

AQUA REGIA.

Acidum nitro-muriaticum Bat. Belg. Acidum nitroso-oximuriaticum Bav. Königs-Scheidewasser. Salpetrigsaure oxydirte Salzsäure.
Rp. Acidi Nitri fumantis Partem unam,
Acidi Salis Partes quatuor.
In cucurbita vitrea, in aqua frigidissima locata, commisceantur. Paratur ex tempore.

Sit clara, coloris flavi; odorem Acidi Salis dephlogisticati et nitrosi spirans.

* AQUA VEGETO-MINERALIS GOULARDI.

Goulards Bleiwasser.
Rp. Aceti Lithargyri Partem unam,
Aquae communis Partes viginti quatuor,
Spiritus Vini rectificati Partem unam.
Misceantur et serventur lagena vitrea.

* AQUA VULNERARIA ACIDA.

Mixtura vulneraria acida Bor. Aqua vulneraria Thedenii. Saures- oder Thedens-Wundwasser.
Rp. Aceti Vini Partes sex,
Spiritus Vini rectificati Partes tres,
Acidi Vitrioli diluti Partem unam,

Mellis despumati Partes duas.
Misce, filtra ac serva in lagena vitrea obturata.

AQUA VULNERARIA VINOSA.

Aqua vulneraria cum Alcohole Aust. Alcoolatum vulnerarium Gall. Aqua traumatica Gallorum. Aqua sclopetaria. Spiritus traumaticus Belg. Geistiges Schuß- oder Wund-Wasser.

Rp. Herbae Absinthii,
Salviae,
Menthae piperitis,
Rutae,
Rorismarini,
Florum Lavendulae, singulorum Uncias quatuor,
Spiritus Vini rectificati Libras sex,
Aquae communis quantum satis.

Macerentur per viginti quatuor horas et destillatione eliciantur librae octodecim. Serva lagena vitrea bene obturata.

* ☨ ARGENTUM NITRICUM CRYSTALLISATUM.

Argentum nitricum Bor. Nitras Argenti Bat. Belg. Aust. Gall. Nitras Argenti crystallisatus Bav. Krystallisirtes salpetersaures Silber. Salpetersaures Silberoxyd.

Rp. Argenti signati purioris, laminati ac concisi quantum velis,
solve in
Acidi Nitri, cum aquae destillatae partibus duabus diluti, sufficiente quantitate.

Liquorum vase porcellaneo ad siccum evaporare fac, et massam salinam remanentem, in patina ferrea immissam, igne aucto tam diu funde, donec tota nigra appareat, et particula in aqua destillata soluta, solutione filtrata addito liquore Kali ferreo-borussici superfluo non amplius praecipitatum brunnescens, sed albissimum emittat; tunc massam refrigeratam in Aquae destillatae sufficiente quantitate

solve, lixivium filtra et Cuprum oxydatum, in filtro remanens, probe ablue. Liquor obtentus vaporet in vase umbrato ad pelliculam, ac refrigeratione artis lege in crystallos cogatur. Crystalli super charta emporetica alba, charta altera nigra tecta, leni calore exsiccatae, vitro nigro-colorato vel velato ac embolo vitreo clauso, serventur.

Crystalla decolora, clara, tabuliformia tetra- vel hexagona, maxime irregularia, aëre persistentia; saporis amari caustici metallico-venenosi. In aqua soluta, cutem et alias partes animales colore nigro, longe persistente, induunt; longiore lucis accessu integra nigrescentia. In parte una aquae frigidae, in dimidia bullientis solubilia, solutio, addito Acido Salis, praecipitatum copiosum, album, floccosum, in Spiritu Salis Ammoniaci caustico superfluo integre, ac sine coloris emissione, solubile, edat, et tota decomposita, filtrata, vaporando sine residuo diffugiat.

Dosis. Grani decima sexta pars ad granum dimidium semel, ter, quaterve de die.

ARGENTUM PURUM.

Reines Silber.

Eodem methodo recipitur, si liquor Argenti nitrici a cupro oxydato filtratione liberatus, agitando ad siccum evaporatur; Sal residens in crucibulo hassiaco capaci immissus, aestu primum modico, dein aucto ab Acido nitrico liberatur, ac metallum igne reverberario reducitur.

Caracteres physico-chemicos, in parte I. relatos, praebeat.

AURUM PURUM.

Reines Gold.

Rp. Auri Ducatorum signati, tenue laminati ac concisi Partem unam,
solve digerendo in phiala cum
Aquae regiae Partibus tribus.
Liquori cum volumine pari
Aquae destillatae
diluto ac filtrato admisce

Vitrioli Martis puri recenter parati Partes decem, soluti in

Aquae destillatae tepidae Partibus viginti.

Liquorem bene agitatum tunc residere fac, ac clarum a sedimento defunde. Aurum purum residuum cum Acido Nitri diluto digere et aqua probe elotum in filtro exsicca.

Sit pulvis subtilissimus, brunneo-flavus, calcinatus aureus languidus, inodorus, insipidus; ponderis specifici notati ac purus investigatione chemica, in Pt. I. descripta, reperiatur.

☨ AURUM MURIATICUM NATRONATUM.

Sodahaltiges Salzsaures Gold.

Rp. Auri puri Partes decem.

Phialae immissum, solve, caloris balnei arenae ope, in

Aquae regiae sufficiente quantitate.

Liquidum in patella porcellanea ad siccum evaporet, cavendo ne, nimio calore, e parte decomponatur, sed Sal solum ab omni acido superfluo liberatum sit. Denuo in Aqua destillata soluto adde

Salis Gemmae albissimi, seu communis depurati, ac decrepitati Partes novem.

Liquor per chartam bibulam filtratus leni calore iterum ad siccum evaporet, et pulvis vitro, obturaculo vitreo munito, servetur.

Pulvis sit aurei coloris, solutio aquosa paris, affuso vero liquore Stanni muriatici, purpurascens fiat, instillato liquore Vitrioli Martis, Aurum metallicum pulvereum praecipitetur.

Dosis. Octava pars grani ad grana duo de die.

* BALSAMUM ARCAEI.

Unguentum Elemi Bor. Bat. Belg. Unguentum Resinae Elemi Bav. Unguentum de Terebinthina et adipibus Gall. Elemisalbe. Arcäus-Balsam.

Rp. Resinae Elemi,

Terebinthinae venetae,

Sevi vervecini,

Axungiae Porci, singulorum par pondus.

Leni igne liquefacta colentur per linteum et Balsamum vase fictili-siliceo, vel porcellaneo, charta cerata bene clauso, servetur.

Sit albo-flavens; odoris genuini balsamici, consistentiae Axungiae, tenax.

BALSAMUM AROMATICUM.

Gewürzbalsam.

Rp. Olei Nucistae Unciam unam.
Leni calore liquato adde
Olei Caryophyllorum aromaticorum,
Menthae piperitidis, singulorum Drachmam unam,
Succini Scrupulum unum.

Terantur in mortario lapideo tepido; deinde sensim sensimque adde
Balsami Peruviani nigri Drachmam unam et dimidiam.

Misce exactissime et serva in vitro vel olla porcellanea obturata, et vesica tecta.

Sit flavescens, consistentiae Axungiae, odoris aromatici; saporis aromatico-pinguis, urentis.

BALSAMUM COMMENDATORIS.

Tinctura benzoes composita Bor. Tinctura balsamica Gall. Balsamum traumaticum. Commandeur- oder Wund-Balsam.

Rp. Resinae Benzoës Uncias quatuor cum dimidia,
Aloës lucidae Unciam dimidiam,
Balsami Peruviani nigri Unciam unam,
Spiritus Vini rectificatissimi Libras tres.

Leni calore in vitro, vesica tecto, per triduum digerantur, penitusque soluta et filtrata in vitro obturato serventur.

Sit lucide brunneum, pellucens; odoris benzoici, spirituosi; saporis peramari, cum Aqua lactescens.

‡ BALSAMUM OPHTHALMICUM St. YVES.

St. Yves Augenbalsam.

Rp. Butyri recentis loti Unciam unam,
Cerae albae Scrupulos quatuor.
Liquefactis et parum refrigeratis admisce
Mercurii calcinati rubri subtilissime pulverati
Scrupulos duos cum dimidio,
Florum Zinci Scrupulum unum,
Camphorae, in
Oleo Ovorum solutae, Grana quindecim.

Misceantur in mortario lapideo exactissime, nec nimium diu, in olla porcellanea obturata ac charta obducta, serventur.

* BALSAMUM OPODELDOC.

Linimentum saponato-camphoratum Bor. Sapo alcoholico-ammoniatus Bav. Sapo ex medulla bovina ammoniacalis camphoratus Gall. Opodeldoc. Kamphorhaltiger Seifenbalsam.

Rp. Saponis domestici Uncias duas et dimidiam,
Spiritus Vini rectificatissimi Uncias viginti,
Aquae destillatae Uncias duas.
In vitro vesica tecto leni calore solutis, adde
Camphorae tritae Drachmas tres,
Olei Rorismarini Drachmam unam et dimidiam,
Thymi Drachmam unam,
Spiritus Salis Ammoniaci caustici Unciam dimidiam.

Misce, filtra et in vitris, unciae unius vel duarum modum continentibus, bene obturatis, loco frigido, serva.

Referat gelatinam flavescentem; opalescenti-pellucidam, aequabilem, calore cutis humanae, facile liquabilem, odoris remediorum, praecipue Spiritus Salis Ammoniaci, insignis.

BALSAMUM SULPHURIS.

Oleum Lini sulphuratum Bor. Belg. Schwefelbalsam. Schwefelhaltiges Leinöl.

Rp. Olei Lini Libram unam et dimidiam,
Florum Sulphuris Uncias tres.

Oleo, in vase figulino vitreato satis amplo fervefacto, pedetentim adde Sulphur, spathula semper

movendo, donec in massam homogenam coëant. Serva in lagena.

BALSAMUM VITAE EXTERNUM.

Sapo terebinthinatus Bor. Sapo ex oleo Terebinthinae volatili et Potassa Gall. Aeußerlicher Lebensbalsam. Terpenthinseife.

Rp. Saponis Alicantini siccati triti,
Olei Terebinthinae, singulorum Libram unam,
Cinerum clavellatorum depuratorum Uncias duas.

Digerantur, in vase vesica clauso, ac misceantur exactissime. Serva in olla murrhina, obturata, et charta tecta.

BALSAMUM VITAE HOFFMANNI.

Mixtura oleoso-balsamica Bor. Hoffmanns Lebensbalsam.

Rp. Olei Lavandulae destillati,
Maioranae destillati,
Caryophyllorum aromaticorum dest.,
Macidis destillati,
Cassiae cinnamomeae destillati,
de Cedro, singulorum Scrupulum unum,
Rutae destillati,
Succini rectificati, singulorum Guttas decem,
Balsami Peruviani nigri Drachmam dimidiam,
Spiritus Vini rectificatissimi Uncias decem.

Mixta in vitro clauso digerantur frigide per quatriduum, et per gossypium filtrata, in vitro embolo vitreo instructo serventur.

Sit limpidum, vix stramineum; odoris summe aromatici, inprimis cinnamomei; saporis paris urentis.

* ☿ BUTYRUM ANTIMONII.

Liquor Stibii muriatici Bor. Murias Stibii Bat. Belg. Aust. Murias oxiduli Stibii liquidus Bav.

Causticum antimoniale. Antimonium chloratum liquidum. Spiesglanzbutter. Salzsaure Spiesglanzflüssigkeit.

Rp. Croci metallorum Uncias duas,
Salis communis exsiccati Uncias sex.

Mixta ingere retortae vitreae tubulatae, cui, balneo arenae impositae, luto, e Gypso usto et farina confecto, excipulum amplum tubulatum adapta. Cum excipuli orificio coniunge tubulum vitreum curvum, cuius alterum lumen vasculo, Aqua haud multa praedito, immerge. Luto siccato, affunde per tubulum retortae

Olei Vitrioli Anglici Uncias quatuor,
Aquae communis Unciis duabus

antea dilutas. Hoc tubo, ope epistomii vitrei clauso, ignem primo lenem, sub finem sensim augendum, excipulo saepius refrigerato, applica, donec guttulae destillare plane desierint. Vasis prorsus refrigeratis, liquorem destillatum a pauco sedimento luteo-rufo caute decanta. Serva in vitro epistomio vitreo clauso Ceraque obducto.

Liquidum sit limpidum, flavescens plerumque; ponderis specifici 1,46 = 54° Ar. Bk. gr.; summe causticum, aëri expositum vapores albos eructans, praesertim, si Acidum Salis praeponderans continet. Aqua dilutum, sedimentum album floccosum abunde demittat, atque addito Ammonio hydrosulphurato liquido, floccos subrufos deponat.

BUTYRUM CACAO.

Oleum Cacao Bor. Bat. Belg. Aust. Oleum concretum e seminibus Cacao Gall. Cacaobutter. Cacaoöl.

Semina Cacao leniter tosta, a testis liberata et minutim confracta, subtilissime teruntur in mortario ferreo, modice calefacto, ut mos est in conficienda Chocolata; tunc sacco cannabino, densioris texturae, includuntur et prelo ferreo, moderate calefacto, exprimuntur, donec omne Butyrum exierit. Denuo balnei aquae calore liquatum Butyrum, hoc ipso calore, per chartam bibulam filtra, filtratum in

capsulas e ferro laminato, stanno obductas effunde, et Butyrum frigefactum rigidum vase clauso, loco frigido, serva.

Sit recens flaviusculo-album, tempore procedente pallescens; Sevo vervecino paulo solidius, fractum aequabile, calore cutis humanae, liquatu facile, quin eam pinguedinosam reddat. Redoleat semina parum calefacta et fracta; sapore eadem referat, os, dum liquatur, simul refrigerando.

BUTYRUM MAIORANAE.

Unguentum Maioranae Bor. Majoranbutter. Majoransalbe.

Rp. Herbae Maioranae recentis,
Axungiae Porci, singularum Libram unam.

Contusa herba, coquantur leni igne, usque dum humiditas exhalaverit, tunc exprimatur Butyrum et servetur in olla, charta obducta, loco frigido.

Sit herbaceo-virens, consistentiae Axungiae; odoris Maioranae tenuioris.

☨ CALX ANTIMONII SULPHURATA HOFFMANNI.

Calcaria sulphurato-stibiata Bor. Sulphuretum Calcis stibiatum Bat. Belg. Sulphuretum Calcariae et Stibii Bav. Spiesglanz-Kalkschwefelleber. Hoffmanns Spiesglanz-Schwefelkalk.

Rp. Calcis vivae, recenter ustae et pulveratae, Uncias quinque,
Antimonii crudi praeparati Uncias duas,
Florum Sulphuris Unciam unam et dimidiam.

Intime mixta ac crucibulo intrusa, in superficie cum Calcis vivae pulveratae stratu et operculo lutato tecta, incandescant aestu rubella per horam dimidiam. Massa refrigerata, a Calcis stratu liberata, in pulverem redigatur et in vitris, probe obturatis et vesica tectis, servetur.

Sit pulvis subtilis, flavo-brunnescens; parum odoratus; saporis hepatici vocati, simul metallici; aëris accessu obscurius rubescens, sensim decomponitur et tandem, additis

acidis, nullum amplius Aërem hepaticum (Gas hydrosulphuratum) eructat. In aqua frigida parum, et solum in quinquaginta partibus bullientis plane solvitur, solutione leviter citrina clara, instillatis acidis, sedimentum floccosum rubens deponente.

CALX OXYMURIATICA.

Chloruretum Calcis. Oxymurias Calcis. Oxydirtsalzsaurer Kalk. Chlorkalk.

Conduc Acidum Salis dephlogisticatum (Chlorum, Halogen), uti Pag. 191 descriptum legis, ope tubuli vitrei, luminis latioris, curvati in

Calcem vivam, Aqua adspersa fatiscatam, vitro oblongo contentam, ut stratus inferiores Calcis per tubulum, fundum vitri petentem, cum Acido dicto, quantum fieri potest, saturentur. Hoc peracto, stratum superiorem Calcis, inertem reiice et Calcem oxymuriaticam vitris, subere ac vesica claudendis, committe.

Sit pulvis albidus, copiose aquam sorbens, odoris oxymuriatici; saporis paris styptico-salini; ad dimidium fere in Aqua solvatur, relicto Calce; calore leni Oxygenium emittens.

CARBO VEGETABILIS PRAEPARATUS.

Carbo purus Bor. Gereinigte Kohle.

Rp. Carbonum de ligno levi quantum tibi conveniat.

Incandescant, donec nullam amplius flammam largiantur, et extinguantur in vase terreo clauso. A cineribus, follis flatu ope, mundati et adhuc calentes, in pulverem illico contundantur et serventur in vitris probe obturatis.

Sit pulvis niger, siccus, insipidus; in aestu rutilo sine flamma excandescat.

CERA VIRIDIS.

Ceratum Aeruginis Bor. Ceratum viride. Grünes Wachs. Grünes Wachspflaster.

Rp. Cerae citrinae Libram unam,
Resinae Pini Uncias sex.

In sartagine cuprea calore leni liqua, dein ab igne remotis adde:

Terebinthinae communis Uncias quatuor,

et per stupam colatis,

Aeruginis pulverati Unciam unam.

Effunde mixta in capsulas chartaceas, cera vel oleo imbutas, quadratas.

Sit viridis, consistentiae cerae.

CERATUM LABIALE.

Lippenpomade.

Rp. Olei Amygdalarum Unciam unam cum dimidia,

Cerae albae Unciam unam,

Spermatis Ceti Drachmam unam,

Radicis Alkannae contusae Drachmam unam.

Liquentur leni igne, dein colaturae admisce

Olei Caryophyllorum Guttas viginti.

In capsulas papyraceas quadratae formae effusum, serva.

Sit purpureum, consistentiae densioris; odoris Olei Caryophyllorum.

* CERATUM SATURNI GOULARDI.

Unguentum saturninum Bor. Unguentum acetitis Plumbi Bat. Ung. acetatis Plumbi Belg. Aust. Unguentum subacetatis Plumbi liquidi Bav. Ceratum sub-acetate Plumbi medicatum Gall. Ceratum Plumbi Acetatis Lond. Bleicerat. Goulards-Salbe. Bleisalbe.

Rp. Olei Olivarum Libras duas,

Cerae albae Uncias sex.

Liquata ab igne remove, et simulac lentescere incipiant, sensim et sub perpetua agitatione, cum agitaculo ligneo, illis adde

Aceti Lithargyri Uncias tres,

dilutas in

Aquae Rosarum Unciis sex.

Consumta omni humiditate Ceratum in vase figulino vitreato vel murrhino, charta obducto, serva.

Sit albidum; consistentiae Mellis spissioris; odoris aciduli, non rancidi.

CERATUM SIMPLEX.

Unguentum cereum Bor. Bav. Oleo-ceratum aqua subactum Gall. Cerat. Wachssalbe.

Rp. Olei Olivarum Partes quinque,
Cerae albae Partes duas.

Liquata et ab igne remota agitentur, donec refrixerint. Ex tempore parandum.

CEREOLI EXPLORATORII.

Cereoli simplices Bor. Chirurgische Kerzen. Einfache Bougies.

Rp. Cerae citrinae Libram dimidiam,
Olei Olivarum Unciam unam.

Liquefacta leni igne, non admisso empyreumate, ab igne removeantur, tunc tenuioris lintei panniculos, decem pollices longos et duos latos, leniter in cylindros convolutos, massae adhuc fervidae, spumanti et bullas in superficiem ferenti, ita immerge, ut, si retraxeris, alterum tantum latus convoluti huius lintei liquore obductum tinctumve reperiatur; refrigeratis pannis singula frustula in sex partes aequales secentur, quarum unaquaeque ad alteram extremitatem pyramidis formam habeat, super marmor tandem frustula polita et sapone delinita primo digitorum, dein corporis cuiusdam duri ope, e. g. ligni plani duri, marmoris politi etc. convolvantur, ut cylindrum referant, et superficiem perfecte complanatam praebeant. Massa cui lintea immittenda sunt, iustam et idoneam habeat spissitudinem convenientemque caloris gradum, quo Cereoli laeves et forma exacta evadant.

CEREOLI MITIGANTES.

Cereoli saturni Bor. Chirurgische Bleikerzen.

Rp. Cerae citrinae Libram dimidiam.
Leni igne liquatae admisce,
Aceti Lithargyri Drachmas duas.
Misceantur continua agitatione, ex qua ab igne remota massa fiant Cereoli, modo ante descripto.

CHININUM SULPHURICUM.

QUININUM SULPHURICUM. Schwefelsaures Chinin.

Rp. Corticis Chinae regiae pulverati Libras quatuor,
Aquae communis Libras viginti,
Acidi Vitrioli concentrati Unciam unam cum dimidia.

Mixta digerantur, igne moderato, in vase fictili terreo vitreato saepius agitando per horam. Infuso colato, residuum expressum iterum cum
Aquae communis Libris decem,
Acidi Vitrioli concentrati Uncia una
pari modo tractetur. Pulvis residuus expressus tertia vice cum
Aquae communis Libris sex,
Acidi Vitrioli concentrati Uncia una
digerendo extrahatur. Infusis omnibus mixtis ac sedimento deposito, liquorem cola et illi successive adde
Cretae purae pulveratae,
quantum requiritur, ad acidum praeponderans saturandum; resideat liquor, tunc filtretur et sedimentum exprimatur; filtrato affunde liquidi spissiusculi e
Calce usta puriore et
Aqua communi parati tantum,
ut inde plane decomponatur, et Calx valde praeponderet; sedimento orto deposito, fluidum clarum defunde ac sepone. Sedimentum vero cum
Aquae communis Libris sex
lotum, per filtrum a fluido separa et illud, telo linteo inclusum ac prelo submissum, quantum fieri potest, ab humiditate libera; massam remanentem penitus exsicca, ac pulveratam cum

Spiritus Vini rectificatissimi Libris quinque conterendo misce, et miscellam in cucurbita vitrea, balneo arenae imposita, calore tepido digere, ac saepe agita. Tincturam adhuc fervidam per linteum traiice, et residuum calcareum secunda ac tertia vice cum

Spiritus Vini rectificatissimi Libris duabus et dimidia

digerendo, uti dictum, macera. Residuum postea sub prelo rite exprime, tincturas mixtas et sedimento deposito, calefactas, per chartam bibulam filtra ac Spiritum, destillatione e cucurbita vitrea caute instituta, abstrahe.

Chininum impurum, forma massae glutinosae parietibus cucurbitae inhaerens, solve digestione lenissima in

Acido Vitrioli diluto, antea cum
Aquae destillatae partibus decem mixto,

ac lixivium, ab acido fortasse praeponderante Cretae pulverisatae ope liberatum, dein filtratum, in patina fictile-silicea ad cuticulam evaporare fac et ad crystallisandum sepone. Lixivium brunneum a crystallis defusum, aqua destillata diluatur, cum carbonis animalis quantitate sufficiente coquatur, et filtratum, filtro bene eloto, vaporatione reiterata in crystallos cogatur. Sal collectum solutione in Spiritu Vini fortiori, antea abstracto, et nova filtratione neque non crystallisatione depurandum. Serva in vitro obturato.

Fluidum clarum, a sedimento calcareo prius defusum, ad quartam usque partem voluminis sui evaporatum, massam adhuc Spiritu Vini rectificatissimo extrahendam, edit.

Crystalla perfecte depurata alba, minima acicularia, tenuissima, oculo armato prismatica, lucida, splendoris sericei; in atmosphaera dilabentia; saporis peramari; in Aqua et Spiritu Vini rectificatissimo frigidis aegre, bullientibus vero plane solubilia. Solutio spirituosa addita tinctura Gallarum turbetur et floccos gryseo-flaventes deponat, instil-

lato decocto Collae piscium aeque se habeat, praeterquam quod floccos albos edat; a liquore Ferri saliti non mutetur. Crystalla calore 80° R. exposita et trita phosphorescentia fiunt, igne aucto cerae instar funduntur et denique sine residuo diffugiunt.

Chininum sulphuricum venale, interdum fraudulenter cum pulvere Sacchari permixtum occurrit, sed facile sapore primum dulci, demum amaro et aeglutinatione, si inter digitos fricatur, distinguendum ac inde remittendum. Etiam cum Calce, et Magnesia inquinatum dicunt; solutio incompleta in Spiritu Vini rectificatissimo calido inquinationis huius index est.

* CINERES CLAVELLATI DEPURATI.

Kali carbonicum Bor. Carbonas Potassae alcalinum Bat. Carbonas lixiviae alcalinus Aust. Sub Carbonas Potassae Bav. Belg. Gall. Potassae subcarbonas Lond. Kali subcarbonicum Hann. Alkali vegetabile aëratum. Sub-Deuto Carbonas-Potassii. **Gereinigte Potasche. Kohlensäuerliches Kali. Vegetabilisches Laugensalz.**

Rp. Cinerum clavellatorum optimorum, contusorum,
Aquae communis, singularum partes aequales.

In olla fictili-silicea sub agitatione frequenti macerentur, donec dilapsi sint. Liquor per chartam colatus evaporet vase ferreo, mundo, ad cuticulam, tunc per aliquot dies seponatur, ut salia heterogenea in crystallos concrescant. Dein lixivium per linteum in vas ferreum defunde, et inspissa, sub finem operationis perpetuo agitando, ne vasi adhaereat sal, ad siccum. Massam salinam residentem denuo in pari pondere Aquae destillatae frigidae solve et lixivium, per chartam bibulam filtratum, repetita evaporatione ad siccum, in pulverem redige. Alkali, vasis probe claudendis statim immissum, loco sicco servandum est.

Referat grumulos pulverulentos, candidos; saporis alkalini ingrati insignis; aëris attactu diffluentes, in pari pondere Aquae destillatae frigidae totos solubiles, solutione clara cum Acido Nitri neutralisata, dein ad siccum evaporata, residuum iterum Aqua solutum et cum Acido dicto

neutralisatum vix tenorem Terrae siliceae, et argillosae si Spiritus Salis Ammoniaci causticus addatur, affusisque reagentibus idoneis vix vestigium Acidi Salis vel Vitrioli prodat.

✠ CINNABARIS ARTIFICIALIS.

Sulphuretum Hydrargyri rubrum Bav. Gall. Deuto-Sulphuretum Hydrargyri rubrum Belg. Reiner Zinnober. Rothes Schwefel-Quecksilber.

Rp. Florum Sulphuris Uncias duas.

Vasi figulino vitreato, non nimis alto, fundo plano instructo, ingestos et obtectos liqua leni igne. Liquatis paullatim adde

Mercurii vivi depurati Uncias duodecim,

in cochleari ferreo calefacti, miscello continuo bacillo terreo agitando. Massam non amplius metallice micantem sed nigrefactam, in frustula diffringe et phialis fundo plano praeditis ingestam, igne sensim aucto, totam sublima. Sublimatum laevigatum serva. Praeparatam venalem, plerumque adulteratam, nunquam in medicina adhibe.

Frusta gryseo-sanguinea, nitoris metallici, opaca, rudia, colore rubro depingentia, tritura punicea; facilia diffractu, fractura fibroso-crystallina splendente, textura aciculas parallelas coagmentatas praebente; insipida. Ponderis specifici 7,8 — 7,9. Aqua et Spiritu Vini insolubilis, prunis iniecta integre volatilis, flamma ardeat laete coerulea, neutiquam rubra, et Gas sulphurosum ac vapores mercuriales edens, vase clauso integre ac immutata sublimetur. Cum Acido Nitri perdiluto vel Lixivio caustico cocta, nec Acido nec Lixivio quidquam communicet, quod eruitur, si acido defuso et lixivio, quod dein Acido Nitri supersaturandum est, Aqua hydrosulphurata addatur.

CONCHAE USTAE.

Conchae calcinatae. Gebrannte Austerschaalen.

Conchae marinae, aqua mundatae, calcinentur inter prunas dum ab Acido carbonico liberatae sint. Vase probe obturato servandae.

Sint albae; sapore calcem vivam aemulantes; acido nonnullo superfuso non effervescant.

CONSERVA ROSARUM.

Confectio Rosarum Lond. Rosenconserve.

Rp. Florum Rosarum rubrarum recentium, ab unguibus separatarum, Partem unam.

Concisis, contundantur in mortario lapideo, ope pistilli lignei, in pultem tenuem, admiscendo successive

Sacchari albi pulverati Partes duas.

Serva in vase murrhino, charta tecto.

Sit pasta grumulosa, aequabiliter mixta, rubens; odoris et saporis rosarum, saporis simul saccharini.

* CREMOR TARTARI.

Tartarus depuratus Bor. Tartris Potassae acidula depurata Bat. Supertartras Potassae depuratum Belg. Tartras lixiviae acidulus depuratus Aust. Tartras Potassae acidulus purus praeparatus Bav. Gall. Crystalli Tartari pulverisati. Potassa Supertartaras Lond. Weinsteinrahm. Gereinigter Weinstein.

Crystalli Tartari venales explorentur, an ab inquinamentis metallicis et salibus heterogeneis liberae sint. Tum aqua frigida abluantur, et iterum siccatae in mortario ferreo, modice calefacto, in pulverem terantur.

Signa puritatis uti in Crystallis Tartari.

CREMOR TARTARI SOLUBILIS.

Tartarus boraxatus Bor. Belg. Tartris boraxata Potassae et Sodae Bat. Tartras Potassae boraxatus Bav. Tartras acidulus Potassae solubilis admixto Acido boracico Gall. Cremor Tartari borace solubilis Sax. Auflößlicher Weinstein. Borax-Weinstein.

Rp. Boracis Venetae Libram dimidiam.

In vase stanneo

Aquae bullientis Libris quinque

solve et adde per vices, sub continua agitatione cum spathula lignea,

Cremoris Tartari Libram unam cum dimidia, vel quantum solvitur.

Liquorem, vasi murrhino immissum ac refrigeratum, post viginti quatuor horas filtra et in simili vase, arenae superimposito, calore sub finem exiguo, evaporare fac, donec pars exemta, post refrigerationem, facile in pulverem redigatur. Sal exemtum dein super chartam per duas horas igne lenissimo siccatum, in pulverem redige et, vase porcellaneo probe obturato immissum, loco temperato serva.

Sit grumosus, subflavens, subpellucidus, tritus albus, fragilis, fracturae vitreae; saporis sat acidi, non ingrati. Aëris attactu mox diffluens, calore mediae temperaturae cum pari pondere aquae solutionem, primum subturbidam, flaviusculam, mox claram praebens, quae addito liquore Kali ferreo-borussici, vel Aqua hydrosulphurata affusa, a cupro et plumbo libera reperiatur.

CROCUS MARTIS APERITIVUS.

Ferrum oxydatum fuscum Bor. Oxydulum Ferri fuscum Bat. Subcarbonas Ferri Belg. Oxidum Ferri Bav. Oxidum Ferri fuscum Gall. Ferrum subcarbonicum Lond. Ferrum oxydatum hydraticum Hann. Eisensafran. Eisenoxydhydrat und Kohlensäure.

Rp. Vitrioli Martis puri quantum vis.

Solve in

Aquae fervidae copia maiori, quam pro solutione requiritur.

Filtra et instillando

Liquoris Cinerum clavellatorum depuratorum praecipita. Praecipitatum aqua fervida sedulo edulcora, sicca et vitro obturato serva.

Referat pulverem brunneo-rubrum, subtilem, inodorum, insipidum, non attractilem. Aqua destillata cum illo digesta et tunc filtrata, a liquore Terrae ponderosae salitae vix turbetur. Acido Salis superfusus effervescat ac totus

solvatur; liquor acidulus, affusa Aqua hydrosulphurata, neque turbetur nec, cum liquore Salis Tartari caute saturatus, laminam Ferri politi ingestam cupro obducat.

☨ CROCUS METALLORUM.

Stibium oxydulatum fuscum Bor. Oxydulum Stibii fuscum Bat. Protoxydum Stibii sulphuratum fuscum Belg. Oxydulum Stibii sulphuratum fuscum Aust. Spiesglanz- oder Metall-Safran. Braunrothes Antimonoxydul.

Rp. Nitri depurati et siccati,
Antimonii crudi praeparati, singulorum Partes aequales.

In pulverem redacta misceantur et per vices immittantur in crucibulum candens. Post detonationem massa metallica gravior, in crucibuli fundo haerens, a scoriis albicantibus separetur, et in pulverem subtiliorem redigatur, aqua fervida excoquatur et sedulo edulcoretur ac siccetur. Serva in vitro obturato.

Pulvis castanei coloris, subtilis, inodorus, insipidus; in Aqua destillata fere insolubilis. Calore a liquore Hepatis Sulphuris alkalini solvatur et Acido Vitrioli addito, e solutione sub forma Sulphuris aurati Antimonii praecipitetur. Cum crystallis Tartari et aqua coctus, liquor crystallisatione Tartarum emeticum exhibeat. In Acido Salis calefacto, usque ad residuum Kermesinum floccosum parcissimum, solutus, praeponderante acido et aqua destillata admixta, praecipitatum album edat. Aestu funditur et in vitrum mutatur.

Si massa non eluitur habes:

HEPAR ANTIMONII.

Sulphuretum Antimonii. Kali stibiato-sulphuratum. Spiesglanzleber.

* ☨ CUPRUM AMMONIACALE.

Cuprum sulphurico-ammoniatum Bor. Sulphas Cupro-ammoniacale Bat. Belg. Sulphas Cupri et

Ammoniae Bav. Gall. Sulphas Cupri ammoniacalis Aust. Cuprum ammoniacale vitriolicum Sax. Cuprum ammoniatum Lond. Sub-Sulfas Cupri et Ammoniae. Kupferammonium. Kupfersalmiak. Schwefelsaures Kupferoxyd-Ammonium.

Rp. Vitrioli coerulei puri Uncias duas.

His in pulverem redactis, in vase vitreo sensim affunde

Spiritus Salis Ammoniaci caustici Uncias quinque, vel quantum sufficit,

ut praecipitatum viride-coerulescens, ab initio natum, plane solvatur. Liquori intense lazulino filtrato, via parietis vitri caute infunde

Spiritus Vini rectificatissimi Uncias octo.

Stent per septimanam et diutius, ut crystalli bonae notae concrescant. Tunc fluidum defunde ac concutiendo misce. Crystallos et massam salinam ortam a fluido, ope lintei, separa, ac quum probe expresseris, inter plagas chartae bibulae, pluries renovandas, loco temperato sicca et in vitro, embolo vitreo accurate clauso, serva.

Refert crystallos tenuiores, illis Nitri forma subsimiles, vel pulverem crystallinum; coloris lazulini; aëris attactu pallescentem, postea virentem; odoris ammoniacalis debilioris; saporis ab initio similis, tum styptici metallici, nauseosi. Solvatur calore 14° in parte una cum dimidia aquae. Ab aqua bulliente decomponitur. Solutio sit laete cyanea clara, nec cum acidis effervescat.

Dosis. Granum dimidium vel grana tria, bis de die.

CUPRUM PURUM.

Reines Kupfer.

Si forte Cuprum venale iusta puritate non gaudeat, sequenti modo depures:

Rp. Cupri venalis, in filum crassum ducti et comminuti, Partes quinque.

Crucibulo Hassiaco immissae funduntur igne reverberario, follis ope aucto, tum sensim ingere

Pulveris Nitri depurati siccissimi Partem unam,

et crucibulo operculum impone, dein gradu ignis ad fundendum metallum necessario, per horam dimidiam continuato, metallum in conum fusorium, sevo illitum, effunde et quum laminis vel filo metallico opus est, fabro aerario trade.

Signa physico-chemica in parte I. relata praebeat.

DECOCTA.

Absude. Abkochungen.

Decocta vegetabilium, simpliciter praescripta, parantur e drachma una remedii postulati, concisi vel crasse pulverati, quod in Aquae communis unciis duabus coctum et inde colatum, unciam unam reddat. Coquantur in vasis figulinis vitreatis, aut cupreis, stanno obductis, paribus operculis tectis, igne modico subiecto, gradum, ad aquam bulliendum necessarium, non excedente. Colantur per lintea telae densioris, materia decocta simul bene expressa, et quae refrigerata copiosum sedimentum, praecipue e partibus efficacibus constans, e. g. China, demittunt, adhuc calentia.

DECOCTUM ALBUM.

Weiße Abkochung.

Rp. Rasurae Cornu Cervi,
Micae panis triticei albissimi, singularum Unciam dimidiam.
Coque cum
Aquae communis Libris tribus,
usque ad eum finem, dum tertia pars consumpta sit. In collatura solve
Gummi arabici Drachmam unam et dimidiam,
Sacchari albi Unciam dimidiam.
Paratur ex tempore.

ELAEOSACCHARUM ABSINTHII.

Wermuth-Oelzucker.

Rp. Sacchari albi pulverati Drachmas duas,
Olei Absinthii destillati Guttas quatuor.
Misce exactissime et para ex tempore.
Eadem ratione parantur:

ELAEOSACCHARUM ANISI.

Anis-Oelzucker.

ELAEOSACCHARUM AURANTIORUM.

Pomeranzen-Oelzucker.

ELAEOSACCHARUM CHAMOMILLAE.

Chamillen-Oelzucker.

ELAEOSACCHARUM CALAMI.

Calmus-Oelzucker.

ELAEOSACCHARUM FOENICULI.

Fenchel-Oelzucker.

ELAEOSACCHARUM IUNIPERI.

Wachholderbeeren-Oelzucker.
Ex Oleo Baccarum Iuniperi destillato.

ELAEOSACCHARUM MENTHAE CRISPAE.

Krausemünz-Oelzucker.

ELAEOSACCHARUM MENTHAE PIPERITIDIS.

Pfeffermünz-Oelzucker.

ELAEOSACCHARUM SALVIAE.

Salbei-Oelzucker.

ELAEOSACCHARUM CARYOPHYLLORUM.

Nelken-Oelzucker.

Rp. Sacchari albi pulverati Drachmas duas,
Olei Caryophyllorum aromaticorum destillati
Guttas tres.
Misce exactissime et para ex tempore.
Pari modo parantur:

ELAEOSACCHARUM CASSIAE CINNAMOMEAE.
Chinesischer Zimmt-Oelzucker.

ELAEOSACCHARUM CINNAMOMI ACUTI.
Holländischer Zimmt-Oelzucker.

ELAEOSACCHARUM MACIDIS.
Macis-Oelzucker.

ELAEOSACCHARUM VALERIANAE.
Baldrian-Oelzucker.

ELAEOSACCHARUM CITRI.
Citronen-Oelzucker.
Para, deterendo de singulis Pomis Citri totam epidermidem cum Unciis tribus Sacchari albi integri et redigendo dein in pulverem. Servá in vitro probe clauso.

ELECTUARIUM LENITIVUM.
Loco Electuarii e Senna Bor. et Electuarii Sennae Bav. Eröffnende Latwerge.
Rp. Pulveris Seminum Anisi Grana sex,
Foliorum Sennae Drachmam unam,
Pulpae Tamarindorum Drachmas duas,
Syrupi Althaeae Drachmas sex.
Misce in mortario lapideo ex tempore.

℞. ELECTUARIUM THERIACA.
Theriaca. Electuarium aromatico opiatum Bav. Electuarium opiatum s. thebaic. Belg. Theriak. Gewürzhafte Mohnsaft-Latwerge.

Rp. Radicis Angelicae Uncias sex,
Serpentariae virginianae Uncias quatuor,
Valerianae,
Scillae,
Zedoariae,
Corticis Cassiae cinnamomeae, singulorum Uncias duas,
Cardamomi minoris,
Caryophyllorum aromaticorum,
Croci,
Myrrhae,
Vitrioli viridis puri,
Opii, singulorum Unciam unam,
Mellis despumati Libras sex.

Melli paululum calefacto addatur Opium, in Vini Hispanici quantitate sufficiente solutum, deinde admisceantur caetera, in pulverem redacta. Electuarium accurate mixtum, serva vase murrhino vel porcellaneo bene clauso.

Theriacae huius unciae singulae continent Opii grana circiter quinque.

Sit fusco-nigrum; spissum; odoris aromatici; saporis calidi amari subausteri.

Dosin Opium indicat.

* ELIXIR ACIDUM HALLERI.

Mixtura sulphurica Hann. Alcohol sulphuricus acidus Belg. Aether sulphuricus acidus Bat. Acidum sulphuricum alcoholicum Bav. Liquor acidus Halleri Aust. Hallers saures Elixir. Schwefelsaure Mixtur.

Rp. Spiritus Vini rectificatissimi Partem unam.

Cui, vasi vitreo capaciori immisso, per vices, manu caute agitando et denuo refrigerato, instilla

Acidi Vitrioli concentrati puri Partem unam.

Omnibus mixtis Elixir serva in vitro, embolo vitreo, clauso.

Sit flavescens vel lucide brunneum, clarum; odoris spirituosi sub-aetherei; saporis acidi caustici; ponderis specifici 1,1972 = 28° Ar. Bk. Aq. gr.

Si Spiritus Vini rectificatissimi Partibus tribus, instillas Acidi Vitrioli concentrati puri Partem unam, habes:

MIXTURAM SULPHURICAM ACIDAM BOR.

Acidum sulphuricum alcoolisatum Gall. Aquam Rabelii.

ELIXIR BALSAMICUM HOFFMANNI.

Elixir stomachicum Viennense Belg. loco Elixirii Aurantiorum compositi Bor. Hann. et Vini Aurantiorum compositi Bav. Hoffmanns balsamisches Elixir.

Rp. Flavedinis corticum Aurantiorum Uncias quatuor,
quibus contusis affunde
Vini Hispanici Libras duas,
Tincturae corticum Aurantiorum Uncias duas,
digerantur, loco tepido, vitro vesica clauso, per septimanam, tunc colentur exprimendo, in fluido colato solvas
Extracti Absinthii,
Cardui Benedicti,
Centauri minoris,
Gentianae, singulorum Unciam unam.
Elixir residere fac, a residuo defusum et per chartam bibulam colatum, uncias viginti quatuor aequans, serva denique in vitro obturato.

Sit brunneo-nigrum, opacum; odoris Vini hispanici et Aurantiorum; saporis primum dulciusculi, dein peramari.

ELIXIR PROPRIETATIS SINE ACIDO.

Säurefreyes Purgierelixir.

Rp. Aloës soccotrinae,
Croci,

Myrrhae, singulorum Unciam unam,
Tartari tartarisati Uncias duas,
Aquae destillatae Uncias octo,
Spiritus Vini rectificati Uncias quatuordecim.

Digerantur per triduum. Elixir filtratum, uncias viginti aequans, serva vitro obturato.

* ELIXIR ROBORANS WHYTTI.

Tinctura composita Whyttii Belg. Alcohol Chinae compositum Bav. Tinctura Chinae composita Hann. loco Tincturae Chinae compositae Bor. Whytts stärkendes Elixir.

Rp. Corticis Chinae fuscae contusae Uncias quatuor,
Radicis Gentianae incisae,
Corticum Aurantiorum incisorum, singulorum Unciam unam cum dimidia,
Spiritus Vini gallici Libras quatuor.

Digere in balnei arenae, vel aestate in solis calore, subinde agitata, per dies sex. Elixir expressum et filtratum, uncias quadraginta aequans, in vitro obturato serva.

Sit rubro-brunneum, clarum, cum aqua potius opalescens quam lactescens; saporis amari, spirituosi.

ELIXIR E SUCCO LIQUIRITIAE.

Elixir pectorale regis Daniae. Elixir Glycyrrhizae Sax. Süßholzsaft-Elixir. Brust-Elixir.

Rp. Succi Liquiritiae depurati Uncias duas,
Aquae Foeniculi Uncias sex.

Solutis et colatis adde
Spiritus Salis Ammoniaci anisati Uncias duas.

Misce et serva in vitro probe obturato et tecto.

Sit brunneo-nigrescens, opacum; odoris ammoniacalis, foeniculacei; saporis paris, dulcissimi.

* ELIXIR VITRIOLI MYNSICHTI.

Loco Tincturae aromaticae acidae Bor. et Alcoholis aromatici sulphurici Bav. Mynsichts Vitriol-Elixir.

Rp. Radicis Calami aromatici Unciam unam,
Galangae minoris Unciam unam et dimidiatam,
Zingiberis Drachmas tres,
Herbae Menthae crispae,
Salviae, singularum Unciam unam,
Caryophyllorum aromaticorum,
Corticis Cassiae Cinnamomeae, singulorum Drachmas tres,
Cubebarum,
Nucis moschatae,
Ligni Quassiae,
Corticum Citri, singulorum Drachmas duas.
Incisis et contusis superfunde
Spiritus Vini rectificati Libras duas.
Macerentur per septimanam, dein addantur
Acidi Vitrioli diluti Unciae duae.
Digerantur per sex dies, tum liquorem expressum per chartam bibulam filtra et, uncias viginti aequantem, serva in vitro, embolo vitreo, clauso.

Sit brunneo-nigrescens, pellucidum; odoris aromatici spirituosi; saporis paris, aciduli, urentis; cum aqua permixtum viride-lactescens fiat.

* EMPLASTRUM ADHAESIVUM.

Emplastrum Lithargyri cum Resina Pini Bor. Emplastrum simplex glutinans Gall. Emplastrum resinosum Belg. loco Emplastri Picis solidae Bav. Heft-Pflaster. Bleiglätte-Pflaster mit Harz.

Rp. Emplastri communis Libras duas,
Resinae Pini Libram unam,
Terebinthinae Venetae Unciam dimidiam.
In aheno cupreo leni igne liquatis fiat emplastrum. Refrigeratum malaxatur, ope aquae, in magdaleones. Servantur, ut caetera emplastra, charta cerata velata, in vasis ligneis tectis.

Sit brunneo-flavum, frigidum fragile, manu emollitum linteis tenacissime agglutinans.

* EMPLASTRUM ADHAESIVUM WODSTOCKII.

Emplastrum Ichthyocollae telae inductum Bav. Emplastrum glutinosum Aust. Sericum anglicum Gall. Emplastrum anglicanum. Wodstocks Heftpflaster. Englisches Pflaster.

Rp. Collae piscium purissimae, aqua frigida mollitae et minutim incisae, Uncias duas.
Solve leni digestione in
Spiritus Vini rectificatissimi Unciis sex.
Solutioni admisce
Resinae Benzoës Drachmas duas,
Balsami Peruviani nigri Scrupulos quatuor,
Olei Caryophyllorum Guttas decem,
in
Spiritus Vini rectificatissimi Unciis quinque
soluta, solutiones adhuc calentes per linteum cola. Tunc tela serica nigra et tenuis, quae tamen satis densae est texturae, supra iugum netorium fortius extenditur. Massa Emplastri in ollam, et haec in aquam ferventem, immittitur, ut gelatinosa massa diffluat, quae tum, penicillo magno et molli, in telam expansam, quam parcissime transferatur ac expandatur, idque tela probe siccata, ter quaterve, usque eo ut speculi polituram induerit. Quo facto Emplastrum probe siccatum et dein ex iugo exemtum in frustula dissecatur.

Sit rigidum, splendens, madefactum cuti tenaciter adhaerens; odoris Balsamici Peruviani.

* EMPLASTRUM ALBUM COCTUM.

Emplastrum Cerussae Bor. Emplastrum subcarbonatis Plumbi Bav. Gekochtes weißes Pflaster. Bleiweiß-Pflaster.

Rp. Olei Olivarum Libras quatuor cum dimidia.
Ad ebullitionem fere, in aheno cupreo, calefacto sensim iniiciantur
Pulveris Cerussae Librae octo.

Coquantur sub agitatione continuata, instillando subinde modicam aquae calidae quantitatem, ne humor deficiat, ad iustam emplastri spissitudinem et malaxando formentur, aquae ope, magdaleones.

Sit candidum, durum, emollitum valde tenax; odoris proprii e plumbeo et oleaceo mixti.

EMPLASTRUM AROMATICUM.

Loco Emplastri stomachici. Gewürz-Pflaster.

Rp. Cerae citrinae Uncias octo,
Sevi vervecini Uncias sex,
Terebinthinae Venetae Unciam unam.
Liquatis et semirefrigeratis immisce
Pulveris Olibani Uncias quatuor,
Caryophyllorum Uncias duas,
Olei Nucistae liquati Unciam unam cum dimidia,
ac sub finem refrigerationis miscellae
Olei Menthae piperitidis Drachmas duas.
Malaxando, olei ope, formantur bacilla, quae charta cerata velata, in vase e ferro laminato, stanno obducto, clauso servantur.

Sit laete brunneum, ductile, telae bene adhaerens; odoris aromatici insignis.

* EMPLASTRUM CICUTAE.

Emplastrum Conii Bor. Bav. Belg. Schierlings-Pflaster.

Rp. Olei Olivarum Libram dimidiam,
Cerae citrinae Uncias decem,
Terebinthinae Venetae Uncias quatuor.
In aheno cupreo liquatis, agitando admisce
Pulveris Herbae Cicutae Libram dimidiam,
Extracti Cicutae, in paululo Aquae soluti, Unciam unam cum dimidia.
Mixta malaxantur, olei ope, in magdaleones.

Sit griseo-viride, molliusculum; odoris murini proprii.

Si emplastro Cicutae, unciae tres gummi Ammoniaci depurati, cum Terebinthinae venetae sufficiente quantitate liquati, admisceantur, habes:

EMPLASTRUM CICUTAE CUM AMMONIACO.

Ammoniakhaltiges Schierlings-Pflaster.

Eadem ratione, ut Empl. Cicutae, paratur:

EMPLASTRUM HYOSCIAMI.

Bilsenkraut-Pflaster.

---

* EMPLASTRUM CITRINUM.

Ceratum Resinae Pini Bor. Ceratum citrinum Aust. Emplastrum Cerae Lond. Gelbes Wachs-Pflaster.

Rp. Resinae albae Libram unam,
Cerae citrinae Libras duas,
Sevi vervecini,
Terebinthinae Venetae, singulorum Libram dimidiam.

Omnia liquando et colando mixta, effundantur in capsulas chartaceas quadratae formae, Oleo olivarum antea oblitas.

Sit luteum, molliusculum, tenax; odoris resinosi; tenacissime agglutinans.

* EMPLASTRUM COMMUNE.

Emplastrum Lithargyri simplex Bor. Emplastrum oxydi Plumbi semivitrei Bat. Emplastrum oxiduli Plumbi semivitrei Bav. Emplastrum Plumbi simplex Aust. Belg. Emplastrum ex oxido-Plumbi semivitreo Gall. Emplastrum Plumbi Lond. Emplastrum diachylon simplex. Gemeines Pflaster. Einfaches Diachylon- oder Bleiglätte-Pflaster.

Rp. Pulveris Lithargyrii Libras quatuor,
Olei Olivarum Libras septem.

Coque in aheno cupreo, igne leni, sub perpetua agitatione, et pauxillum aquae calidae subinde instillando, donec Lithargyrum bene solutum fuerit et massa sit emplastri consistentiae. Malaxatur, aquae ope, in magdaleones.

Sit luteo-albens, non unguinosum, frigidum fragile, calore mollitum, telae valde agglutinans.

* EMPLASTRUM DIACHYLON COMPOSITUM.

Emplastrum Lithargyri compositum Bor. Emplastrum oxydi Plumbi semivitrei gummosum Bat. Emplastrum oxiduli Plumbi semivitrei gummosum Bav. Emplastrum cum Gummi-resinis Gall. Emplastrum Plumbi gummiresinosum Aust. Emplastrum Plumbi gummosum Belg. Zusammengesetztes Diachylon- oder Bleiglätte-Pflaster. Gummi-Pflaster.

Rp. Emplastri communis Libras quatuor cum dimidia.

In aheno cupreo liquato et quodammodo refrigerato sub perpetua agitatione admisce, leni calore soluta,

Gummi Ammoniaci depurati,
Resinae Galbani depuratae,
Terebinthinae Venetae, singulorum Uncias quatuor,

ut fiat emplastrum. Malaxatur, aquae ope, in magdaleones.

Sit flavo-brunnescens, ductile, linteis intime adhaerens. Gummi et resinam, accurate sibi immixta, sat redoleat.

EMPLASTRUM GALBANI CROCATUM.

Safranhaltiges Mutterharz-Pflaster.

Rp. Emplastri communis,
Meliloti,
Cerae citrinae, singulorum Uncias sex.

Liquatis et semi-refrigeratis, adde

Resinae Galbani depuratae Uncias sex,

cum

Terebinthinae Venetae Uncia una et dimidia, calore liquefactas. Mixtis adde
Croci pulverati Unciam unam.
Fiat secundum artem emplastrum.

Sit fuscum, duriusculum, calore ductile, telae adhaerens; odoris Resinae Galbani.

EMPLASTRUM MATRIS.

Emplastrum Minii adustum Hann. Emplast. oxiduli Plumbi semivitrei adustum Bav. Emplast. fuscum Gall. Emplast. noricum. Mutter-Pflaster. Gebranntes Mennig-Pflaster.

Rp. Olei Olivarum Libram unam,
Minii subtilissime pulverati Uncias octo.
Coque sub perpetua agitatione, ut brunneum colorem et molliorem consistentiam acquirant, tunc semirefrigeratis admisce
Picis solidae Unciam dimidiam,
Cerae citrinae Unciam unam cum dimidia,
Camphorae, in pauxillo Olei Olivarum solutae, Drachmas duas.
Effunde in capsulas papyraceas.

Sit coloris Succolatae, solidum, tenax.

* EMPLASTRUM MELILOTI.

Meliloten-Pflaster.

Rp. Cerae citrinae Libram unam,
Colophonii,
Olei Olivarum, singulorum Libram dimidiam.
Liquatis et semirefrigeratis paullatim admisce
Pulveris Herbae Meliloti Libram unam.
Fiat emplastrum et malaxetur, auxilio aquae, in magdaleones.

Sit obscuro-viride, molliusculum; odoris Meliloti proprii.

* EMPLASTRUM MERCURIALE.

Emplastrum Hydrargyri. Bor. Bat. Belg. Bav. Aust. Lond. Quecksilber-Pflaster.

Rp. Emplastri communis Libram unam,
Cerae citrinae Uncias tres.

In aheno cupreo liquefactis, ab igne remotis et paululum refrigeratis, adde sub perpetua agitatione

Mercurii vivi Uncias quatuor,

quae prius cum

Terebinthinae Venetae Unciis duabus

in mortario lapideo ita mixtae sunt, ut oculo armato nulli globuli mercuriales appareant.

Mixta et refrigerata, malaxantur in magdaleones.

Sit coeruleo-cinerascens, ponderosum, ductile, telae valde adhaerens, oculo armato nullos globulos metallicos monstrans. Partes quinque unam Mercurii teneant.

EMPLASTRUM OXYCROCEUM.

Safran-Pflaster.

Rp. Cerae citrinae,
Picis solidae,
Colophonii, singulorum Libram dimidiam,
Terebinthinae Venetae Uncias duas,
Gummi Ammoniaci depurati,
Resinae Galbani depuratae,
Mastiches pulveratae,
Myrrhae pulveratae,
Olibani pulverati, singulorum Unciam unam,
Croci pulverati Unciam dimidiam.

Cera, Colophonio ac Pici colliquefactis, ab igne remotis, colatis, atque parumper refrigeratis, Ammoniacum et Galbanum, in Terebinthina soluta, tum et reliqua addantur, exacte misceantur et in magdaleones malaxentur.

Sit luteo-rubro-brunneum, ductile, telae adhaerens.

* EMPLASTRUM RESOLVENS SCHMUKERI.

Emplastrum foetidum Bor. Emplastrum Asae foetidae Bat. Belg. Emplastrum Asae foetidae et Ammoniaci Bav. Schmuckers zertheilendes Pflaster. Stinkasand-Pflaster.

Rp. Gummi Ammoniaci depurati Libram unam,
Asae foetidae Uncias quatuor.
Leni igne emollitis, agitando admisce
Pulveris Saponis Alicantini Uncias duas,
Olei Olivarum Unciam dimidiam,
ut fiat emplastrum. Malaxatur, olei ope, in magdaleones. Serva, in vase e ferro laminato, stanno obducto, loco frigido.

Sit fuscum, ductile, Asam foetidam valde redolens.

* EMPLASTRUM SAPONIS.

Emplastrum saponatum Bor. Bat. Belg. Bav. Emplastrum saponaceum Gall. Seifen-Pflaster.

Rp. Emplastri communis Libram unam et dimidiam,
Cerae citrinae Uncias quatuor.
Leni igne liquefactis, sub perpetua agitatione sensim admisce
Saponis Alicantini pulverati Uncias quatuor,
Camphorae, in Oleo Olivarum solutae, Unciam dimidiam,
ut fiat emplastrum, in magdaleones malaxandum. Serva in vase e lamina ferri, stanno obducta, confecto.

Sit albescens, molliusculum; Camphorae odore imbutum.

EMPLASTRUM SPERMATIS CETI.

Ceratum cetacei Bor. Lond. Ceratum Ceti Bat. Unguentum Adipocerae Cetorum Bav. Wallrath-Pflaster. Wallrath-Cerat.

Rp. Spermatis Ceti Unciam unam,
Cerae albae Uncias duas,
Olei Olivarum Uncias quinque.
Leni igne liquata et mixta, effundantur in capsulas chartaceas quadratae formae.

Sit album, molliusculum, odoris oleosi-cerei, non rancidi.

* EMPLASTRUM VESICATORIUM.

Emplastrum Cantharidum ordinarium Bor. Empl. Cantharidum. Hann. Bat. Belg. Aust. Empl. Can-

THARIDUM CEREUM BAV. EMPL. E CANTHARIDIBUS EPISPASTICUM SOLIDIUS GALL. EMPL. CANTHARIDIS LOND. Blasen-Pflaster. Spanischfliegen-Pflaster.

Rp. Cerae citrinae Uncias quatuor,
Olei Olivarum Unciam unam.
Liquatis et paululum refrigeratis adde
Terebinthinae Venetae Unciam unam,
sensimque admisce, agitando,
Pulveris crassi Cantharidum, recenter contusarum, Uncias duas.
Fiat emplastrum, olei ope, in magdaleones malaxandum. Ne nimium diu prostet.

Sit nigro-viride, molliusculum, copiam memoratam Cantharidum, aequabiliter invicem mixtarum teneat.

* EMPLASTRUM VESICATORIUM PERPETUUM.

EMPLASTRUM CANTHARIDUM PERPETUUM BOR. EMPL. CANTHARIDUM RESINOSUM BAV. EMPL. EUPHORBII AUST. EMPL. VESICATORIUM IANINI. Anhaltendes Blasenpflaster. Englisches Zugpflaster.

Rp. Pulveris Resinae Mastichis,
Terebinthinae Venetae, singulorum Uncias tres.
Leni calore liquatis et accurate solutis adde
Cerae citrinae liquatae Unciam unam,
ac sensim immisce
Pulveris Euphorbii Unciam dimidiam,
Pulveris crassi Cantharidum Drachmas decem,
ut fiat emplastrum, in magdaleones, olei ope, malaxandum.

Sit fuscum, frigidum fragile, calore ductile, fractura splendida, maculis griseis et micis Cantharidum aequabiliter variegata; Cantharides simul sat redolens.

EMULSIO AMYGDALARUM.

Mandel-Emulsion.

Rp. Amygdalarum dulcium decorticatarum Partes duas.

Contunde in mortario idoneo cum pauxillo aquae communis, ad pultem tenerrimam usque, tunc affunde sensim agitando

Aquae communis Partes sedecim.

Cola per linteum, in colatura solve

Sacchari albi Partem unam.

Paratur ex tempore.

* EXTRACTUM ABSINTHII.

Wermuth-Extract.

Rp. Herbae et Summitatum Absinthii, recens siccatarum et minutim concisarum, quantum vis.

Cum

Aquae bullientis sufficiente quantitate,

in pultem fluidam redactis, stent per duodecim horas in dolio, subinde agitata. Tunc pultem, sacculis linteis inclusam, prelo ferreo exprime et residuum denuo macerationi et expressioni subiice. Omnia expressa mixta stent per noctem, in vasis terreis vitreatis vel ligneis, ut sedimentum de illis secedat, dein per pannum colentur et leniori igne in cupreis vasis, stanno obductis, inspissentur. Ad syrupi consistentiam redacta, in catino murrhino vel stanneo, balneo aquae imposito, leni igne sub continua agitatione cum spathula lignea, ne empyreuma contrahat, inspissentur ad mellis spissioris (extracti) consistentiam. Extractum refrigeratum in olla murrhina vel porcellanea, charta cerata obducta, servetur.

Caveas, ne brodium fermentatione corrumpatur, qua re duobus, ad summum tribus diebus ad finem adducatur praeparatio, cuius modo mentionem fecimus.

Eadem ratione parantur et servantur:

* EXTRACTUM CARDUI BENEDICTI.

Cardobenedicten-Extract.

Ex herba.

EXTRACTUM CENTAURI MINORIS.

Tausendgüldenkraut-Extract.
Ex herba.

EXTRACTUM CHAMOMILLAE.

Chamillen-Extract.
E tota planta, floribus subfloridis.

EXTRACTUM FUMARIAE.

Erdrauch-Extract.
Ex herba.

‡ EXTRACTUM GRATIOLAE.

Gnadenkraut-Extract.
Ex herba.

EXTRACTUM LIQUIRITIAE.

Süßholz-Extract.
E radice, epidermide abrasa, minutim concisa; si forte succus Liquiritiae venalis, non purus prostaret.

EXTRACTUM MARRUBII.

Weiß-Andorn-Extract.
Ex herba subflorida.

* EXTRACTUM MILLEFOLII.

Schaafrippen-Extract.
Ex herba et summitatibus.

EXTRACTUM POLYGALAE AMARAE.

Bitter-Kreutzblumen-Extract.
Ex herba cum radice.

EXTRACTUM TANACETI.

Rainfarrn-Extract.
Ex herba et summitatibus.

* EXTRACTUM TARAXACI.

Löwenzahn-Extract.

E radice et herba recenti.

* EXTRACTUM TRIFOLII FIBRINI.

Bitterklee-Extract.

Ex herba.

---

* ☨ EXTRACTUM ACONITI.

Sturmhut-Extract.

Rp. Herbae Aconiti recentis, incipiente florescentia collectae, quantum libet.

Incisam contunde in mortario lapideo, addendo aquae communis quantum satis, tunc succum sub prelo ferreo exprime, et residuum denuo eadem ratione tracta. Succus colatus in catino stanneo vel murrhino, balneo aquae imposito, incalescat, faecula secreta innatans eximatur et seponatur. Fluidum remanens ad syrupi spissitudinem evaporet, tunc faeculam, antea accuratissime contritam, adde et extractum, vaporatione in balneo aquae continuata, assidue agitando cum pistillo ligneo, ad consistentiam massae pilularis mollioris redige. Extractum refrigeratum, in vase porcellaneo vel murrhino, charta cerata obducto, serva ut EFFICACISSIMUM REMEDIUM.

Extractum hoc recentissimum tantum prostet, quum illud, quod annum unum excesserit, nullam habeat vim.

Dosis. Granum unum vel duo, bis terve de die.

Pari ratione parantur et servantur:

* ☨ EXTRACTUM BELLADONNAE.

Tollkirschenkraut-Extract.

Ex herba recenti, incipiente florescentia collecta; ad extracti consistentiam vaporatum.

Dosis. Granum dimidium, unum, vel duo.

EXTRACTUM CALENDULAE.

Ringelblumen-Extract.

Ex herba recenti.

Dosis. Grana decem et ultra.

EXTRACTUM CHELIDONII.

Schöllkraut-Extract.

Ex herba recenti; ad consistentiam massae pilularis mollioris inspissatum.

Dosis. Grana decem, pluries die.

* ☨ EXTRACTUM CICUTAE.

Schierling-Extract.

Ex herba recenti; ad consistentiam massae pilularis mollioris redactum.

Dosis. Granum unum et ultra, pluries die.

☨ EXTRACTUM DIGITALIS PURPUREAE.

Rother Fingerhut-Extract.

Ex herba recenti; ad extracti spissitudinem evaporatum.

Dosis. Granum unum, semel bisve die.

* ☨ EXTRACTUM HYOSCIAMI.

Bilsenkraut-Extract.

Ex herba recenti, incipiente florescentia collecta; ad consistentiam massae pilularis mollioris vaporatum.

Dosis. Grana duo vel quatuor, pluries singulis diebus.

☨ EXTRACTUM LACTUCAE VIROSAE.

Giftlattig-Extract.

Ex herba recenti, incipiente florescentia collecta; ad extracti mollioris spissitudinem redactum.

☨ EXTRACTUM NICOTIANAE.

Tabaks-Extract.

Ex herba recenti; ad consistentiam massae pilularis evaporatum.

Dosis. Granum unum, duo, ter quaterve die.

EXTRACTUM NUCUM IUGLANDIUM.

Wallnuß-Extract.

E Nucibus immaturis; ad extracti spissitudinem vaporatum.

✝ EXTRACTUM PULSATILLAE NIGRICANTIS.

Braunschwärzliche-Küchenschelle-Extract.

Ex herba recenti; ad consistentiam massae pilularis mollioris inspissatum.

Dosis. Grana tria et ultra singulis diebus.

✝ EXTRACTUM RHOIS TOXICODENDRI.

Giftsumach-Extract.

Ex herba recenti Rhois Toxicodendri vel radicantis; ad consistentiam massae pilularis mollioris evaporatum.

Dosis. Granum dimidium, unum, et ultra de die.

✝ EXTRACTUM STRAMONII.

Stechapfel-Extract.

Ex herba recenti; ad consistentiam massae pilularis inspissatum.

Dosis. Granum unum, semel, bis, terve die.

---

* ✝ EXTRACTUM ALOES AQUOSUM.

Aloe-Extract.

Rp. Aloës succotrinae pulveratae Partem unam,
Aquae communis Partes duodecim.

Solve digerendo, liquorem, quiete decantatum et colatum, in catino murrhino, balneo aquae imposito, lege artis ad siccitatem evaporare fac et vitro obturato serva.

Pari modo paratur:

EXTRACTUM MYRRHAE.

Myrrhen-Extract.

EXTRACTUM CAMPECHENSIS LIGNI.

Campechenholz-Extract.

Rp. Ligni campechensis crasse pulverati Partem unam,
Aquae bullientis Partes octo.

Stent in dolio per horas duodecim, dein decoque in lebete cupreo, stanno obducto, ad dimidias partes et liquorem calentem cola ac sepone. Repetatur coctio in aqua communi eodem modo bis terve, deinde residuum exprimatur. Decocta mixta stent inperturbata, in vasis terreis vitreatis, usque dum subsederint, tunc colata, uti in praeparatione extracti Absinthii dictum est, ad consistentiam extracti evaporent. Extractum servetur in olla porcellanea vel murrhina, charta cerata tecta.

Eadem ratione parantur et servantur:

EXTRACTUM COLUMBO.

Columbo-Extract.

E radice minutim concisa; inspissatur ad siccitatem.

EXTRACTUM DULCAMARAE.

Bittersüß-Extract.

E stipitibus concisis.

* EXTRACTUM GENTIANAE.

Enzian-Extract.

E radice minutim incisa.

* EXTRACTUM GRAMINIS.

Quecken-Extract.

E radice recenti, minutim concisa.

EXTRACTUM HELENII.

Alant-Extract.
E radice.

EXTRACTUM QUASSIAE.

Quassien-Extract.
E ligno cum cortice.

EXTRACTUM RATANHIAE.

Ratanha-Extract.
E radice, si forte venale non purum prostaret.

EXTRACTUM SALICIS.

Weidenrinde-Extract.
E cortice.

EXTRACTUM SAPONARIAE.

Seifenkrautwurzel-Extract.
E radice recenti, minutim concisa.

EXTRACTUM SENEGAE.

Senega-Extract.
E radice.

☨ EXTRACTUM CATHOLICUM.

Extractum Rhei compositum Bor. Extractum panchymagogum. Purgir-Extract. Zusammengesetztes Rhabarber-Extract.

Rp. Extracti Rhei Partes tres,
Aloes aquosi Partem unam,
in Aquae communis pauculo solutas, adde
Saponis ialappini Partem unam,
in Spiritu Vini rectificato solutam.

Miscella in catino murrhino, balneo aquae imposito, evaporet inter agitandum ad massae pilularis consistentiam. Serva uti reliqua.

Extracti huius drachma dimidia continet, extracti Rhei grana duodeviginti, extracti Aloes grana sex, Saponis ialappini grana sex, vel resinae Ialappae grana tria.

EXTRACTUM CHINAE.

Extractum Corticis Peruviani fusci Bor. Belg. China-Extract. Peru- oder Fieberrinden-Extract.

Rp. Corticis Chinae fuscae crasse pulverati Libram unam,
Aquae fervidae Libras sex.

Ebulliant per horae quadrantem in catino cupreo, stanno obducto, tecto, liquorem adhuc calentem cola et sepone. Denuo coquendum est residuum, eadem aquae quantitate et decoctum colandum. Eadem agendi ratio tertio repeti potest, tum residuum exprimatur. Omnes hos liquores, ad dimidium evaporatos, per noctem defaecatos, ac per pannum transmissos, lentius ad syrupi consistentiam evaporare fac. Denique, ope balnei aquae, in extracti crassitudinem redige. Serva in olla porcellanea vel murrhina, charta cerata obducta.

Pari modo paratur:

EXTRACTUM CASCARILLAE.

Cascarillen-Extract.

E cortice.

EXTRACTUM CHINAE FRIGIDE PARATUM.

Extractum Corticis Peruviani fusci frigide paratum. Kalt bereitetes China-Extract.

Rp. Corticis Chinae fuscae pulverati Libras duas,
Aquae communis Libras duodecim.

Macerentur, subinde fortius agitatae, per horas quadraginta octo. Residuum expressum macera denuo eadem ratione in

Aquae communis Libris octo,

et tunc a fluido premendo separa. Liquores com-

mixtos residere fac et filtra, dein in catino stanneo, balneo aquae imposito, evaporent, ita ut restet libra una et semis; refrigeratum liquorem per chartam bibulam filtra, ac filtro eloto, fluidum in patina murrhina, ope balnei aquae, ad extracti consistentiam inspissetur. Serva ut supra dictum est.

✝ EXTRACTUM COLOCYNTHIDIS.

Coloquinten-Extract.

Rp. Pomorum Colocynthidis, a seminibus purgatorum, Libras duas.
Minutim concisis affunde
Spiritus Vini rectificati Libras tres,
Aquae communis Libras novem.

Digere in cucurbita, capitello clausa, per duodecim horas, dein exprime et a liquore colato Spiritum Vini leni destillatione elice. Residuum in patina murrhina, balneo aquae imposita, ad extracti consistentiam evaporare fac. Serva ut caetera extracta.

Eadem ratione parantur:

EXTRACTUM ANGELICAE.

Angelica-Extract.

E radice crasse pulverata.

✝ EXTRACTUM HELLEBORI NIGRI.

Schwarznieswurzel-Extract.

E radice crasse pulverata.

Dosis. Grana tria ad duodecim usque.

EXTRACTUM VALERIANAE.

Baldrian-Extract.

E radice crasse pulverata.

---

* EXTRACTUM MARTIS.

EXTRACTUM FERRI POMATUM BOR. EXTRACTUM MALATIS FERRI AUST. MALAS FERRI GALL. EXTRACTUM MARTIS CUM SUCCO POMORUM. Eisen-Extract. Aepfelsaures Eisen-Extract.

Rp. Pomorum acidulorum rasorum Libras sedecim,
Limaturae Martis purae Libram unam.

Mixta, stent in lebete e ferro fuso, loco tepido, per dies quatuordecim, subinde agitata. Tunc massam sub prelo exprime et residuum, cum Aqua communi mixtum, iterum prelo submitte. Liquores colati evaporent, igne leni in vase ferreo, sub perpetua agitatione usque ad extracti consistentiam. Serva ut reliqua.

⁜ EXTRACTUM NUCUM VOMICARUM.

Krähenaugen-Extract.

Rp. Nucis vomicae rasae, quantum placet,
Spiritus Vini rectificatissimi, quantum ad rasuram contegendam suppeditat.

Digerantur nuces in Spiritu, tam diu renovando, usque dum nullo amplius colore nulloque sapore inficiatur. Tunc mixtae tincturae omnes per chartam bibulam transmittantur, deinde destillent, ut quinta pars remaneat, quae in patina murrhina, balnei aquae imposita, ad massae pilularis consistentiam evaporet. Serva in olla murrhina vel porcellanea, charta cerata obducta, ut EFFICACISSIMUM REMEDIUM.

DOSIS. Granum dimidium vel unum ter singulis diebus.

⁜ EXTRACTUM OPII.

EXTRACTUM THEBAICUM. Opium-Extract.

Rp. Opii in taleolas secti Uncias quatuor,
Aquae destillatae Libram unam.

Quibus in ollam murrhinam immissis, Opium digestione tepida solvatur, saepius agitando. Liquo-

rem cola et residuum cum Aqua destillata ablue. Colatum liquidum residentia defaecatum et defusum, patina murrhina, balneo aquae imposita, ad electuarii crassitudinem evaporet. Massam remanentem in

Aquae destillatae frigidae Partibus tribus,

solve et fluidum per chartam bibulam, texturae minus densae, filtratum in patina dicta, balneo iterum imposita, in formam extracti sicci redige. Serva in olla porcellanea obturata et charta obducta, ut EFFICACISSIMUM REMEDIUM.

Dosis. Granum unum et alterum semel, bis terve singulis diebus.

* EXTRACTUM RHEI.

Extractum Rhabarbari. Rhabarber-Extract.

Rp. Radicis Rhei Chinensis concisae Libram unam,
Aquae fervidae Libras sex.

Macerentur per viginti quatuor horas, tunc infusum cola. Residuum denuo cum

Aquae fervidae Libris quatuor,

maceratum, paululum exprime. Infusa mixta residere et, per pannum iterum colata, ad siccum evaporare fac sub finem, more apud extractum Absinthii descripto. Serva vase probe obturato.

Extracta sint consistentiae dictae; saporis remedii adhibiti genuini, nec empyreumatici, nec mucidi. Cum aqua diluta, ferrum politum solutioni fervidae ingestum cupro ne obducatur.

FARINA HORDEI PRAEPARATA.

Amylum Hordei Bav. Hordeum praeparatum. Gersten-Kraftmehl.

Rp. Farinae Hordei, quantum tibi conveniat.

Sacculo linteo ita inclusam, ut inter eam et locum ligaturae spatium palmae intersit, ingere aheno cupreo, stanno obducto, in quo cum aqua communi, rite renovata, coquatur per duodecim

horas continuas. Farina, in placentam conglutinata, a crusta grisea mucilaginosa depurata, calore 30° vel 40° siccetur et, nova crusta brunnea subcornea ademta, partem remanentem farinosam in pulverem redige, vase clauso, loco sicco, servandum.

Sit pulvis farinosus, albus, vix luteo-subrubens; odoris panis recens cocti hordacei; saporis farinosi subdulcis, valde mucilaginosi; ceterum Amylo respondens.

* FEL TAURI INSPISSATUM.

Eingedickte Ochsengalle.

Rp. Fellis Tauri recentis, quantum libet.

Per telam, densiorae texturae, colatum, evaporet in patina murrhina, balneo aquae imposita, ad extracti consistentiam. Serva uti extracta.

Sit e viridi flavescens, tenax; odoris proprii animalis, neutiquam putridi; saporis primum dulciusculi, dein amari, nauseosi.

* FERRUM SALITUM.

Ferrum muriaticum oxydatum Hann. Murias Ferri Bat. Belg. Sesquichloruretum Ferri. Salzsaures Eisenoxyd. Eisenblumen.

Rp. Acidi Salis diluti, quantum libet.

Ingere cucurbitae vitreae et adde per vices
Limaturae Martis depuratae quantitatem sufficientem

ad Acidi saturationem. Liquor tunc in catinum ferreum effundatur et denuo cum Limatura Martis depurata per horam coquatur, ac dein filtretur. Filtratum evaporet donec gutta, marmori instillata, in massam crystallinam duram abeat. Tum catinum ab igne reponitur et lixivium tam diu agitatur, donec refrigeratum concrescat ac massam solidam praebeat, quae contrita retortae vitreae amplioris colli, ad tres quadrantes voluminis implendae, immittitur. Excipulo sine luto adposito, incalescat retorta in balneo arenae ad expellendum liquorem acidum.

Quo facto excipulum seponitur, ac igne aucto sublimatio instituitur, sublimatum collo retortae insidens, suo tempore, ope bacilli ferrei incurvi plani eximitur ac statim vasi obturando immittitur. Hac encheiresi perge, donec, horis duodeviginti vel viginti elapsis, non amplius sublimatum in collo retortae appareat et fundus balnei excandescat. Retortam obturaculo suberino claude, ac semirefrigeratum confringe, sublimatum densum exime, cum prius obtento, in mortario calefacto, contere, et statim in vitra parva ingere, quae, bene obturata, loco sicco servabis.

Squamulae tenues, vel massae radiatae, brunneo nigrae, micae ferri similes, splendoris metallici, atmosphaera liquescentes liquorem obscure brunneum, croceo colore, depingentem praebeant, qui cum reagentibus idoneis mixtus, Ferrum oxydatum prodat. Sint in Spiritu Vini rectificatissimo penitus solubiles.

* FLORES BENZOES.

Acidum benzoicum. Bor. Bat. Belg. Bav. Aust. Gall. Lond. Sal essentiale Benzoës. Benzoeblumen. Benzoesäure.

Rp. Pulveris Resinae Benzoës Uncias sedecim,
Pulveris crassi Carbonum vegetabilium praeparatorum Uncias octo,
Salis Sodae crystallisatae Uncias quatuor cum dimidia,
Aquae calidae Libras duodecim.

Mixta per viginti quatuor horas, modice calore, digerantur, interdum agitata, tum per horae quadrantem ebulliant. Resinam residere fac et lixivio defuso, contritam denuo in eodem lixivio per horam dimidiam decoque.

Lixivio refrigerato et per chartam bibulam filtrato, instilla

Acidum Vitrioli dilutum

tam diu quoad praecipitatum minute crystallinum

apparet. Crystallos filtro collectas et aqua frigida bene ablutas sicca, et in vitris obturatis serva.

Lixivium residuum evaporatione etiamnum crystallos edit.

Crystalla alba, diaphana, splendoris margaritarum, acicularia vel fasciolata, tenerrima, subflexilia; odoris benzoini; saporis dulciusculi, dein acidulo-acris, fauces pungentis. In aqua frigida aegre solubilia, penitus vero in partibus viginti quinque bullientis, et duabus Spiritus Vini absoluti. Igni opposita integre sublimantur, forma vaporis albi inflammabilis, sternutationem et tussim irritantis.

FLORES SALIS AMMONIACI MARTIALES.

Ammonium muriaticum martiatum Bor. Murias Ferro-ammoniacale Bat. Belg. Murias Ammoniae et oxidi Ferri Bav. Murias Ferri ammoniacalis Aust. Murias Ammoniae et Ferri Gall. Ferrum ammoniatum Lond. Eisenhaltige Salmiakblumen. Eisenhaltiges salzsaures Ammonium.

Rp. Ferri saliti Unciam dimidiam,
Salis Ammoniaci depurati Uncias septem.

Solve in
Aquae destillatae Libris duabus.

Lixivium filtratum, patinae porcellaneae infusum, ad extremum agitando cum spathula porcellanea, evaporet usque eo, ut siccum sit, et sal residuum in vitro obturato servetur.

Sit pulvis subcrystallinus, aurantiacus; odore debili, ad similitudinem Acidi Salis accedente; saporis ex acri austeri, non aciduli; aëris attactu humescens; calore diffugiat, pauculum oxydi Ferri relinquens; solvatur in tribus partibus aquae calore 14°, et una parte bullientis, nec, Spiritu Salis Ammoniaci caustico instillato, Acidum Salis superfluum vaporibus albis prodat.

* FLORES SULPHURIS DEPURATI.

Sulphur depuratum Bor. Bat. Belg. Aust. Bav. Sulphur sublimatum Gall. Lond. Schwefelblumen. Gereinigter Schwefel.

Flores Sulphuris venales, vasi ligneo ingesti, aqua fervida, identidem agitando, abluantur, donec omne acidum adhaerens ablutum sit, tunc, coli ope expressi, siccentur et cribrati, vase clauso, serventur.

Referant pulverem subtilem, coloris venalium pallidioris, inodorum; igne admoto sine residuo comburantur, ab Acido Vitrioli liberi sint, et Aqua destillata, cum illis mixta atque concussa, dein filtrata, nec Chartam exploratoriam coeruleam mutet, neque, affuso liquore Barytae aceticae, turbetur. Ceterum, uti Parte I. ad vocem Arsenicum dictum est, investigandi.

* ☨ FLORES ZINCI.

Zincum oxydatum Bor. Oxydum Zinci Bat. Belg. Bav. Aust. Gall. Lond. Deut-oxydum Zinci. Zinkblumen. Zinkoxyd.

Rp. Zinci Indiae orientalis, in frustula, semiunciam sive unciam aequantia, comminuti, quantum vis.

Fluat frustulum in crucibulo alto, cápaci et nonnihil in latus inclinato, donec flammam superficies concipiat, et Zincum in floccos albos fugaces convertatur; tum imponatur inversum crucibulum aliud, ut tamen aër atmosphaericus possit accedere. Flamma exstincta, superius crucibulum auferatur, ac separetur oxydum, cum vasis adhaerens, tum metallo fuso innatans; quo facto, flamma denuo prorumpente, iterum flocci formentur, ac separentur, ut ante, donec omne metallum hanc formam induxerit. Tum haec ratio repetatur cum alio frustulo, donec omnis Zinci copia calcinata sit.

Zincum calcinatum, super patinam figulinam, vitro non obductam, refrigeratum, cum aqua frigida laevigetur, ut pars levissima separetur omnis, quam per cribrum e pilis cretam, ad colum linteum collige, calore 30° — 40° celeriter exsicca, et in pulverem subtilissimum redactum, in vitris obturatis serva.

Sit pulvis albus, levissimus, inodorus, insipidus, in aqua insolubilis. Excandefactus flavescat, denuo refrigeratus, rursus albescat, attamen retenta inde aliqua flavedine. In Acido Vitrioli sine effervescentia plane solvatur, ex qua solutione Spiritus Salis Ammoniaci causticus primum pulverem album praecipitat, ultra saturationem vero affusus, hoc sedimentum sensim totum resolvat, solutione limpida, decolore. Inquinatio cum Kadmio oxydato declaratur, si solutio Zinci sulphurica acidula cum Gas hydrosulphurato, uti apud Vitriolum album purum dictum est, tractata, praecipitatum citrinum exhibet, quod excandefactum non sublimetur, sed, quum refrigeratum sit, fusum ac flavum appareat.

FOMENTATIO FRIGIDA SCHMUCKERI.

Schmuckers kalte Fomentation.

Rp. Pulveris Salis Ammoniaci,
Nitri, singulorum Partem unam.

Solve in
Aceti crudi Partibus quatuor,
Aquae communis Partibus quadraginta et octo.
Misce et para ex tempore.

GAS OXYGENIUM.

AËR DEPHLOGISTICATUS. AËR PURUS. AËR VITALIS.
Oxygengas. Sauerstoffgas.

Rp. Magnesiae nigrae pulveratae, quantum [illegible]
Immitte retortae terreae, vel vitreae, bene lori[illegible]tae, agglutina tubum in fine supinatum, eiusque os insere infundibulo, cupae pneumaticae aqua repletae adaptato, super quod lagena, Aquae Calcis plena, inversa posita est. Pedetentim excandescere fac retortam ad ruborem usque. Iam primo calore bullae aëreae ascendent, eapropter negligendae, quod nihil nisi aërem atmosphaericum vel fixum continent. Ut primum vero bullae hae densiores emergunt, et ramentum ligneum ardescens, bullis admotum, repente lucidam flammam edit, colligendum est Gas in lagenis vitreis, Aqua Calcis repletis, uti dictum. Lagenae, praeterquam quod pauxillum Aquae

Calcis restet, hoc Gas repletae, sub aqua cum obturaculo subereo obturantur; postea insuper pice muniuntur et loco frigido, collo earum perversum locato, servantur.

GELATINA LICHENIS ISLANDICI.

Isländischmoos-Gallerte.

Rp. Lichenis Islandici incisi Uncias tres.
Infunde per aliquot minutarum spatium
Aquae communis fervidae sufficientem quantitatem.
Qua defusa, Lichenem coque in
Aquae communis Libris tribus,
usque eo ut post decolationem decem unciae supersint, quae leni igne evaporent ad uncias sex. Para ex tempore.

GLANDES TOSTAE.

Nuces Quernae tostae Bav. Geröstete Eicheln.

Rp. Glandium quantum vis.

Decorticatae, quadrifariam dissectae et in cribro leni fornacis calore siccatae, in vase ferreo, semper agitando, torreantur, donec brunneae et fragiles sint. P, trigeratas serva in vasis murrhinis vel vitreis, probè occlausis.

Lucht odoris sub-empyreumatici, fabae Arabicae tostae proximi; saporis paris dulciusculi, vix styptici.

GLOBULI MARTIALES.

Globuli Tartari martiati Bor. Tartras Potassae et oxidi Ferri Bav. Globuli Tartratis Ferri et lixivae Aust. Tartras Potassae et Ferri solidus Gall. Stahlkugeln. Weinsteinsaure Eisenkugeln.

Rp. Pulveris Limaturae Martis depuratae Uncias quatuor,
Tartari crudi Uncias sedecim.

Mixta in vase fictili, vitreato, irrigentur aqua, ut fiat massa pulti similis, quam in aquae balneo digestam et evaporatam iterum humecta et

digere, idque toties repete, donec massa resinosa quasi appareat; tunc formentur globuli ponderis unciae unius. Charta obducti in vasis clausis, loco sicco, servantur.

Sint omnino nigri, nitentes, fracturae cereo-splendentis, aequalis; saporis dulciusculi, styptico-ferrei; aëri humido expositi, aquam attrahunt. In partibus octo decemve aquae bullientis, mixturam nigrescentem praebeant, pauculo ferri insoluto, ac faecibus residuis.

HEPAR ANTIMONII.

Vide Pag. 221.

* HEPAR SULPHURIS ALKALINUM.

Kali sulphuratum Bor. Sulphuretum Potassae Bat. Belg. Bav. Gall. Sulphuretum lixivae Aust. Potassae sulphuretum Lond. Kalium sulphuratum. Alkalische Schwefelleber. Schwefel-Kali.

Rp. Florum Sulphuris Libras duas,
Pulveris Cinerum clavellatorum Libras quatuor.

Misceantur ac in catino ferreo fuso, operculo ferreo tecto, igne modico in pultem liquati, agitentur cum pistillo ferreo per vices, catino rursus tegendo, usque ad eum finem, dum pars exemta in aqua destillata paene solvitur. Tunc catinum operculo tectum ab igne remove, et massam semirefrigeratam, tenacem mortario ferreo immitte, in quo, refrigeratione ulteriore indurata, minutim contunditur, ac per cribrum creta in lagenas vitreas obturatas statim reconditur.

Ad usum internum eadem ratione, e floribus Sulphuris et Sale Tartari paratur.

Recens sit obscure hepaticum, aëris attactu mox virescat, fracturae conchoideo-resinosae, sicco statu vix odorum; saporis primum dulciusculi sulphurati, postea alkalini acris, nauseosi, postremo amari; aëri expositum, liquatur ac decomponitur. Igne facile fundendum, sub rutila excandescentia decomponitur. Solvatur in pondere prope aequali aquae, calore 14°.

HEPAR SULPHURIS CALCAREUM.

Calcaria sulphurata Bor. Sulphuretum Calcis Bat. Belg. Aust. Gall. Sulphuretum Calcariae Bav. Calcium sulphuratum. Kalk-Schwefelleber. Schwefel-Kalk.

Rp. Pulveris Concharum ustarum Libram unam,
Florum Sulphuris Uncias decem.

Mixta ingere in crucibulum Hassiacum, firmiter adige et tege pulvere Concharum ustarum ad pollicis altitudinem, dein crucibulum operculo tege. Tum igne, quo crucibulum rubescat, fortius calcinentur per horae quadrantem. Post refrigerium stratum pulveris Concharum caute tolle et subiacens Hepar Sulphuris calcareum vase vitreo, probe claudendo, loco umbrato serva.

Sit pulverulentum, flaviusculo-album, siccum, madefactum odoris aëris hepatici; saporis similis, subcaustici. Aëris attactu mox decomponitur. In aqua bulliente difficnlter et solum ex parte solvatur, solutione flavescente; odoris et saporis dicti. Additis acidis effervescat, et Aërem hepaticum (Gas hydrosulphuratum) copiose emittat, neutiquam vero sulphurosum vel carbonicum.

INFUSA.

Aufgüsse.

Si infusum quoddam simplex poscitur, substantiae vegetabilis necessariae concisae vel crasse pulveratae drachma una infundatur, vasi murrhino vel stanneo, pari operculo tecto, et digeratur, calore 30° vel 40°, una cum aquae bullientis quantitate sufficiente, per horae dimidiae spatium, saepius agitando, ita ut post colaturam uncia una supersit. Colatur vero exprimendo per linteum telae densioris. Parantur ex tempore.

* ☨ KALI FERREO-BORUSSICUM.

Borussias Potassae et oxiduli Ferri Bav. Prussias Potassae et Ferri Belg. Kali borussicum. Kali

SIDERO – ZOOTICUM. KALI FERRO – CYANICUM. HYDRO–CYANAS POTASSAE FERRUGINOSUS. FERRO–CYANAS POTASSAE. PRUSSIAS LIXIVAE ET FERRI AUST. Blausaures Eisenkali.

Rp. Lapidis caustici, quantum vis.
Solve in
Aquae destillatae fervidae Partibus decem.
Liquori filtrato calido per vices adde
Coeruleum Berolinense optimum
(praevia digestione cum Acidi Vitrioli diluti partibus septem et subsequente ablutione cum aqua destillata depuratum)
donec colorem non amplius mutet. Liquorem leviter alkalinum cola, illique adde
Acidi Aceti, quantum sufficit
ad perfectam saturitatem.

Tum leni evaporatione concentratum refrigerio in crystallos, citrini coloris, coge. Crystallos, in charta bibula siccatas, denuo in aqua destillata solve et nova crystallisatione depuratas in vitro, probe clauso, serva.

Referat prismata tetragona, quadrifariam acuminata, aut tabulas quatuor laterum, marginibus oblique truncatis, citrina, diaphana, aëris attactu parum fatiscentia; saporis amariusculi salini, sub-styptici. Solvatur calore 14° in quatuor partibus aquae et duabus bullientis, solutione citrina, quodammodo Acidi Borussici odorem et saporem referente. In Spiritu Vini rectificatissimo non solvitur. Oxydulum Ferri solutum colore albido, oxydum vero coeruleo-obscuro praecipitat. Aqua solutum et refrigeratum, addito Acido Vitrioli diluto, nec Coeruleum Berolinense demittat, nec, instillato liquore Terrae ponderosae salitae, turbetur.

USUS. Solummodo pharmaceuticus.

☨ KALI HYDROIODINICUM.

HYDROIODAS POTASSAE. KALIUM IODATUM. Jodinwasserstoff-Kali.

Rp. Iodinae purae Uncias duas,
Aquae destillatae Uncias octo.

Patinae porcellaneae, seu cucurbitae vitreae, immissis, adde

Limaturae Martis depuratae ac recens paratae Unciam unam.

Reactione peracta, incalescat vas et agitetur liquidum, donec nullo colore tinctum ac limpidum appareat, tunc filtretur et residuum cum aqua destillata abluatur. Liquoribus cum

Aquae destillatae Unciis triginta

mixtis, leniter, caute paulatimque addatur

Liquoris Cinerum clavellatorum depuratorum, quantum ad Ferri oxydati praecipitationem, opus est

Praecipitatione peracta liquor accurate neutralisatus filtretur, ac residuum, cum aqua destillata elotum, exprimatur. Liquores clari vaporent dein calore lento, donec in massam crystallinam subliquidam abeant. Refrigeret vas, et liquor restans a crystallis defundatur. Lixivium denuo evaporatum alias crystallos edit, quae, si adhuc coloratae evadunt, nova crystallisatione depurentur et cum prioribus leni calore siccentur. Serva in vitro cum obturaculo vitreo munito et colore nigro obducto.

Refert crystalla alba, minima, cubica, rarius prismatico-tetragona, diaphana; saporis primum salsi, dein amari, sub-metallici, longe persistentis; atmosphaera humida deliquescant; pars una in tribus quadrantibus aquae destillatae prorsus solvatur, ac frigus efficiat. Spiritus Vini rectificatissimi partes quinque cum dimidia, unam Kali hydroiodinici solvant, unde adulteratio cum Sale digestivo et communi detegenda. Solutio aquosa, additione Acidi Salis dephlogisticati, aurea reddatur et dein, cum Amylo mixta, obscure-violacea; a liquore Mercurii sublimati corrosivi punicea fiat, et ab illo Mercurii nitrici oxydulati luteo-viridescens.

Dosis. Detur solutum, uti Tinctura Iodinae.

☨ NATRUM HYDROIODINICUM.

Hydroiodas Sodae. Sodium iodatum. Jodinwasserstoff-Natrum.

Praeparetur methodo antecedente, sed cum Sale Sodae depurato, Aqua soluto, loco liquoris Cinerum clavellatorum.

Crystallis maioribus, prismaticis rhomboëdeis, planis vel compressis, decoloribus, claris, a Kali hydroiodinico diversum; in aqua destillata et Spiritu Vini rectificatissimo solubilius. Reliquis vero signis aeque se habeat, ac Kali hydroiodinicum.

✝ KERMES MINERALE.

Sulphur stibiatum rubeum Bor. Hydrosulphuretum oxyduli Stibii Bat. Bav. Hydrosulphuretum Stibii Belg. Oxydulum Stibii hydrosulphuratum rubrum Aust. Hydrosulphuretum rubrum Stibii sulphurati Gall. Mineralkermes. Schwefelwasserstoff-Spiesglanzoxydul.

Rp. Antimonii crudi Libram unam,
Cinerum clavellatorum depuratorum Libram unam et dimidiam,
Florum Sulphuris Uncias tres.

In pulverem redacta et probe commixta funde in crucibulo Hassiaco tecto, igne moderato, et materiam liquefactam, in mortarium ferreum effusam, protinus in pulverem tere ac in

Aquae communis Libras duodecim,

catino ferreo ebullientis, immitte; coque per quadrantem horae, continue spathula agitans; parum iam quiescat liquor et fervidissimus per linteum, charta tenui bibula obtectum, coletur. Refrigerato liquore, qui ad fundum subsidit, pulverem rubicundum ope filtri chartacei separa. Materiem, a prima operatione residuam, cum liquido filtrato, restituta, quae inter coquendum exhalavit, aqua, denuo eadem ratione coque, et hanc agendi rationem tam diu repete, quamdiu pulverem talem rubicundum insigni copia refrigeratus liquor demittat. Praecipitata iam omnia probe mixta, aquae frigidae repetita affusione ablue, et lenissimo calore sicca. Serva in vitris bene clausis, ac contra lucem munitis.

Pulvis vix palpabilis, badius, aspectu holoserico; odoris nullius; saporis subsulphurei, levis; aëris ac lucis accessu partim decomponendus et tunc pallescens. In tubo vitreo excandefactum Kermes aquam, neutiquam sublimatum, edat ac in Antimonium crudum mutetur. Prunis iniectum non inflammetur, vixque Sulphur redoleat. In liquore Hepatis Sulphuris praeponderante, coctione plane solubile, itidem in Acido Salis, simul Aërem hepaticum evolvens. Cum Spiritu Salis Ammoniaci caustico abundante digestum, non mutetur. Incorrupta Kermis mineralis integritas, quatenus Arsenico depravari potest, uti apud Antimonium crudum investiganda est.

Dosis. Granum unum usque quatuor.

LAC SULPHURIS.

Sulphur praecipitatum Bor. Bat. Belg. Aust. Bav. Gall. Lond. Hydratum Sulphuris Hann. Magisterium Sulphuris. Schwefelmilch. Niedergeschlagener Schwefel.

Rp. Lixivii caustici, quantum libet.

Bullienti in catino ferreo mundo, per vices, et perpetua sub agitatione ingere

Florum Sulphuris, quantum solvere valet.

Liquor, pondere aquae bullientis, id lixivii caustici ter excedente, mixtus, stet per viginti quatuor horas vase tecto. Hoc tempore elapso filtretur per chartam bibulam, et filtrato pedetentim instilletur inter agitandum

Olei Vitrioli Nordhusani, cum octo partibus Aquae diluti, clari quantum ad praecipitandum requiritur. At caveas Aërem hepaticum suffocantem inde nascentem. Tunc adde

Aquae tepidae copiam.

Praecipitatum residere fac, et liquorem supernatantem defunde. Sedimentum per vices cum Aqua communi eluatur, usque eo, ut partes salinae perfecte elicitae sint, ac per linteum album, telae densioris, madefactum, secundum artem ab aqua separatum, calore modico siccetur, et inde contritum, vase clauso, servetur.

Pulvis flavente-albidus, vix et sine crepitu palpabilis, Sulphur vix redolens resipiensve. Vase clauso aestuatum Aquam et Sulphur sublimatum edat, residuo nullo, in Lixivio caustico penitus solubile.

LAPIDES CANCRORUM PRAEPARATI.

Sub-Carbonas Calcariae animalis Bav. Zubereitete Krebsaugen.

Lapides Cancrorum coctione mundati, siccati, et in pulverem redacti, super lapidem marmoreum lege artis terantur ac laevigantur, et celeriter in balneo aquae siccati, vitris probe obturatis serventur.

Sit pulvis subtilissimus, albus, inodorus, insipidus; Acido Salis affuso, fere totus sub effervescentia solubilis.

* ☨ LAPIS CAUSTICUS.

Kali causticum siccum Bor. Potassa fusa Bat. Belg. Lond. Lixiva pura Aust. Hydras Potassae purae fusus Bav. Potassa ope Calcis parata et igne fusa Gall. Deut-oxidum Potassii. Cauterium potentiale. Aetzstein. Aetzkali.

Rp. Lixivii caustici vegetabilis limpidi, quantum vis. In catino ferreo mundo evaporet, dum olei instar fluat et guttula, lapidi frigido instillata, mox concrescat, tum effunde in mortarium ferreum et frustula diffracta statim in vitro probe obturato serva.

In cylindrorum forma paratur, si frustula in crucibulo ferreo liquantur et in modulum ferreum canaliculatum calefactum, pauxillo sevi illitum, effundantur. Cylindri calidi vitro obturando sine mora immittantur.

Massa salina cinerascens, opaca, dura, sicca, fracturae terreae; ponderis specifici 1,706; ita caustica, ut humefacta corpora animalia molliora corrodat ac solvat. Atmosphaerae humidae attactu deliquescat. In Spiritus Vini rectificatissimi parte una cum quadrante, et in dimidia circiter aquae destillatae, simul aestum movens, solubilis, pauculoque ferri oxydati residente. Solutio Acido Salis neutralisata vix tur-

betur, et evaporatione concentrata, affuso liquore Platini muriatici, praecipitatum luteum deponat.

Usus. Externus.

✠ LAPIS DIVINUS.

Cuprum aluminatum Bor. Sulphas Cupri aluminosus Bav. Lapis ophthalmicus. Augenstein. Alaunhaltiges schwefelsaures Kupfer.

Rp. Vitrioli coerulei,
Nitri depurati,
Aluminis crudi, singulorum Uncias quatuor.

Pulverata misceantur, deinde liquefiant, leni igne, in crucibulo Hassiaco; parum refrigeratis admisce
Camphorae tritae Drachmas duas.

Massam super porphyritem effusam, refrigeratam serva vitro clauso.

Sit albo-coerulescens; odoris camphorati insignis; saporis styptici metallici, aciduli, nauseosi.

Usus. Externus.

* ✠ LAPIS INFERNALIS.

Argentum nitricum fusum Bor. Nitras Argenti fusum Bat. Belg. Bav. Aust. Gall. Argenti nitras Lond. Causticum lunare. Höllenstein. Geschmolzenes salpetersaures Silber.

Perficitur, si liquor Argenti nitrici, ex praescripto supra memorato paratus, loco crystallisationis, ad siccum evaporet et massa salina in olla porcellanea, vel crucibulo argenteo, in crucibulum Hassiacum, arena repletum, reposito, caute funditur, donec, cessante ebullitione, massa cerae instar fluat. Tum eam cito in modulum ferreum vel cupreum canaliculatum, sevo illitum, effunde, ac cylindros inde ortos, simulac refrigerati sunt, in vitro probe obturato serva.

Cylindri albi, lucis accessu grysei, solidi, fragiles, intus albidiores, texturae stellato-radiatae; ceterum chemice aeque se habeant, ac Argentum nitricum crystallisatum.

Dosis. Interne grani sexta pars, usque ad granum dimidium semel, ter, quaterve singulo die.

⁑ LAUDANUM LIQUIDUM SYDENHAMI.

Tinctura Opii crocata Bor. Vinum Opii aromaticum Bat. Belg. Bav. Vinum de Opio compositum Gall. Sydenhams flüssiges Laudanum. Safranhaltige Mohnsafttinctur.

Rp. Opii puri, exsiccati ac comminuti, Uncias duas,
Croci concisi Drachmas sex,
Corticis Cassiae cinnamomeae contusi,
Caryophyllorum aromaticorum contusorum, singulorum Drachmam unam.
Vini Hispanici Uncias duodecim.

Digere leni calore in vitro, vesica madefacta, acu perforata, clauso, saepius agitando, per triduum, vel tam diu, quam ad solutionem Opii necesse est, tum exprime, et liquorem, quum subsederit, filtra. Laudanum filtratum, pondere uncias decem aequans, serva vitro probe obturato et tectura munito.

Laudani huius uncia una continet Opii circiter drachmam unam et grana triginta sex; drachma illius una, grana huius duodecim; octo guttulis inerit Opii circiter granum unam.

Sit e rubro obscure brunneum, ad marginem vitri fulvum, paulum crassum; odoris opiati praedominantis, Crocum simul prodentis; saporis aromatico-amari, nauseosi.

Dosin Opium indicat.

* LIMATURA MARTIS DEPURATA.

Ferrum pulveratum Bor. Bat. Belg. Pulvis Ferri alcoholisatus Bav. Limatura Ferri puri Aust. Gereinigte Eisenfeilspäne. Eisen-Pulver.

Rp. Limaturae Ferri puri, quantum libet.

Contundatur in mortario ferreo. Quo facto, pulvis subtilissimus inde ortus, per linteum arctioris texturae cernendus, ac vitro obturato servandus est.

Limatura Martis alcoholisata, quae in fabricis Stiriae paratur, bonae notae est, eamque adhibere Pharmacopoeis licet, si investigatione chemica pura reperiatur.

Sit subtilissima, non rubigine conglomerata; coloris ferri limati, metallici splendoris; ceterum chemice ut Ferrum purum se habeat.

LIMATURA STANNI PURI.

Stannum limatum Bat. Aust. Stannum raspatum Bav. Reine Zinnfeilspäne.

Lima Stannum Anglicum purum et serva scobem, per cribrum, e filis metallicis textum, cretam.

Exhibeat pulverem crassum, uncinum; coloris Stanni, metallici splendoris; ceterum chemice ut Stannum purum se habentem.

LINIMENTUM VOLATILE.

Linimentum ammoniatum Bor. Sapo Ammoniae Bat. Belg. Aust. Sapo Ammoniae oleaceus Bav. Sapo ammoniacalis Gall. Linimentum Ammoniae Lond. Flüchtige Salbe. Ammonium-Liniment.

Rp. Olei Olivarum Partes tres,
Spiritus Salis Ammoniaci caustici Partem unam.

In vitro, exacte agitando, misce ex tempore.

LINIMENTUM VOLATILE CAMPHORATUM.

Linimentum ammoniatum cum Camphora Hann. Flüchtige Camphorsalbe. Ammonium-Liniment mit Camphor.

Rp. Olei camphorati,
Olei Olivarum,
Spiritus Salis Ammoniaci caustici, singulorum Partes aequales.

Misceatur, ex tempore, in vitro exacte agitando.

LIQUAMEN MYRRHAE.

Liquor Myrrhae Bor. Oleum Myrrhae. Myrrhenflüssigkeit.

Rp. Extracti Myrrhae Partes tres.
Solve in
Aquae destillatae fervidae Partibus octo.
Tum solutum cola. Paratur ex tempore.

LIQUOR AMMONII ACETICI.

Vide SPIRITUM MINDERERI.

* LIQUOR ANODYNUS MINERALIS HOFFMANNI.

Spiritus sulphurico-aethereus Bor. Aether sulphuricus alcoholicus Bat. Belg. Bav. Gall. Spiritus Aetheris sulphurici Aust. Lond. Spiritus Vitrioli dulcis. Hoffmanns schmerzstillender mineralischer Liquor. Schwefeläthergeist.

Rp. Spiritus Vini rectificatissimi Libras quatuor.
Sensim et per vices affunde
Olei Vitrioli Nordhusani Libram unam.

Mixturam immitte in retortam vitream tubulatam; adaptato excipulo amplo, iuncturisque cum luto farinaceo ac vesicis clausis, fiat destillatio, ex arenae balneo, leni calore, donec nullae amplius striae aethereae in collo retortae appareant.

Residuo semirefrigerato affunde per tubulum
Spiritus Vini rectificatissimi Libras tres.

Fiat destillatio uti antea, quae agendi ratio, cum minori Spiritus Vini quantitate, repeti potest.

Liquores obtentos cum Cinerum clavellatorum depuratorum quantitate sufficiente quassando commixtos, et inde ab Acido sulphuroso et Aqua liberatos, a residuo salino liquido in retortam defunde, ac secundum artem, lento igne, rectifica. Serva in vitro, obturaculo vitreo munito et vesica tecto, loco frigido.

Sit hyalinus; ponderis specifici 0,8212 = 37° Ar. Bk. Aq. lev.; odoris aetherei penetrantis, spirituosi, nec Acidum sulphurosum, neque Oleum Vini redoleat; saporis similis; colorem Chartae exploratoriae coeruleae ne permutet.

LIQUOR ANODINUS MARTIALIS.

Spiritus sulphurico-aethereus martiatus Bor. Alcohol sulphurico-aethereus Ferri Bat. Belg. Aether sulphurico-alcoholicus oxidulato-ferrarius Bav. Spiritus Aetheris ferratus Aust. Tinctura aetherea alcoolica de Muriate Ferri Gall. Tinctura tonico-nervina Bestuscheffii. Schmerzstillender Eisenliquor. Eisenhaltiger Schwefeläthergeist.

Rp. Ferri saliti, in parte minima Aquae soluti,
Partem unam.
Misce quassando cum
Naphthae Vitrioli Partibus duabus.

Naphtham, ita soluto Ferro salito praegnantem, separa et illi adde

Spiritus Vini absoluti Partes duas,

ratione habita ponderis Naphthae praegnantis separatae. Qui liquor commixtus in vasis vitreis oblongis parvis, obturamentis vitreis munitis, radiis solis tam diu exponatur, donec color omnis evanuerit; tunc vasa, vesica tecta, loco frigido umbrato serva.

Sit vix subflavescens, veteratus autem vel in umbra, obturamento a vitro ablato, colorem aureum denuo recipiens, clarus; odoris Liquoris anodini mineralis Hoffm.; saporis styptici, ferrei. Liquor decoloratus affuso Lixivio caustico, praecipitatum coeruleo-virens demittat, et a Tinctura Gallarum e nigro coerulescat, etsi clarus sit, liquor coloris aurei vero, addito Lixivio caustico, praecipitatum rutilo-flavum deponat, cum Tinctura Gallarum mixtus nigrescat, instillatoque liquore Kali ferreo-borussici Coeruleum Berolinense edat.

LIQUOR ANTIMIASMATICUS.

Murias Ammoniae et Cupri liquidus Bav. Tinctura Salis Ammoniaci cupriferi Sax. Liquor Cupri ammoniato-muriatici. Kupfersalmiak-Liquor.

Rp. Vitrioli coerulei depurati, quantum libet.
Solve in
Aquae destillatae quantitate sufficiente.

Solutioni instilla

Liquorem Cinerum clavellatorum depuratorum,

donec nihil sedimenti coeruleo-virentis floccosi ultra praecipitetur.

Huius praecipitati, abluti, et leni calore siccati Grana triginta quinque

solve in

Acidi Salis sufficiente quantitate.

Tunc adde

Pulveris Salis Ammoniaci depurati Unciam unam,

Aquae destillatae, quantum satis,

ut fiant liquoris Unciae quinque, quas in vitro, obturamento vitreo clauso, serva.

Quaelibet drachma continet Cupri granum unum, et Alkali volatilis grana duodecim.

Lucide smaragdinus, et clarus sit; affuso liquore Kali ferreo-borussici praecipitatum rutile brunneum edat.

Dosis. Guttae sex vel viginti singulis diebus.

Si Liquoris antimiasmatici pars una cum Aquae destillatae partibus octoginta diluitur, habes:

LIQUOREM ANTIMIASMATICUM BEISSERI.

Aquam antimiasmaticam Köchlini. Beißers Kupfersalmiak-Liquor. Köchlins Kupfersalmiak-Wasser.

Dosis. Cochlear unum bis terve de die.

LIQUOR CALCIS OXYMURIATICAE.

Liquor Calcariae chloratae. Subchloruretum Calcis liquidum. Oxydirtsalzsaure Kalk-Flüssigkeit. Chlor-Kalk-Flüssigkeit.

Rp. Calcis oxymuriaticae Partem unam.

In mortario lapideo contritae adde sensim ac perpetuo agitando cum pistillo

Aquae destillatae Partes sex circiter, vel quantum opus erit.

Quibus bene mixtis, resideat fluidum et filtretur per

chartam bibulam. Serva in vitris pluribus, obturaculis vitreis munitis, vesica tectis, et charta nigra velatis, loco obscuro frigido.

Sit limpidus, decolor; odoris et saporis Calcis oxymuriaticae; facultate colores organicos destruendi praeditus; ponderis specifici 1,0429 = 7° Ar. Bk. Aq. gr.

LIQUOR CINERUM CLAVELLATORUM DEPURATORUM.

Liquor Kali carbonici Bor. Subcarbonas potassae liquidus Bav. Carbonas lixivae alcalinus solutus Aust. Liquor Kali subcarbonici Hann. Liquor Potassae subcarbonatis Lond. loco Olei Tartari per deliquium. et Liquaminis Salis Tartari. Gereinigte Potaschenflüssigkeit. Kohlensäuerliche Kaliflüssigkeit.

Rp. Cinerum clavellatorum depuratorum Partem unam.

Solve in

Aquae destillatae Partibus duabus.

Solutionem per chartam bibulam filtra ac in vitro probe obturato serva.

Sit limpidus, attactu oleo pingui similis; ponderis specifici 1,300 = 40° Ar. Bk. Aq. gr.; quod attinet ad signa chemica, Cineribus clavellatis depuratis solutis similis.

* LIQUOR CORNU CERVI SUCCINATUS.

Liquor Ammonii succinici Bor. Succinas Ammoniae Bat. Succinas Ammoniae pyro-animale liquidum Belg. Succinas Ammoniae liquidus Bav. Succinas Ammoniae pyro-oleosus solutus Aust. Spiritus Cornu Cervi succinatus. Bernsteinsaurer Hirschhorngeist. Bernsteinsaure Ammonium-Flüssigkeit.

Rp. Salis Succini volatilis Unciam unam.

Solve in

Aquae destillatae Unciis octo.

Solutioni, ad 36° vel 40° calefactae, adde

Salis Cornu Cervi volatilis, quantum requiritur ad perfectum saturationis gradum. Filtra, ac serva vitro probe obturato.

Liquor flavescens, ponderis specifici 1,0494, = 8° Ar. Bk. Aq. gr.; odoris Olei animalis et Succini; saporis salsi, pungentis, empyreumatici; colorem Chartae exploratoriae luteae in brunneum ne vertat; leni calore evaporatus, massam salinam relinquat, quae fortius exaestuata penitus diffugiat. Admixtis tribus partibus Spiritus Vini rectificatissimi clarus permaneat et sine sedimento; addito liquore Ferri saliti, praecipitatum brunneum producat, et album, in Aceto concentrato penitus resolubile, si cum liquore Sacchari Saturni misceatur.

† LIQUOR MERCURII NITROSI FRIGORE PARATUS.

Liquor Hydrargyri nitrici oxydulati Hann. Nitras Oxiduli Hydrargyri liquidus Bav. Proto-Nitras Hydrargyri solutus. Kalt bereitete salpetersaure Quecksilber-Flüssigkeit. Salpetersaure Quecksilberoxydul-Flüssigkeit.

Rp. Mercurii vivi depurati,
Acidi Nitri,
Aquae destillatae, singulorum Unciam unam.

Vas vitreum, cui Mercurius Acido, Aqua diluto, infusum est, immittitur aquae frigidae, et sic per octo vel quatuordecim dies loco frigido seponitur, donec neque bullae aëreae emergentes, neque diminutio Mercurii observantur. Vas interea ita clausum sit, ut Gas quidem effugere possit, aëri atmosphaerico vero liber aditus non pateat. Servetur super paululo Mercurii vivi, in vitro probe clauso, contra lucis accessum munito. Si forte secernatur Sal flavescens, succurendum est additione pauxilli Acidi Nitri.

Differt a Liquore Mercurii nitrosi calore parato. Liquore Hydrargyri nitrici oxydati Hann. seu Nitrate Hydrargyri liquido Belg. Deuto-Nitrate Hydrargyri soluto. Salpetersaure Quecksilberoxyd-Flüssigkeit.

Sit limpidus; saporis caustici metallici nauseosi; a liquore Salis communis integre praecipitetur, ita ut liquidum residuum neque Alkalibus neque Aëre hepatico turbetur.

Dosis. Guttulae duae, sensim tres quatuorve, aqua destillata dilutae, bis singulis diebus.

LIQUOR SODAE OXYMURIATICAE.

Liquor Natri chlorici. Subchloruretum Sodae liquidum. Oxydirtsalzsaure Soda-Flüssigkeit. Chlor-Soda-Flüssigkeit.

Conduc Acidum Salis dephlogisticatum, uti Pag. descriptum legis, in solutionem Salis Sodae depuratae, ex parte una Salis Sodae depuratae et tribus partibus Aquae destillatae, dum saturata sit. Liquor obtentus diluitur sufficiente quantitate Aquae destillatae, ut sit ponderis specifici 1,0429 = 7° Ar. Bk. Aq. gr. Serva in vitris pluribus, capacitatis unciarum circiter quatuor, obturaculis vitreis munitis, vesica tectis et charta nigra velatis, loco obscuro frigido.

Sit limpidus, decolor; odoris et saporis oxymuriatici; ponderis specifici dicti.

LIQUOR TERRAE FOLIATAE TARTARI.

Liquor Kali acetici Bor. Acetis Potassae liquida Bat. Acetas Potassae liquid. Bav. Belg. Acetas lixivae solutus Aust. Weinstein-Blättererde-Flüssigkeit. Essigsaure Kali-Flüssigkeit.

Rp. Terrae foliatae Tartari Partem unam.
Solve in
Aquae destillatae Partibus duabus.
Filtra ac para ex tempore.

LIXIVIUM CAUSTICUM VEGETABILE.

Liquor Kali caustici Bor. Potassa liquida Bat. Belg. Gall. Potassa pura liquida Bav. Lixiva pura liquida Aust. Liquor Potassae Lond. (Lixivium saponariorum). Potasch-Aetzlauge. Aetzkali-Flüssigkeit.

Rp. Cinerum clavellatorum depuratorum Libras duas,

Aquae communis Libras sedecim.

Induntur in catinum ferreum mundum, lixivio ebullienti ingeruntur paulatim

Calcis vivae optimae Libra una cum dimidia vel Librae duae,

additione Aquae fervidae in pulverem tenuiorem dilapsae. Coquuntur per horam dimidiam, agitando spathula ferrea. Quam diu pars exigua lixivii filtrati, cum Acido quolibet mixta, ullam producit effervescentiam, tam diu Calx viva addenda, donec Aër fixus (Acidum carbonicum) plane absorptus sit; si vero, addito liquore Cinerum clavellatorum depuratorum, lixivium turbidum reddatur, plus liquoris Cinerum clavellatorum depuratorum adfundatur. Dein lixivium per manicam linteam filtratur et lagenae vitreae infunditur, quae obturanda est.

Residuum calcareum, e manica exemtum, denuo cum decuplo aquae communis coquitur, et lixivium filtratum priori additur

Quum primum liquores confusi resederint, clarum a sedimento in catinum ferreum mundum rursus defundatur et bulliat, donec unciae quatuor compleant vas, uncias tres aquae destillatae capiens. Lixivium semirefrigeratum in lagenam calefactam infunde, et, postquam subsederit, limpidum a sedimento separa et in vitris pluribus, probe obturandis, serva.

Potest etiam parari ex Parte una Lapidis caustici ac duabus Partibus Aquae destillatae.

Liquidum limpidum, plerumque flavescens; odoris lixiviosi; saporis paris caustici; pondus specificum 1,332 = 42° Ar. Bk. Aq. gr. circiter aequans; cum Acido Salis neutralisatum vix effervescat et turbidum fiat; liquor neutralisatus addito liquore Kali oxalici (Salis Acetosellae) ne turbetur, neque affuso Spiritu Vini rectificatissimo; ceterum uti Lapis causticus, aqua solutus se habeat.

Eadem ratione paratur:

LIXIVIUM CAUSTICUM MINERALE.

Soda pura liquida Bav. Soda-Aetzlauge. Reine Soda Flüssigkeit.

E Sale Sodae depurato et Calcis vivae quantitate necessaria.

✠ MAGISTERIUM BISMUTHI.

Bismuthum nitricum praecipitatum Bor. Nitras Bismuthi Bat. Sub-nitras Bismuthi Bav. Belg. Gall. Nitras Bismuthi praecipitatus Aust. Bismuthi subnitras Lond. Magisterium Marcasitae. Wismuth-Niederschlag. Salpetersaures Wismuthoxyd. Spanischweiß.

Rp. Acidi Nitri Uncias sex.
Vasi vitreo ingeruntur, tum paulatim adduntur,
Bismuthi optimi crasse contusi Unciae duae,
vel quantum requiritur.

Prima parte soluta, alteram adde et sic perge, dum, adiuvante calore, sedimentum album pulverulentum, saturationem Acidi indicans, nascatur, vel nihil amplius solvatur.

Solutionem a residuo defunde, cum
Aquae fervidae dimidio
dilue, calidam adhuc filtra, et in vas idoneum
Aquae destillatae Libras duodecim
continens, sensim, et continue agitando effunde.

Praecipitatum inde ortum, defuso liquido claro supernatante, in filtrum immitte, ut humor, quantum fieri possit, separetur; e filtro exemtum et cum Aqua destillata ter elotum, dein exstillatum inter chartam bibulam loco tepido umbroso exsicca et vase vitreo, colore nigro obducto, obturaculo vitreo clauso, serva.

Pulvis albus, rarus, subcrystallinus; qui lucis et aëris accessu gryseus fit. Siccatus in aqua frigida vix, in fervida difficulter, ac solum in Acido Nitri totus et sine effervescentia solvatur; solutio saturata, Aqua destillata diluta,

affuso liquore Argenti nitrici, vel Acido Vitrioli non turbanda, et addita Aqua hydrosulphurata statim e nigro-brunescat; calori e tubulo ferruminatorio emananti expositus, in vitrum flavum abeat.

Dosis. Granum dimidium, quod sensim usque ad grana quatuor, vel plura, augere licet trihorio quoque.

* MAGNESIA ALBA.

Magnesia carbonica Bor. Carbonas Magnesiae Bat. Sub-Carbonas Magnesiae Bav. Belg. Gall. Carbonas Magnesiae purus Aust. Magnesiae Sub-carbonas Lond. Magnesia Salis amari. Weiße Magnesia. Bittererde. Kohlensaure Talkerde.

Rp. Salis amari venalis Libras sex.
Solve in
Aquae communis calidae Libris duodecim.
Solutionem filtra, et cum Aqua communi calida usque ad libras quadraginta octo dilue.

Rp. Cinerum clavellatorum depuratorum Libras quatuor.
Solve in
Aquae communis calidae Libris viginti quatuor, et solutionem filtra.

Solutiones ambae, subcalidae (40—50°), sensim commisceantur perpetua sub agitatione, ita tamen, ut caveas, ne tota Magnesia praecipitetur; quod si acciderit, nova Salis amari quantitas addenda est. Resideat Magnesia; tunc liquorem defunde, et sedimentum elutione, primum cum aqua subcalida, dein cum aqua frigida, repetita, a partibus salinis integre liberatum, colo linteo ingere, et exstillatum locoque calido siccatum vasis clausis serva.

Sit nivea, inodora, in frustis inter digitos friabilis et tunc vix palpabilis, perlevis, pulverata perrara, saporis subterrei; ab alkalibus fixis causticis ne solvatur, tota vero et cum effervescentia in Acido Vitrioli diluto partibus quinque, solutio saturata frigida clara maneat, et affuso liquore Salis Tartari perfecte saturati, vel Ammonii oxalici

ne turbetur, evaporata refrigerando crystallos solummodo Salis amari exhibeat. A partibus salinis et alkalinis libera sit, Magnesia cum Aqua destillata cocta et dein filtrata, liquoris Barytae nitricae et Argenti sulphurici ope vix Tartari vitriolati nec Salis digestivi (Kali sulphurici et muriatici) vestigia monstret, neque Chartam exploratoriam luteam mutet. Per horam calcinata alba maneat et nunquam rubicunda evadat, quod Manganum proderet.

MAGNESIA CALCINATA.

Magnesia usta Bor. Magnesia Bat. Belg. Lond. Magnesia pura Bav. Aust. Gall. Kalzinirte Magnesia oder Bittererde. Talkerde.

Magnesia alba, in crucibulo tecto, igni fortiori candefiat per horam et ultra, dum in Acidis absque effervescentia solvatur. Calida adhuc in vitro obturato servetur.

Sit candidissima, alba levior et minus palpabilis; cum Acidis nunquam effervescat; a partibus alkalinis et salinis libera reperiatur, charta exploratoria lutea decocto, e parte una Magnesiae calcinatae cum decem partibus Aquae destillatae parato, immersa ne mutetur; in Acido Vitrioli diluto, etsi lente, tamen omnis solvatur, solutione saturata clara; pura, uti Magnesia alba se habeat.

* MEL DESPUMATUM.

Mel depuratum Aust. Gereinigter Honig.

Rp. Mellis crudi, optimi Partes quinque,
Aquae communis Partem unam.

Bulliant vase cupreo, stanno obducto; tunc adde sensim

Pulveris Concharum marinarum quantitatem sufficientem,

quae acidum Melli inhaerens absorbeat et expellat partes cereas, ope cochlearis despumatorii dein detrahendas. Mel ad consistentiam Syrupi spissioris evaporatum coletur per manicam e panno confectam. Serva loco frigidiore in vasis murrhinis vel porcellaneis, charta aut subere rite claudendis.

Sit brunneo-flavum, lucidum, odoris ac saporis dulcissimi, genuini, non empyreumatici.

MEL ROSARUM.

Mel rosatum Bor. Belg. Mellitum de Rosis Gall. Mel rosae Lond. Rosenhonig.

Rp. Florum Rosarum pallidarum Uncias octo.
Affunde
Aquae fervidae Libras quatuor.
Macera per noctis spatium et colando exprime; liquorem colatum cum
Mellis despumati Libris octo
leni igne ad Syrupi spissioris consistentiam decoque. Serva ut supra.

Sit saturatius, Melle despumato, tinctum; odore et sapore sat rosaceo.

MELLAGO GRAMINIS.

Extractum Graminis liquidum Bor. Bav. Belg. Quecken-Dicksaft.

Rp. Extracti Graminis, quantum libet.
Dilue cum
Aquae fervidae sufficiente quantitate,
ut ad Syrupi spissioris consistentiam redigatur. Serva, ut supra dictum.

Pari modo paratur:

MELLAGO TARAXACI.

Extractum Taraxaci liquidum Bor. Belg. Bav. Löwenzahn-Dicksaft.

---

* ♀ MERCURIUS CALCINATUS RUBER.

Hydrargyrum oxydatum rubrum Bor. Oxydum Hydrargyri nitratum Bat. Deutoxydum Hydrargyri nitratum. Belg. Oxydum Hydrargyri Bav. Oxydum Hydrargyri rubrum Aust. Gall. Hydrargyri nitrico-oxydum Lond. Per-oxydum Hydrargyri. Mercurius praecipitatus seu corrosivus ruber. Roth-

kalcinirtes Quecksilber. Rother Präcipitat. Quecksilberoxyd.

Rp. Mercurii vivi depurati Partes duas.

Cucurbitae vitreae, balneo arenae impositae immissus, solve coquendo in

Acidi Nitri Partibus tribus.

Solutionem in vase porcellaneo vel vitreo, balneo arenae imposito, exsicca.

Sal siccum, in pulverem tenerrimum redactum, cum

Mercurii vivi depurati Partibus duabus

adspergendo pauxillo Aquae, usque ad plenam Mercurii vivi abolitionem, contere.

Quo facto, pulverem in cucurbitam vitreám, latioris fundi, ingere; agglutinato alembico et applicato excipulo, Aquae uncias aliquot continente, vasorum iuncturis reliquis apertis, torreatur massa igne lento, sensim aucto, donec cucurbitae collum pelluceat, ac massa colorem atro-rubrum acquirat. Haec refrigerata squamas splendentes rubras exhibet, (est Mercurius praecipitatus ruber vetus officinarum) quae, protracta calcinatione, donec loco vaporum nitrosorum Gas Oxygenium emittere incipiat, (quod segmentum ligni candens, ad orificium cucurbitae admotum, inflammatione sua proderit), dein coctione in

Aquae destillatae Partibus decem,

digestione tandem calida per aliquot horas cum

Lixivii caustici diluti parva quantitate

ab omni Mercurio nitroso, si forte adhaereat, exacte liberetur. Pulvis remanens (Deut- seu Peroxydum Hydrargyri purum), repetita aquae destillatae calidae affusione probe elotus, et in filtro siccatus, vase murrhino vel vitreo, obturato et contra lucis accessum velato, servandus.

Pulvis lucide ruber, subtilissime praeparatus laete aurantiacus, luci diu expositus nigrescens, ponderosus, Aqua insolubilis, in retorta aestuans primum colorem cinnabaris,

dein violaceum praebeat, ac Gas Oxygenium emittat, quod quum evanuerit, destillet Mercurius vivus, residuo nullo. In Aqua destillata fervida neutiquam, at in Acido Nitri et Salis, adiuvante calore, integre ac sine effervescentia solvatur. Ab Acido Nitri liber sit, quod recognosces, si Aqua destillata cum illo cocta ac filtrata, instillato Spiritu Salis Ammoniaci caustico, clara permaneat.

Venalis in glebis occurrit, coloris cinnabarini, texturae crystallinae, squamosae, nitentibus; Minio ne adulteratus sit, et in Acido Salis sine residuo ullo solvatur, signisque ceteris praeparatum dictum aequet, praesertim si ante usum coctione in Aqua destillata et digestione cum Lixivio caustico depuretur.

Dosis. Interne datur ad octavam, quartam etiam dimidiam grani partem semel singulis diebus.

* ⸸ MERCURIUS DULCIS.

Hydrargyrum muriaticum mite Bor. Murias Hydrargyri oxydulati Bat. Murias Protoxydi Hydrargyri Belg. Murias oxiduli Hydrargyri mitis Bav. Murias Hydrargyri mitis Aust. Murias Hydrargyri dulcis sublimatus Gall. Hydrargyri submurias Lond. Hydrargyrum chloratum. Proto-Chloruretum Hydrargyri. Calomel. Panacea mercurialis. Versüßtes Quecksilber. Calomel. Salzsaures Quecksilberoxydul..

Rp. Mercurii sublimati corrosivi Partes quatuor,
Mercurii vivi depurati Partes tres.

Mercurius sublimatus pulveratur in mortario lapideo, instillando quantitatem sufficientem Aquae destillatae, ut dissipatio pulveris, pharmaceutae perniciosa, impediatur. Pulverato addatur Mercurius vivus, terantur simul, donec nihil metallici supersit, quod visu percipi possit. Massa pulverulenta, calore tepido exsiccata, cucurbitis vel ampullis vitreis, ad tertiam partem voluminis implendis, operculis lapideis tectis, sublimetur in arenae balneo secundum artem. Quo peracto, fractisque vasis, materiam sublimatam puriorem crasse contere ac denuo sublima.

Hoc sublimatum, ab albicante ac metallico, in collo vasis vitrei haerente, depuratum, et a frustulis vitreis caute mundatum, supra porphyrita, affusa Aqua, in massam subtilissimam redigendum. Praeparatum cum Aqua destillata tepida pluries eluatur, et, filtro immissum, loco obscuro siccetur. Serva in vitris probe obturatis ac colore obscuro umbratis.

Massa subgrisea, albido-flavens, pellucida, vel compacta, vel crystallis obsita. Crystalla minima columnaria, oculo armato prismata tetragona obliqua, planis terminalibus quatuor inaequalibus acuminata, clara, splendoris adamantini praebeant; sit a globulis mercurialibus liber; ponderis specifici 7,176; triturae sulphureo-flavescentis. Praeparatus et tritus sit flavide albus, vix palpabilis, inodorus; saporis mitis mercurialis; in Aqua vix, in Spiritu Vini rectificatissimo nullo modo solubilis; aestu totus diffugiat. Spiritus Vini rectificatissimus cum illo coctus et dein filtratus, affusa Aqua Calcis vivae, nullum praecipitatum flavum vel aurantiacum edat. Levigatus et cum liquore Natri hydroiodinici superfusus, colorem e flavo-viridescentem ducat, neutiquam rubellum; cum Lixivio vero caustico, vel Spiritu Salis Ammoniaci caustico tritus obscure nigrescat. Lucis accessu, praesertim recens praeparatus et adhuc humidus, griseus fit.

Dosis. Adeo inter se differt, ut a grano uno usque ad quinque bis terve singulis diebus detur.

♀ MERCURIUS HYDROCYANICUS.

Hydrargyrum borussicum. Cyanuretum Hydrargyri Gall. Hydrargyrum hydrocyanicum Belg. Hydrargyrum bicyanatum. Blausaures Quecksilber. Doppelt-Cyanquecksilber.

Rp. Coerulei Parisiensis puri, pulverati Partes duas,
Mercurii calcinati rubri, levigati Partes tres.

Accurate mixta induntur in vas murrhinum et admiscentur

Aquae destillatae Partes sedecim.

Ebulliant, continua sub agitatione cum spatula ferrea, per dimidium horae, donec rubiginosum

colorem acceperit mixtio; tum per chartam bibulam filtra. Oxydum residuum elue

Aquae destillatae fervidae quantitate necessaria.

Liquores mixtos evaporare fac, donec gutta, corpori frigido instillata, concrescat. Refrigerio iam excute crystallos, quae, si flavescentes evadunt, resolutione in Aqua destillata et coctione cum

Mercurii calcinati rubri, levigati parva copia

a ferro inquinante liberandae et nova crystallisatione depurandae sunt. Serva vase vitreo, probe obturato et colore nigro obducto, uti VENENUM.

Prismata alba pellucida, nitoris margaritarum, tetragona rectangula, seu oblique truncata, seu planis duobus vel quatuor acuminata, ponderosa, formet. Aëris accessu duraturus, odoris, dum pulveratur, borussico-nauseosi; saporis paris metallici, longe persistentis; igne expositus totus diffugiat. Solvatur in octo partibus Aquae destillatae; solutio ab Acido Salis et Aqua hydrosulphurata ac liquore Stanni muriatici decomponenda, cum primo praecipitatum albissimum, cum secunda nigerrimum, cum tertio cinereum (Mercurium vivum) edens, ac odorem Acidi Borussici spargens, neutiquam vero ab Acidis reliquis et Alkalibus mutanda, cum limatura Martis cocta Mercurium vivum exhibeat.

USUS. Pharmaceuticus.

* ☨ MERCURIUS PRAECIPITATUS ALBUS.

HYDRARGYRUM AMMONIATO-MURIATICUM BOR. MURIAS HYDRARGYRO-AMMONIACALE BAT. BELG. MURIAS OXIDI HYDRARGYRI AMMONIACALIS BAV. MURIAS HYDRARGYRO-AMMONIACALIS INSOLUBILIS AUST. HYDRARGYRUM BICHLORATUM CUM OXYDO ET AMMONIO MURIATICO. HYDRARGYRUM OXYDATUM MURIATICUM AMMONIATUM. MERCURIUS COSMETICUS. LAC MERCURIALE. Weißer Quecksilber-Niederschlag oder Präcipitat. Basisches salzsaures Quecksilberoxyd-Ammonium.

Rp. Mercurii sublimati corrosivi,

Salis Ammoniaci depurati, singulorum Uncias octo.

Solve in

Aquae destillatae fervidae Libris octo.

Filtra et instilla

Sal Sodae depuratum, in Aqua solutum, quam diu pulvis albissimus praecipitatur.

Hunc, fluido claro defuso, Aqua destillata frigida penitus edulcora, et inter chartam bibulam calore 15° — 20° loco umbroso bene exsicca, ac in vitris probe clausis, contra lucem munitis, serva.

Massa sit nivea, friabilis, pulverata vix palpabilis, valde depingens; inodora; primum fere insipida, deinde parum metallici taediosi, et simul caustici saporis. Solvatur vix in sexcentis fere partibus Aquae calore 14°, neque a Spiritu Vini rectificatissimo. Candefacta penitus diffugiat. In Acido Nitri ac Salis tota, et sine effervescentia solvatur. Cum Lixivio caustico vegetabili trita flavescat, Alkali volatile eructans; a Spiritu Salis Ammoniaci caustico ne mutetur.

Usus. Externe.

☨ MERCURIUS SOLUBILIS HAHNEMANNI.

Hydrargyrum oxydulatum nigrum Bor. Oxydulum Hydrargyri Hahnemanni Bat. Protoxydum Hydrargyri nitrico-ammoniacale Belg. Oxidulum Hydrargyri salinum Bav. Oxydulum Hydrargyri ammoniacale Aust. Oxidum Hydrargyri nigrum mediante Ammoniae praecipitatum Gall. Sub-Proto-Nitras Hydrargyri et Ammoniae. Hydrargyrum oxydulatum nitrico-ammoniatum. Mercurius praecipitatus niger. Turpethum nigrum. Hahnemanns auflösliches Quecksilber. Schwarzes Quecksilberoxydul.

Rp. Acidi Nitri Uncias quinque.

Ingerantur in loco frigido cucurbitae, vasi amplo, Aqua frigida pleno, immersae, tunc infundatur paulatim, ita ut subita dissolutio et exaestuatio vitentur

Mercurii vivi depurati Uncia dimidia.

Hac fere soluta, denuo sensim addatur

Mercurii vivi depurati Uncia una,

cuius similiter lenta dissolutio, vix aliquantum agitando mixta cum spathula fictili, maturari debet. Eadem cautione adhibita dissolvantur denique, quantum fieri potest

Mercurii vivi Unciae tres cum dimidia,

ut tota portio, per vices in Acidum ingesta, uncias aequet quinque.

Post sex circiter dies, cum, sub iterata agitatione, nullae amplius ascendunt bullae, et omnia fere mixta in albam massam salinam sunt mutata, defundatur liquor, et subitanea cucurbitae inversione effundatur restans Mercurii, nondum soluti, portio; massae autem salinae, cucurbitae adhuc inhaerentis, excretio strenua agitatione vasis, et affusa circiter uncia dimidia Aquae destillatae promoveatur.

Sal e cucurbita depromptum filtro ingeratur, et postquam omnis liquor defluxerit, cum Aquae destillatae uncia una cito abluatur, ac super charta bibula, nullo adhibito calore, siccetur.

Siccatum ac in pulverem tritum vasi vitreo ingeratur, eique infundantur

Aquae destillatae Librae quinque.

Mixta tam diu bacillo vitreo vel novo fictili agitentur, donec e pulvere fundum petente, nihil amplius solvatur. Tunc post duodecim horarum intervallum, liquor pellucidus decantetur in vas vitreum, eique infundatur paulatim et sub perpetua agitatione cum bacillo supra memorato

Spiritus Salis Ammoniaci caustici, cum sextuplici pondere Aquae destillatae diluti, sufficiens quantitas,

tam diu, nec ultra, quam exemta et filtrata liquoris supernatantis pars exigua, adfuso Spiritu Salis Ammoniaci caustico, nullum dein praecipitatum nigrum, sed cinereum edit.

Iam mixta per aliquot temporis minutas vehementer agitentur, et sedimentum, inter quietem ortum, defundendo statim a liquore innatante liberetur, tum pluries cum Aqua destillata eluatur, donec, de-

fusa illa, a Spiritu Salis Ammoniaci caustico non amplius turbetur.

Deinde puls nigra filtro, ex charta bibula confecto, immittatur, ut exstillet humor, premendoque, pluribus chartae plagulis involuta, penitus siccetur, ac denique loco tepido, luci minime obnoxio, exarescat, ut in mortario porcellaneo in pulverem redigi possit. Vitro, obturaculo claudendo, colore nigro velato servetur.

Pulverem vix palpabilem, nigrum, nitoris holoserici, ponderosiorem praebeat. Sit inodorus, saporis mitioris mercurialis; madefactus ac intra manus fortiter tritus, globulos mercuriales metallicos exhibeat. Aestui expositus integre diffugiat. In Aqua ne solvatur, maxima ex parte vero in Acido Aceti calido, relictis globulis mercurialibus.

Dosis. Granum unum usque sex quotidie.

* ☠ MERCURIUS SUBLIMATUS CORROSIVUS.

Hydrargyrum muriaticum corrosivum Bor. Murias Hydrargyri Bat. Murias Deutoxydi Hydrargyri Belg. Murias oxidi Hydrargyri corrosivus Bav. Murias Hydrargyri corrosivus Aust. Murias Hydrargyri oxygenatus Gall. Hydrargyri oxymurias Lond. Deuto-Chloruretum Hydrargyri. Hydrargyrum haloidatum. Hydr. perchloratum. Hydr. hydrochloricum. Aetzender Quecksilbersublimat. Aetzendes salzsaures Quecksilber. Salzsaures Quecksilberoxyd.

Rp. Mercurii vivi depurati Uncias decem,
Salis communis depurati, siccati Uncias octo,
Magnesiae nigrae pulveratae Uncias sex.

In mortario porcellaneo simul terantur, donec globuli Mercurii disparuerint, tunc adde

Olei Vitrioli Anglici Uncias undecim,

celeriter agitando.

Massa, primum liquida, Gas muriaticum suffocans eructat; dein solida, ac bene contrita retortae vitreae immittitur, cuius dimidiam partem impleat, et quae

balneo arenae ad dimidium immersa, incalescat usque ad sublimationis gradum inferiorem. Sublimatione peracta, et retorta fracta, sublimatum album, splendens caute collige et serva in vasis murrhinis vel vitreis, probe obturatis, contra lucem munitis, ut VENENUM.

Ad deminuendum periculnm nunquam ultra copiam praescriptam uno tempore para, et cave, ne, vase casu aliquo fracto, vaporibus te exponas.

Velociter sublimatus, referat massam salinam, albam, pellucidam, radiatam; sublimatione lenta paratus, crystalla minora, alba, lucida, prismatico-acicularia; triturae niveae; ponderis specifici 5,14. Sit inodorus, saporis metallici, venenoso-acris, taediosi; atmosphaera duraturus, minori caloris gradu, quam Mercurius dulcis, sublimabilis sine residuo; calore temperato in viginti partibus Aquae destillatae, et in duabus tribusve Aquae bullientis, in Spiritus Vini rectificatissimi partibus tribus et in quatuor Naphthae Vitrioli rectificatae solubilis. Solutio aquosa Aqua Calcis vivae instillata, primum flava, dein, affusa maiore copia reagentis dicti, aurantiaca et lateritii coloris evadat, ac praecipitatum pari colore infectum edat. Lixivium causticum, solutioni instillatum, praecipitatum rutile-flavum, dein, uberius affusum, sedimentum cerinum, Spiritus Salis Ammoniaci causticus vero album producat; a liquore Natri hydroiodinici colore puniceo specioso praecipitatur.

DOSIS. Octava, quarta, etiam et dimidia grani pars semel singulis diebus.

* ✠ MERCURIUS VIVUS DEPURATUS.

HYDRARGYRUM DEPURATUM HANN. HYDRARGYRUM PURUM BAV. Reines Quecksilber.

Si venalis non bonae notae sit, sequenti modo depura.

Rp. Mercurii vivi venalis Uncias decem,
Mercurii nitrosi crystallisati, uti, inter parandum Mercurium solubilem Hahnemanni, sed ex Mercurio vivo venali obtinetur, Unciam unam,
Aquae destillatae Uncias quatuor.

Mercurius nitrosus in Aqua destillata solvitur, liquor turbidus cum Mercurio per horas duas vase idoneo, subinde agitando coquitur.

Tunc liquor defunditur, et Mercurius cum Aqua destillata abluitur, quem, premendo per pellem caprae percolatum, vase murrhino vel vitreo obturato serva.

Physice ac chemice aeque se habeat, uti de Mercurio vivo venali puro Parte I. dictum est.

MIXTURA SIMPLEX.

Mixtura pyro-tartarica Bor. Einfache Mixtur. Brenzliche Weinstein-Mixtur.

Rp. Spiritus Angelicae compositi Uncias tres,
Spiritus Tartari Uncias duas.
Mixtis sensim instilla
Acidi Vitrioli concentrati puri Drachmas duas.
Paratur ex tempore.

MIXTURA SULPHURICO-ACIDA BOR.

Vide Pag. 227.

MUCILAGO GUMMI ARABICI.

Arabischer Gummi-Schleim.

Rp. Pulveris Gummi Arabici Partem unam,
Aquae destillatae Partes duas.
Solve terendo in mortario lapideo, Gummi et Aquam alternis vicibus affundens, ut fiat Mucilago, quam ita depurabis, ut eum residere sinas

Eadem ratione paratur:

MUCILAGO GUMMI TRAGACANTHAE.

Tragant-Schleim.

E parte una Gummi et quadraginta octo partibus Aquae fervidae.

MUCILAGO SEMINUM CYDONIORUM.

Quittensamen-Schleim.

Rp. Seminum Cydoniorum Partem unam.
Affunde
Aquae destillatae Partes duas et triginta.

Macera leni calore in vitro, saepius probe quassando, ut fiat Mucilago, denique cola.

* NAPHTHA ACETI.

Aether aceticus. Eßig-Naphtha oder Aether.

Rp. Terrae foliatae Tartari Libram unam.

Retortae vitreae tubulatae, arenae impositae, immissae, ac excipulo vitreo amplo, ope luti farinosi et vesicarum, adaptato, aqua frigida vel nive refrigerato, affunde per tubulum
Olei Vitrioli Nordhusani Libram dimidiam,
antea caute mixti cum
Spiritus Vini rectificatissimi Libra una.

Destillantur leni igne Unciae decem, quas cum liquore Cinerum clavellatorum depuratorum dilutiore misce, ut Naphtha ab Acido separetur; tunc Naphthae separatae adde Salis Ammoniaci fixi (Calcariae muriaticae) tantum, quantum ad separandum Spiritum et Aquam adhaerentem opus est.

Mixta stent, identidem conquassata, per dies plures. Quo facto Naphtha, a lixivio salino defusa, leni calore rectificetur, et in vitro, obturaculo vitreo probe clauso, loco frigido servetur.

Sit hyalina, ponderis specifici 0,880 = 23° Ar. Bk. Aq. lev. Odoris pergrati, penetrantis; saporis suavis, os refrigerantis, acethico-aetherei. Inflammata Acidum Aceti evolvens; decursu temporis ne mutetur, Lixivio autem caustico affuso decomponatur. Aqua octavam partem ponderis sui solvat, solutio Chartam exploratoriam coeruleam ne mutet; instillata Aqua hydrosulphurata neutiquam nigrescat, nec Plumbi indicium prodat. Non tam volatilis sit, quam Naphtha Vitrioli.

* NAPHTHA VITRIOLI.

Aether sulphuricus. Vitriol-Naphtha. Schwefel-Aether.

Rp. Olei Vitrioli Nordhusani,
Spiritus Vini rectificatissimi, singulorum Libras tres.

Oleum Vitrioli sensim et caute Spiritui Vini, in cucurbitam infuso, instilletur, interdum agitans. Iam mixtura immittatur in retortam vitream tubulatam; excipulo peramplo, identidem aqua frigida vel nive refrigerando, adaptato, iuncturisque cum luto farinoso ac vesicis clausis, instituatur destillatio ex arenae balneo eo calore, ut mixtura protinus ebulliat, quam diu Naphtha forma striarum ramosarum ad parietes colli retortae transeat, neque vapores in rostro compareant.

Residuo refrigerato affunduntur per tubulum
Spiritus Vini rectificatissimi Unciae duodeviginti.

Fiat destillatio, uti antea. Quae ratio, cum simili Spiritus Vini quantitate, bis terve repeti potest.

Liquori aethereo, destillationibus his repetitis obtento, addatur
Lixivii caustici dilutioris, quantum sufficit

ad absorptionem Acidi sulphurosi. Naphtha supernatans a reliquo fluido separetur, et Salis Ammoniaci fixi ope, uti Naphtha Aceti, Spiritu et Aqua quam maxime privata, calore lenissimo rectificetur, quam diu purissima et fragrantissima transit. In vitris, obturaculis vitreis probe clausis, loco frigido servetur.

Sit hyalina, fluidissima, pervolatilis, ita ut cuti instillata sponte citoque, sine residuo humido, diffugiat; ponderis specifici 0,732 = 60° Ar. Bk. Aq. lev. (optima) vel 0,742 = 59° Ar. Bk. Aq. lev.; odoris gravis, penetrantis, proprii; saporis pungentis, primum calidi, dein os per-refrigerantis aetherei; valde inflammabilis, etiam temperatura communi in statu vaporis. Tactu aëris atmosphaerici mutetur; aqua decimam partem ponderis sui solvat. Nec Acido

sulphuroso inquinata sit, quod odoris, saporis et Chartae exploratoriae coeruleae ope cognosces, nec Oleum Vini redoleat.

* NITRUM DEPURATUM.

Kali nitricum depuratum Bor. Nitras Potassae depuratum Bat. Belg. Nitras Potassae purus Bav. Nitras lixivae Aust. Nitras Potassae purgatus Gall. Deuto Nitras Potassii. Gereinigter Salpeter. Gereinigtes salpetersaures-Kali.

Rp. Nitri crudi, quantum libet.

Catino cupreo, stanno obducto, immissum solve coquendo in

Aquae communis duplo.

Tum guttatim instilla

Liquorem Cinerum clavellatorum depuratorum,

quamdiu liquidum inde turbetur, dein per chartam bibulam filtra, et ad crystallisandum loco frigido sepone. Crystallos ortas collige et super charta loco tepido sicca.

Quum liquor residuus, ad dimidium evaporatus, denuo crystallos edit, haec agendi ratio cum lixivio remanente repetenda est, dum crystalli ortae purae reperiuntur. Serva vase clauso loco sicco.

Prismata alba, pellucida, longa hexagona-irregularia vel truncata, vel planis duobus, rarius sex, convergentibus, acuminata, saepius concreta et inde sulcata, ceterum crystallos Nitri crudi aequent. Solutio in aqua destillata, affuso liquore Argenti nitrici vix turbanda, addita Aqua Barytae, aeque ac admixto liquore Salis Tartari, clara permaneat.

OLEUM ABSINTHII DESTILLATUM.

Oleum Absinthii aethereum. Destillirtes Wermuthöl.

Rp. Summitatum Absinthii recentium, modice siccatarum, comminutarum, quantum placet,

Aquae communis Octuplum.

Fiat destillatio, e vesica cuprea, stanno intus obducta, munitaque alembico una cum canali refrigeratorio e stanno puro confecto, sub continua

aquae ebullitione. Dimidia parte vel duabus trientibus partibus aquae adhibitae, nunc oleum aethereum continentis, in excipulum transactis, cesset destillatio, et oleum aethereum secundum artem separetur. Aqua destillata, oleo saturata, cum nova Absinthii copia, addita aquae communis quantitate sufficiente, denuo destilletur, et oleum depleatur. Haec agendi ratio repetatur, donec olei desideratam quantitatem obtinueris.

Ad separanda olea, aqua leviora, excipulum cum collo angusto adhibe, ex quo ope siphonis e vitro confecti, vel filorum gossypiorum, quae altera extrema parte in oleum, altera in lagenulam, excipuli collo appensam, demergunt, exhaurienda sunt; olea vero aqua graviora infundibulo vitreo seiungas.

Si e brodio extractum paras, illud, adhuc ebulliens, in vas terreum vitreatum cola, et dein lege artis evaporare fac.

Serva, ut caetera olea destillata, in vitro, obturaculo vitreo probe claudendo, loco frigidiori, obscuro.

Viride, interdum flavum, etiam brunnescens occurrit; saporis sit aromatico-amari, fastidiosi.

Olea destillata (aetherea), etiam refrigerata, ne sint spissa, paucis exceptis, quae temperatura, frigus glaciale parum superante, coeunt; nec lucis nec aëris accessu mutata vel inspissata; ebulliendo diffugiant; chartae illita et calore evaporata maculas adiposas in hac ne relinquant; in Spiritu Vini rectificatissimo et aliis oleis destillatis facillime solvantur; in aqua, etsi difficulter et parum solvantur, tamen aliquid sui odoris et saporis illi tribuant, eam vero ne lacteam reddant; a cupro libera sint, inde cum aqua et guttulis aliquot Acidi Nitri conquassata, dein separata, simul aqua acidula cum Alkali volatili neutralisata, addito liquore Kali ferreo-borussici, praecipitatum rutile brunneum ne exhibeant.

Eadem methodo, sed pro diversis plantarum partibus cum maiore vel minore aquae quantitate, destillantur:

* OLEUM ANISI DESTILLATUM.

Oleum aethereum Anisi. Destillirtes Anisöl.

E seminibus probe contusis.

Coloris straminei, clarum; ponderis specifici 0,9770; odoris proprii; saporis dulcis, mitis, dein acriusculi; frigore concrescat, et massam crystallinam praebeat.

OLEUM AURANTIORUM DESTILLATUM.

Oleum aeth. Aurantiorum. Destillirtes Pomeranzenöl.

E corticibus contusis, cum copia aquae maiori.

Flavescens, clarum, fluidissimum; ponderis specifici 0,888; fragrans; saporis grati aromatici, non, uti vetustate corrupti, acris.

OLEUM CALAMI DESTILLATUM.

Oleum aeth. Calami. Destillirtes Kalmusöl.

E radicibus concisis, cum copia aquae maiori.

E brunneo-flavescens, clarum; ponderis specifici 0,899 (temp. 20° R.), fragrantissimum; saporis amari, aromatici, subcamphorati.

OLEUM CARVI DESTILLATUM.

Oleum aeth. Carvi. Destillirtes Kümmelöl.

E seminibus probe contusis.

Pallide-flavum, lucis accessu brunnescens, clarum; ponderis specifici 0,914; saporis aestum ori excitantis, longe persistentis; odoris proprii.

* OLEUM FOENICULI DESTILLATUM.

Oleum aeth. Foeniculi. Destillirtes Fenchelöl.

E seminibus probe contusis.

Flavescens, clarum; ponderis specifici 0,974; saporis dulciusculi, proprii, mitis; odoris paris; compositum e duobus oleis, quorum unum fluidum, et aqua solubilius volatiliusque apparet, quam alterum, quod pondere aquam superat, et frigore in crystallos largas, albas, laminarum formam prae se ferentes abit.

* OLEUM IUNIPERI DESTILLATUM.

Oleum aeth. Iuniperi. Destillirtes Wachholderbeerenöl.

E baccis maturis, recenter collectis, contusis.

Ad usum externum et veterinarium venale adhibere licet.

Flavescens; ponderis specifici 0,8717—0,8607; saporis ac odoris noti. In Spiritu Vini rectificatissimo difficilius, in absoluto vero persolubile.

OLEUM MAIORANAE DESTILLATUM.

Oleum aeth. Maioranae. Destillirtes Maioranöl.

Ex planta florente incisa.

Recens flavo-virens, tandem brunneo-virens; facile lentescens; ponderis specifici 0,980; odoris minus grati, quam herba.

OLEUM MENTHAE CRISPAE DESTILLATUM.

Oleum aeth. Menth. c. Destillirtes Krause-Münzenöl.

Ex planta florente incisa.

Flavescens, interdum viridulum, clarum, perliquidum; ponderis specifici 0,898; fragrans; saporis proprii, amariusculi, subrefrigerantis.

* OLEUM MENTHAE PIPERITIDIS DESTILLATUM.

Oleum aeth. Menth. p. Destillirtes Pfeffer-Münzenöl.

Ex planta florente incisa.

Flavescens seu citrinum, rarius viridulum, clarum; ponderis specifici 0,909; fragrans; saporis austeri, camphorati, aestum ori excitantis, dein refrigerantis.

OLEUM RUTAE DESTILLATUM.

Oleum aeth. Rutae. Destillirtes Rautenöl.

Ex planta florente, recente, incisa.

Lucide flavum; ponderis specifici 0,890; graveolens; saporis ingrati, acriusculi.

☨ OLEUM SABINAE DESTILLATUM.

Oleum aeth. Sabinae. Destillirtes Sadebaumöl.

Ex herba cum ramulis recentibus concisis.

Ex albido flavescens, limpidum, perliquidum; ponderis specifici 0,9214; odoris nauseosi, graveolentis; saporis paris, amaro-acris, resinosi.

OLEUM SALVIAE DESTILLATUM.

Oleum aeth. Salviae. Destillirtes Salbeyöl.

Ex planta florente.

Flavescens, clarum, perliquidum; ponderis specifici 0,864; fragrans; saporis proprii, aciduli, subcamphorati.

OLEUM TANACETI DESTILLATUM.

Oleum aeth. Tanaceti. Destillirtes Rheinfarnöl.

E floribus recentibus concisis.

Flavum, lucidum; ponderis specifici 0,946; saporis acris, amari.

OLEUM THYMI DESTILLATUM.

Oleum aeth. Thymii. Destillirtes Thymianöl.

Ex planta florente incisa.

Crudum badium, rectificatum incolor, limpidum, perliquidum; ponderis specifici 0,874; fragrans; saporis acris, aestum ori excitantis.

OLEUM VALERIANAE DESTILLATUM.

Oleum aeth. Valerianae. Destillirtes Baldrianöl.

E radicibus concisis, modice siccatis.

Flavum, lucidum; ponderis specifici 0,947; graveolens; saporis amariusculi, acris, aromatici, subcamphorati, ingrati.

---

* OLEUM AMYGDALARUM DULCIUM.

Süß-Mandelöl.

Rp. Amygdalarum dulcium, non rancidarum, quantum vis.

Ope lintei crassioris pulverem, eis adhaerentem, deterge; tunc contusas, et sacculo cilicino aut cannabino inclusas prelo ferreo, parum tepefacto, sensim exprime, donec omne oleum fuerit extusum, quod, per quietem defaecatum, caute a faecibus defundatur. Servetur in vasis obturatis loco frigido.

Recenter expressum turbidum, cum resedit limpidum et subflavens, perspicuum, pingue-fluidum; ponderis specifici 0,9135 = 16° Ar. Bk. lev.; odore ac sapore Amygdalarum dulcium, non rancido. Frigore glaciali ne concrescat. Vix in quadraginta partibus Spiritus Vini absoluti solubile, cum Naphtha Vitrioli optima omni proportione miscendum.

Pari modo exprimitur:

* OLEUM PAPAVERIS ALBI.

Weiß-Mohnöl.

E seminibus Papaveris, probe contusis.

Flavescens, tandem aureum, clarum, paululum spissum; ponderis specifici 0,9239 = 14° Ar. Bk. lev.; nullum paene odorem spargens; saporis grati, dulciusculi.

OLEUM CAMPHORATUM.

Kamphoröl.

Rp. Camphorae tritae Partem unam cum dimidia,
Olei Olivarum Partes septem.

Solve digerendo.

OLEUM CARYOPHYLLORUM DESTILLATUM.

Oleum Caryoph. aeth. Destillirtes Gewürznelkenöl.

Rp. Caryophyllorum aromaticorum Libras duas.
In pulverem redactis adde
Salis communis Libras duas,
Aquae communis Libras sedecim.

Macerentur per horas duodecim, et destillentur modo dicto. Aqua destillata vero, oleo, in fundo

excipuli subsidente, defunditur et iisdem Caryophyllis residuis, affundatur, ut denuo destillet, quam agendi rationem pluries repetere potes. Oleum obtentum cum priori misceatur, et uti caetera olea destillata servetur.

Primum coloris straminei, dein flavi, tandem rubelli fit, clarum, nondum vetustate brunnescens; ponderis specifici 1,042; fragrantissimum; saporis aromatici, proprii, urentis.

Pari ratione destillentur:

OLEUM CINNAMOMI ACUTI DESTILLATUM.

Oleum Cinnamomi Ceylanici aethereum. Destillirtes ächtes oder ceylonisches Zimmtöl.

E cortice Cinnamomi acuti.

Coloris lutescentis, mox fulvi; ponderis specifici 1,035; fragrantissimum; saporis primum dulciusculi, dein aestum ori excitantis, peraromatici.

* OLEUM CINNAMOMI SINENSIS DESTILLATUM.

Oleum Cassiae cinnamomeae destillatum s. aethereum. Destillirtes chinesisches, oder Cassia-Zimmtöl.

E cortice Cassiae cinnamomeae.

Primum coloris flavescentis, mox aurei, lucidum; ponderis specifici 1,045; saporis primum dulcis, dein aestum ori excitantis, pungentis.

OLEUM MACIDIS DESTILLATUM.

Oleum aethereum arilli Myristicae moschatae Bav. Destillirtes Macisöl.

E Macide.

Coloris fulvi; paulum spissum; ponderis specifici 0,940; odoris Macidis, sed fortioris, grati; saporis ab initio mitis, postea acris.

OLEUM SASSAFRAS DESTILLATUM.

Oleum Sassafras aeth. Destillirtes Sassafrasöl.

E ligno Sassafras.

Unica destillatio sufficit.

Citrini coloris, perspicuum, non spissum; ponderis specifici 1,094; fragrans; odoris Fabae Pichurim similis; saporis levis aromatici.

OLEUM CHAMOMILLAE DESTILLATUM.

Oleum Chamomill. aeth. Destillirtes Kamillenöl.

Rp. Florum Chamomillae vulgaris, modice siccatorum, Libras triginta,
Olei de Cedro Unciam dimidiam,
Aquae communis quantitatem sufficientem.

Fiat lege artis destillatio. Oleum destillatum et aqua destillata, cum nova florum Chamomillae et Olei de Cedro copia praescripta, addita aquae communis quantitate sufficiente, tam diu destilletur, donec olei desiderata quantitas obtenta fuerit.

Obscure lazulinum, vix perspicuum; saporis aromatici penetrantis, calescentis, longe persistentis.

OLEUM CHAMOMILLAE COCTUM.

Oleum infusum Chamomillae. Gekochtes Kamillenöl.

Rp. Florum Chamomillae vulgaris siccatorum et incisorum Libram dimidiam,
Olei Olivarum, vel Papaveris, Libras duas.

Digeruntur in lebete stanneo, vel murrhino clauso per plures horas balneo aquae, tunc oleum exprimitur et seponitur, ut partes crassiores subsidant; tandem oleum limpidum effunde, et vase vitreo, vel murrhino obturato, serva, ast nunquam ultra dimidium annum.

Pari methodo parantur:

OLEUM ABSINTHII COCTUM.

Oleum infusum Absinthii. Gekochtes Wermuthöl.
E summitatibus.

OLEUM HYPERICI COCTUM.

Oleum infusum Hyperici. Gekochtes Johannisblumenöl.
Ex floribus.

* OLEUM HYOSCIAMI COCTUM.

Oleum infusum Hyosciami. Gekochtes Bilsenkrautöl.
Ex herba.

OLEUM LILIORUM ALBORUM COCTUM.

Oleum infusum Liliorum alborum. Weiß-Lilienöl.

Rp. Florum Liliorum alborum recentium Libram dimidiam,
Olei Olivarum provincialis Libram unam cum dimidia.

Digeruntur in lebete stanneo, balneo aquae imposito, ad humoris evaporationem; tunc oleum exprimitur ac refrigeratum servatur, ut supra dictum est.

Olea cocta, ratione Olei, sicut hoc se habeant, ratione coloris ac odoris, uti partes plantarum adhibitarum.

OLEUM MARTIS.

Liquor Ferri muriatici oxydati Hann. Murias Ferri liquidum Belg. Eisenöl. Salzsaure Eisenoxyd-Flüssigkeit.

Rp. Ferri saliti Partes quatuor.
Solve in
Aquae destillatae Partibus sex.
Filtra ac para ex tempore.

OLEUM OVORUM.

Eyeröl.

Rp. Vitellorum Ovorum recentium, quantum vis.

Catino stanneo, balneo aquae imposito, indurescant et pistilli lignei ope agitentur, donec humor exhalatus sit et massa, digitis pressa, oleum emittat; tum sacculo linteo inclusam, prelo ferreo, aqua bulliente calefacto, subiice. Oleum expressum in vitro obturato, vel olla porcellanea obturata serva.

Sit atmosphaera temperata consistentiae linimenti, frigore indurescat; coloris vitellini; odoris unguinosi, non rancidi; saporis paris.

OLEUM SUCCINI RECTIFICATUM.

Oleum Succini Bor. Oleum aethereum Succini Bav. Oleum Succini depuratum Belg. Gereinigtes Bernsteinöl.

Rp. Olei Succini, in praeparatione Salis Succini volatilis obtenti,
Carbonis vegetabilis praeparati, singulorum Partes aequales.

Retortae vitreae tubulatae immissis destillet Oleum, quam diu colore non infectum transit. Serva in lagenulis, quae complectuntur drachmas duas, obturaculis vitreis, resina firmandis, loco obscuro.

Albidum seu vix flavescens, perspicuum, non spissum; ponderis specifici 0,876; odoris proprii; saporis aromatico-acris; summe volatile et inflammabile. Atmosphaerae tactu sensim colorem brunneum induit. Cum Acido Nitri fumante resinam, Moschus artificialis dictam, exhibeat.

* OLEUM TEREBINTHINAE DEPURATUM.

Oleum Terebinthinae Bor. Oleum aethereum Laricis rectificatum Bav. Spiritus Terebinthinae. Reines Terpenthinöl. Terpenthinspiritus.

Rp. Terebinthinae Venetae, quantum libet,
Aquae communis triplum.

Destilla lento igne, ex vesica, stanno intus obducta, ac alembico et canali refrigeratorio stanneo munita, tam diu, quam prodit oleum; quod post destillationem ab aqua, simul abstracta, separa, et vitris bene obturatis serva.

Residuum in vesica praebet:

TEREBINTHINAM COCTAM.

Gekochter Terpenthin.

Quam ex aqua exemtam, in balneo aquae evaporare fac, donec pars lapidi infusa indurescat; tum serva.

Oleum Terebinthinae, quod ex Italia et Gallia advehitur optimum, si pari quantitate aquae rectificatur, satis depuratum est.

Limpidum, decolor; ponderis specifici 0,870; liquidissimum; odoris proprii gravis; saporis amaro-ardentis. Reliqua uti in Oleo Terebinthinae venali se habent.

* OXYMEL AERUGINIS.

Unguentum acetitis Cupri cum Melle. Bat. Belg. Oximel oxiduli Cupri Bav. Mellitum de acetate Cupri Gall. Linimentum Aeruginis. Unguentum aegyptiacum. Grünspan-Sauerhonig.

Rp. Aeruginis pulveratae Uncias tres.
Coque cum
Aceti crudi Libra una.
Mellis despumati Libris duabus,
ad Mellis consistentiam. Serva vasis murrhinis, bene clausis.

Sit lucide e purpureo-brunneum; odoris acetici melliti, metallici, ingrati; saporis paris cuprei, nauseosi.

* OXYMEL SCILLAE.

Oxymel scilliticum. Meerzwiebel-Sauerhonig.

Rp. Squamarum Radicis Scillae siccatarum et incisarum Uncias quatuor cum dimidia,
Aceti Vini Libras duas.
Per dies sex in vitro clauso, tepide maceratis, coletur Acetum et filtretur.

Rp. Huius Aceti Scillae Libram unam,
Mellis despumati Libras quatuor.
Evaporent in lebete stanneo ad syrupi consistentiam, tunc colentur per manicam e panno confectam. Serva in vitro obturato, loco frigido.

Sit Melle despumato rubicundius; ponderis specifici circiter 1,300 = 39 — 40° Bk. gr.; odore acidulo, et sapore melleo acetico, valde amaro, subacri.

Pari methodo paratur:

* OXYMEL SIMPLEX.

Sauerhonig.
Cum Aceto Vini.

Sit lucide brunneum; ponderis specifici 1,300 = 39 — 40° Bk. gr.; saporis et odoris mellei, acetici.

PASTA ALTHAEAE.

Eibisch-Lederzucker. Husten-Lederzucker.

Rp. Radicis Althaeae concisae Unciam unam.
Ebulliat in
Aquae communis Libris quatuor,
ad partis dimidiae consumtionem. In colatura dissolve
Gummi Arabici purissimi,
Sacchari albi, singulorum Libram unam,
et quidem quodlibet seorsum; colentur, et solutio igne leni, ad extracti consistentiam, continuo spathula lignea eam movendo, redigatur. Tunc ab igne remota massa agitetur assidue et celeriter, dum albescat, subinde admisce
Albumina duodecim Ovorum, tundendo in spumam conversa,
Aquae Naphae Unciam unam et dimidiam.
Inspissetur, leni calore evaporando, sub perpetua agitatione, ad iustam consistentiam, dein effundatur in capsulas chartaceas, et leni calore siccetur. Pasta siccata a charta, antea madefacta, liberetur, ac iterum siccata servetur.

Sit candida, levis, flexilis; odoris aquae Naphae ac Althaeae debilis; saporis paris, dulcis gummosi.

PASTA LIQUIRITIAE.

Brauner Lederzucker. Reglisse.

Rp. Radicis Liquiritiae decorticatae, concisae, Uncias quatuor.
Macera per noctem in
Aquae communis Libris octo.
In infuso colato seorsum solvantur
Gummi Arabici purissimi Librae duae cum dimidia,
Sacchari albi Libra una cum dimidia.
Stent per duodecim horas, iterumque colata leni igne, sine agitatione, empyreumate caute

evitato, evaporent, interea membrana de superficie nonnumquam detrahitur, donec gutta, disco vitreo frigido instillata, gelatinae spissae instar appareat. Tunc, detracta membrana, effunde in cistulas planas, e laminis ferreis, stanno obductis, paratas, et paululo Olei Amygdalarum inunctas. Taleolas e pasta, modico calore satis exsiccata, scissas, serva.

Quoad colorem vino albo vetusto similis sit, et pellucida, tenax, elastica; fere inodora, neutiquam odoris rancidi; saporis dulcis, gummosi.

⸸ PILULAE PURGANTES.

Loco Pilularum e Resina Ialappae Bor. et Pilularum mercurialium. Purgir-Pillen.

Rp. Saponis ialappini Partes octo,
Mercurii dulcis Partem unam,
Tincturae Corticum Aurantiorum sufficientem quantitatem.

Fiat massa pilularum exactissime mixta et talis consistentiae, ut pilulae ex ea formatae figuram suam retineant, etsi digito prementi paulo cedant. Formentur ope instrumenti, ad pilularum confectionem apti, singulae ponderis granorum duorum. Serva in vase clauso.

Octodecim pilulae purgantes continent resinae Ialappae grana sedecim, et Mercurii dulcis grana quatuor.

Sint massae aequabilis, consistentiae dictae; coloris brunneo-flavi; odoris ac saporis nauseosi Ialappae insignis.

Dosis. Pilulae sex, duodecim, usque ad octodecim homini adulto.

PLUMBUM USTUM.

Oxydulum Plumbi Bat. Protoxydum Plumbi Belg. Oxydum plumbosum. Oxodes Plumbi nigrum. Bleiasche. Gebranntes Blei.

Plumbum purum, in patina ferrea liquatum, superficie in oxydum cinereum vertitur, quod in pulverem subtilem redigendum est.

POTIO PURGANS.

Laxier-Trank.

Rp. Foliorum Sennae Unciam dimidiam.
Lenissimo calore per quadrantem horae digere sufficiente quantitate
Aquae fervidae.
Colaturae Librae dimidiae adde
Tincturae Corticum Aurantiorum Drachmam unam cum dimidia,
Syrupi Cerasorum Unciam dimidiam.
Misce. Ex tempore paranda.

POTIO TEMPERANS.

Loco Potionis Riveri. Niederschlagender Trank.

Rp. Salis Tartari, quantum tibi conveniat,
Aceti Vini, quantum sufficit
ad saturationem. Ex tempore paranda.

* PULPA TAMARINDORUM.

Tamarinden-Mark.

Rp. Fructuum Tamarindorum, quantum vis.
Macera in
Aquae communis pari pondere,
et cribro setaceo cerne. Pultem liquidam inde obtentam in lebete stanneo, igne moderato, assidue agitando ad Mellis consistentiam evaporare fac, et tunc unicuique librae adde
Sacchari albi pulverati Uncias duas,
fiat, evaporatione continuata, electuarium spissum. Serva in vase murrhino, loco frigido, sicco.

Sit nigro-brunnea, splendens; saporis acidi amoeni. Cum aqua bullienti diluta, immissum ferrum politum cuprum ne prodat.

PULVIS AD ERYSIPELAS.

Pulver gegen die Rose.

Rp. Farinae triticeae Uncias sex,
Pulveris Plumbi usti,
Boli Armenae, singulorum Uncias duas,
Mastiches,
Olibani,
Cerussae, singulorum Unciam unam.

Misce, fiat terendo pulvis subtilissimus. Serva vase clauso.

‡ PULVIS ALTERANS PLUMMERI.

Plummers blutreinigendes Pulver.

Rp. Mercurii dulcis,
Sulphuris aurati Antimonii, singulorum Partes aequales.

Misce exactissime et para ex tempore.

Dosis. Granum unum vel duo singulis diebus.

PULVIS ANTISPASMODICUS STAHLII.

Stahls krampfstillendes Pulver.

Rp. Cinnabaris artificialis levigatae Partem unam,
Pulveris Nitri depurati,
Tartari vitriolati, singulorum Partes decem.

Misce exactissime, et serva vitro obturato.

Dosis. Grana decem usque ad scrupulum unum.

PULVIS AROMATICUS.

Gewürz-Pulver.

Rp. Pulveris Corticis Cassiae cinnamomeae Partes duas,
Seminis Cardamomi minoris,
Radicis Zingiberis,
Piperis albi, singulorum Partem unam.

Misce exactissime. Para ex tempore.

PULVIS CONTRA STRUMAS.

Kropf-Pulver.

Rp. Spongiae ustae Partes tres,
Sacchari albi Partem unam.

Misceatur et terendo fiat pulvis, qui extempore parandus est.

PULVIS DENTIFRICIUS.

Zahn-Pulver.

Rp. Pulveris Corticis Chinae Partes sex,
Herbae Salviae,
Myrrhae,
Cremoris Tartari, singulorum Partem unam,
Pulveris Catechu Partem unam et dimidiam.

Misce ex tempore et adde ad quamlibet unciam huius pulveris
Olei Caryophyllorum destillati Guttas viginti.

☨ PULVIS IPECACUANHAE OPIATUS.

Pulvis Opii compositus Belg. Pulvis Ipecacuanhae compositus. loco Pulveris anodyni Doveri. Brechwurzel-Pulver mit Mohnsaft. Doversches Pulver.

Rp. Opii pulverati,
Pulveris Radicis Ipecacuanhae, singulorum,
Partem unam,
Tartari vitriolati Partes octo.

Ex tempore, exactissime, misceantur.

Pulveris huius grana decem contineant Opii granum unum.

Dosin Opium indicat.

PULVIS INFANTUM ANODYNUS.

Pulvis puerorum citrinus Hann. Pulvis infantum citrinus. Pulvis carminativus. Linderndes Kinderpulver. Windpulver.

Rp. Magnesiae albae Drachmas sex,
Pulveris Radicis Iridis Florentinae,

Pulveris Seminis Anisi,
Sacchari albi, singulorum Drachmas duas,
Croci Grana viginti.
Misce, fiat pulvis. Serva vitro clauso.

PULVIS PECTORALIS.

Pulvis Liquiritiae compositus Bor. Brustpulver. Zusammengesetztes Süßholzpulver.

Rp. Pulveris Radicis Liquiritiae,
Foliorum Sennae, singulorum Partes duas,
Seminis Foeniculi,
Florum Sulphuris, singulorum Partem unam,
Pulveris Sacchari albi Partes sex.
Misce ex tempore.

PULVIS REFRIGERANS.

Pulvis pro Limonada. Kühlendes oder Limonaden-Pulver.

Rp. Elaeosacchari Citri Partes viginti et quatuor,
Salis essentialis Tartari Partem unam.
Misceatur et terendo fiat pulvis, qui ex tempore parandus est.

PULVIS STERNUTATORIUS.

Nies-Pulver. Grüner Schnupftabak.

Rp. Herbae Maioranae Partes tres,
Mari veri,
Florum Lilii convallium,
Radicis Iridis Florentinae, singulorum Partem unam.
Misce, fiat pulvis. Serva vitro clauso.

PULVIS STYPTICUS.

Blutstillendes Pulver.

Rp. Pulveris Gummi Arabici,
Colophonii,

Pulveris Aluminis crudi, singulorum Partes aequales.

Misce ex tempore.

PULVIS TEMPERANS.

Niederschlagendes Pulver.

Rp. Tartari vitriolati,
Nitri depurati, singulorum Partes aequales.

Misce ex tempore, ut fiat pulvis.

REGULUS ANTIMONII.

Stibium purum Bor. Bat. Spiesglanzkönig. Reines Spiesglanzmetall.

Rp. Frustulorum Ferri puri Uncias sex.

Crucibulo Hassiaco, satis capaci, ingere, ac igni vehementi furni anemii expone, ut candescat, tunc adde

Antimonii crudi Hungarici, crasse comminuti, Uncias duodecim.

Liquescat; liquato sensim, ut maior detonatio evitetur, iniice:

Nitri depurati, quam maxime sicci, Uncias quatuor.

Ac, cum aquae instar fluxerint, effunde in conum fusorium, leniter concutiendum, ut subsideat metallum reductum. Quod quum refrigeratum est a scoriis separa, et in pulverem redige. Admisce

Nitri depurati pulverati, quam maxime sicci, Partem octavam,

Antimonii crudi Hungarici pulverati Partem vigesimam.

Tunc igne graviori colliqua, et in conum fusorium transfunde. Post refrigerationem metallum purum a scoriis separa.

Sit stanni coloris, splendens, texturae laminosae; ponderis specifici 6,7 — 6,8; contundendo valde dissiliens, facile pulveratu; aestu rutilo, atmosphaera accedente, et tubuli ferruminatorii ope, in specie fumi albi, inodori diffugiat.

Ab Arsenico et metallis nocentibus liber sit, ac chemice uti Antimonium crudum investigetur. Praeterea liquor nitrico-acidus, uti ad Antimonium crudum notavimus, oxydo Antimonii innatans, cum Lixivio caustico subsaturatus, affuso liquore Salis mirabilis Glauberi ne turbetur.

‡ RESINA IALAPPAE.

Jalappenharz.

Rp. Radicis Ialappae, quantum vis.

In pulverem crassum redactae et vesicae cupreae, stanno intus obductae, immissae affunde

Spiritus Vini rectificati diluti, 12° Ar. Bk. lev., quadruplum.

Digerantur leni calore per dies tres, subinde agitatae, dein fluidum coletur et residuum probe exprimatur. Tinctura obtenta, per filtrum colata, denuo vesicae immissa, destillando a Spiritu liberetur. Resinam, in fundo vesicae haerentem, sepone. Tum residuum radicum expressum Spiritu, hoc modo obtento, denuo superfunditur, et modo antea descripto digeritur, tinctura deinde post dies tres colata, residuum exprimitur. Spiritu iterum de tinctura filtrata destillato, resina residens, cum priore seposita, tam diu aqua tepida abluitur, quam aqua tincta adparet. Hoc peracto, resina in vase cupreo, stanno obducto, cui ignis lenior subiectus est, ab humiditate liberatur, perpetue agitando, ac denique in cylindros formata siccetur.

Sit massa fusca, in superficie, ob mixtionem minus aequabilem, grisea, compacta, facilis ruptu, fracturae loco resinose-splendens, fragmentis parce lucidis, friabilis, triturae griseae-flavescentis; odoris, imprimis trita, nauseosi; saporis primum parci, mox acris, fauces diu vellicantis. Aquam calidam, cum teritur, ne tingat; in Lixivio caustico in duabus partibus Spiritus Vini rectificatissimi ac Naphthae Aceti plane solvatur, aegrius in Acido Aceti, vix vero Naphthae Vitrioli frigidae copiam maiorem colore imbuat, vel in ea solvatur.

Dosis. Grana quatuor vel decem.

ROB DAUCI.

Succus Dauci inspissatus Bor. Eingedickter Möhrensaft.

Rp. Radicum Dauci recentium, lotarum et rasarum, quantum libet.

Sacco linteo inclusis exprimatur prelo succus, qui semel ebulliendo ac colando clarificetur, et leni calore in lebete stanneo sub perpetua agitatione, ad Mellis consistentiam evaporet. Serva uti, extracta.

Sit brunneum, in fila ductum diaphanum, consistentiae dictae; odoris proprii aciduli; saporis paris dulcis. Cum aqua dilutum, immissum ferrum politum cuprum ne prodat.

ROB IUNIPERI.

Succus Iuniperi inspissatus Bor. Extractum Iuniperi Bav. Wachholdermuß. Wachholderlatwerge.

Rp. Baccarum Iuniperi maturarum, recentium contusarum, quantum tibi conveniat.

Coque in sufficiente quantitate
Aquae communis,
per horam dimidiam, tunc modice exprimantur.

Succus expressus evaporet leni calore lebete stanneo ad Mellis consistentiam. Serva, uti extracta.

Rob et oleum Iuniperi destillatum, uno eodemque labore parari possunt, destillando in vesica cuprea, stanno intus obducta.

Sit rutile brunneum, consistentiae dictae, saporis quodammodo iuniperini, dulcis, denique amaricantis. Utrum cuprum insit, pari modo, ut in Rob Dauci explorandum est.

* ROB SAMBUCI.

Succus Sambuci inspissatus Bor. Pulpa Sambuci Bav. Hollundermuß. Hollunderlatwerge.

Rp. Succi Baccarum Sambuci maturarum expressi, et residendo colandoque defaecati Partes octo,
Sacchari albi Partem dimidiam.

Coque leni calore ad Mellis consistentiam, ut supra dictum est.

Sit brunneo-nigrum, chartam colore brunneo rubente depingens; splendoris picei; saporis sambucini insignis, e dulci aciduli. Ne cuprum contineat.

ROTULAE MENTHAE PIPERITIDIS.

Pfeffermünzkügelchen.

Rp. Sacchari albissimi, pulverati, quantum vis.
Sartagini cupreae, stanno probe obductae, rostratae, ingesto, admisce
Aquae Menthae piperitidis, quantum satis,
ut fiat massa spissitudinis unguenti, cui, igni admotae, sub continua agitatione probe calefactae et liquatae ingere
Sacchari albissimi pulverati, quantum satis,
ut guttulae exemtae indurescant, tunc admisce cuilibet unciae Sacchari adhibiti,
Olei Menthae piperitidis destillati Guttas duodecim,
quo facto, fiant cito, lege artis, rotulae. Massae refrigeratae, in sartagine forte remanenti, igne non liquescenti, denuo pauxillum aquae, sacchari et olei addatur, et formatio rotularum repetatur.

Sint siccae, odoris ac saporis Olei Menthae piperitidis, insignis.

✠ * SACCHARUM SATURNI DEPURATUM.

Plumbum aceticum Bor. Acetis Plumbi Bat. Acetas Plumbi depuratus Bav. Acetas Plumbi in crystallos concretus Gall. Acetas Plumbi acidulus siccus Aust. Plumbi superacetas Lond. Gereinigter Bleizucker. Eßigsaures Bleioxyd.

Venale, si purum non prostet, sequenti modo depures:

Rp. Sacchari Saturni venalis, quantum libet.
Solve in

Aquae destillatae calidae sufficiente quantitate. Solutionem calidam filtra, et loco frigido ad crystallisandum sepone. Liquorem remanentem ad dimidium evaporare fac, ut denuo in crystallos abeat. Crystallos collectas, et inter chartam bibulam siccatas, serva in vitro obturato.

Caeterum vide Saccharum Saturni venale.

* SAL AMARUM DEPURATUM.

Magnesia sulphurica Bor. Sulphas Magnesiae depuratum Aust. Bat. Belg. Sulphas Magnesiae purus Bav. Gall. Sulphas Magnesiae purificatum Lond. Sal Epsoniense, Sedlitzense et Seidschützense depuratum. Sal anglicum catharticum depuratum. Magnesia vitriolata depurata. Gereinigtes Bittersalz. Englisches Salz. Schwefelsaure Magnesia.

Deficiente venali puro, hac ratione depuratur:

Rp. Salis amari venalis, quantum libet.
Solve lebeti stanneo immissum in
Aquae fervidae quantitate pari.

Solutionem calidam cola, ac in loco frigido sepone. Remotis crystallis, liquorem restantem iteratim, et semper ad dimidium, evaporare fac, quam diu per refrigerium crystallos puras largitur. Crystallos leni calore cito sicca, et in vasis clausis serva.

Caetera supra vide, ubi de Sale amaro venali sermo est.

* SAL AMMONIACUM DEPURATUM.

Ammonium muriaticum depuratum Bor. Murias Ammoniae depuratus Bav. Bat. Belg. Murias Ammoniae purus Aust. Gall. Lond. Hydrochloras Ammoniae loco Florum Salis Ammoniaci. Gereinigter Salmiak. Salzsaures Ammonium.

Si venale iusta puritate non gaudeat, sequenti modo depuretur:

Rp. Salis Ammoniaci venalis, quantum libet.
Solve, vasi vitreo aut murrhino immissum, in
Aquae fervidae tripla quantitate.

Solutionem filtra per chartam bibulam, dein evaporare fac, donec membranula oriatur, ac per viginti quatuor horas loco frigido sepone, ut crystalli fiant. E liquore defuso, iterata evaporatione et refrigeratione, crystallos elice, quamdiu purae evadunt, quas in paribus vasis planis, leni calore perfecte desicca. Serva vitris, vel vasis murrhinis, probe clausis.

Crystallisatione lenta receptum formet octaëdra, praecipue vero tetraëdra in crustas coalita; subita crystallisatione vero paratum prismata tetragona, aciniformia, bipinnata exhibeat. Ceterum crystalli signa puritatis, in Sale Ammoniaco venali commemorata, praebeant.

SAL AMMONIACUM FIXUM.

Calcaria muriatica Bor. Murias Calcis Bat. Belg. Aust. Gall. Lond. Murias Calcariae Bav. Fixer Salmiak. Salzsaure Kalkerde.

Rp. Calcis vivae Partem unam.
Residui de praeparatione Alkali volatilis sicci, vel Spiritus Salis Ammoniaci caustici Partes undeviginti.

Coque in lebete stanneo cum
Aquae communis Partibus duodecim.

Liquorem per linteum arctioris texturae cola, ac sedimento deposito, defunde in simile vas, in quo spathula agitatus evaporando siccetur. Tum grumos, in crucibulo Hassiaco, igne sensim aucto, penitus liquatos, et in mortarium ferreum immissos ac semirefrigeratos, ruditer contunde. Denuo solve in
Aquae fervidae Partibus tribus,
ac liquorem filtratum, in lebete stanneo evaporando, uti supra, inspissa. Exsiccatos grumos, adhuc calentes, ingere vitris, obturamentis vitreis exacte claudendis.

Cum tibi non est residuum, para e saturatione Calcis purae cum Acido Salis. Solutio filtretur, et in vase dicto evaporet, sal residuum denuo solvatur, et solutum iterum filtretur, atque ad siccum evaporet.

Pulvis albus, salino-micans; saporis acris, amari, salsi, calidi; atmosphaerae tactu facile liquescens, excandefactus fusilis, ac persistens; in quarta parte aquae destillatae ac in minore quantitate bullientis solubilis, etiam in Spiritu Vini rectificatissimo solvatur. A ferro liber sit, quod Tincturae Gallarum ope eruendum. Cuprum, lamina ferri polita solutioni ingesta, prodit.

* SAL COMMUNE DEPURATUM.

NATRUM MURIATICUM BOR. MURIAS SODAE PURUS BAV. MURIAS SODAE DEPURATUM BELG. BAT. AUST. GALL. NATRUM HYDROCHLORICUM. Reines Kochsalz. Salzsaures Natrum.

Si venale purum non prostet, depuretur sequenti methodo:

Rp. Salis communis venalis, quantum libet.
Solve in
Aquae communis bullientis tripla quantitate.
Liquori fervido instilla
Sal Sodae depuratae in aqua solutum,
donec non amplius turbetur. Sedimento sponte posito, filtra liquorem per chartam bibulam, ac sub leni evaporatione fiant crystalli, in charta bibula siccandae. Serva vase clauso.

De ceteris supra diximus, cum Salis communis venalis mentionem fecimus.

* SAL ESSENTIALE TARTARI.

ACIDUM TARTARICUM BOR. BAV. BELG. AUST. GALL. ACIDUM TARTAROSUM BAT. Wesentliches Weinsteinsalz. Weinsteinsäure. Weinsäure.

Rp. Cretae albae, bene elotae, siccatae, Uncias sedecim,
Aquae communis Libras viginti.

Catino cupreo, stanno puro probe obducto, immissae et mixtae incalescant ad lenem ebullitionem, tunc sensim ingere

Cremoris Tartari Libras quinque

circiter, vel quantum requiritur ad cretae saturationem, dein affunde

Salis Ammoniaci fixi, puri, liquidi, quantum sufficit,

ad decompositionem Tartari tartarisati orti. Resideat liquor, postea liquidum clarum a sedimento defunde. Calcariam tartaricam residentem, saepius cum aqua calida ablutam, et inde a sordibus et lixivio liberatam, patinae porcellaneae immitte et adde

Acidi Vitrioli concentrati puri, Libras duas et Uncias septem,

diluti cum

Aquae destillatae Libris sedecim,

stent saepius bacillo vitreo agitata, lente digerendo, per triduum, quo facto, liquorem per manicam linteam filtra, et residuum, cum

Aquae frigidae Libris duabus

elotum, in prelo ligneo depurato probe exprime ac hanc agendi rationem repete, donec residuum penitus ab acido liberatum sit. Liquores mixti ac filtrati in patina murrhina ad syrupi tenuioris consistentiam evaporent, et loco frigido seponantur. Denique filtrando per linteum densum a gypso liberati, loco tepido, evaporatione quasi spontanea in crystallos abeant, quas, super charta bibula siccatas, in vitris vel vasis murrhinis, probe clausis, serves.

Referat prismata maiora, hexagona, lateribus duobus latioribus, planis binis convergentibus acuminata, et quatuor angustioribus, latioribus bifariam oppositis, saepius vero crystalla minora tabulaeformia, rectangularia, quadrangularia, lateribus acuminatis, coalita, alba, diaphana, dura, in atmosphaera persistentia; saporis peracidi; odoris nullius. In parte una cum dimidia, vel duabus Aquae destillatae et

in dimidia parte bullientis, etiam, quamquam aegrius, in Spiritu Vini rectificatissimo, sine residuo solubile. Octogesimo caloris gradu fundatur, et in liquorem decolorem abeat, qui, aestu aucto, spumescat, colorem ducat, vapores odoris Sacchari tosti edat, dein inflammetur et denique carbonem tenuem relinquat. A gypso et a metallis liberum censendum, si solutio aquosa, sat diluta, liquore Barytae nitricae affuso, clara permaneat, et portio altera cum Spiritu Salis Ammoniaci aquoso mixta et supersaturata, vel affusa Aqua hydrosulphurata, nec turbetur neque colorem ducat.

* SAL MIRABILE GLAUBERI DEPURATUM.

Natrum sulphuricum crystallisatum Bor. Sulphas Sodae Bav. Bat. Belg. Aust. Gall. Sodae sulphas Lond. Soda vitriolata. Proto- (Deuto- Gall.) Sulfas Sodii. Reines Glaubersalz. Crystallisirtes schwefelsaures Natrum.

Rp. Residui salini, ex destillatione Acidi Salis obtenti, quantum vis.

Contere et solve vase figulino immissum coctione in

Aquae communis sufficiente quantitáte,

adde

Salis Sodae depurati, quantum requiritur

ad perfectam saturationem Acidi, adhuc praevalentis. Lixivium, per chartam bibulam filtratum, evaporet ad cuticulam et reponatur in loco frigido, ut crystalli oriantur, quae in charta bibula, loco umbroso, cito siccentur.

Lixivium simili modo ex praecipitatione Magnesiae albae, Sale Sodae adhibito, obtentum, dat Sal mirabile evaporando et crystallisando.

Serva in vasis, probe clausis, loco frigido.

Si Pharmacopoei hoc Sal minori pretio emunt, quam illud constat, quod ipsi parant, et si non purum est, ad modum Salis amari depurent.

Ceterum signa puritatis respondeant illis, quibus Sal mirabile Glauberi venale exploratur.

SAL MIRABILE GLAUBERI SICCATUM.

Getrocknetes Glaubersalz.

Sal mirabile Glauberi depuratum, crasse tritum, solis aut modico fornacis calori expone, donec in pulverem omnino siccum fatiscat, tum cribro cerne, et serva in vasis obturatis.

SAL POLYCHRESTUM SEIGNETTI.

Tartarus natronatus Bor. Tartras Potassae et Sodae Bav. Belg. Gall. Tartris Potassae et Sodae Bat. Tartras Lixivae et Sodae Aust. Soda tartarizata Lond. Deuto-Tartras Potassii et Sodii. Seignettesalz. Natrumhaltiger Weinstein.

Rp. Salis Sodae depurati, crystallisati, Libras duas,
Aquae communis bullientis Libras octo.

In lebetem stanneum immissis, solutioni bullienti adde paulatim
Cremoris Tartari Libras tres
circiter, vel quantum sufficit ad Sodae saturationem.

Tum denuo ingere
Salis Sodae depurati Unciam unam.

Refrigescat liquor, dein filtretur et evaporet, dum guttula, lapidi instillata, crystallos edat; tunc loco frigido ad crystallisandum seponatur. Liquor residuus iterata evaporatione in crystallos cogitur, quae, inter chartam bibulam siccatae, in vitris clausis servantur.

Sint prismata maiora, alba, diaphana, quadri- sex- et octolatera, saepe dimidiata, truncata; saporis amariusculi subsalsi, refrigerantis; in atmosphaera vix fatiscentia; in parte una cum dimidia aquae destillatae ac in parte, pondere ipsorum minore, bullientis solubilia. Sal aestui expositum primum in aqua crystallis propria solvatur, dein exsiccatum, igne aucto, comburatur et carbonem edat. Solutio, addito liquore Plumbi nitrici, praecipitatum exhibeat, quod in Acido Nitri affuso statim solvatur, ab acidis plurimis decomponatur, Cremorem Tartari edens. A metallis liberum reperiatur.

* SAL SODAE DEPURATUM.

Natrum carbonicum crystallisatum Bor. Sub-Carbonas Sodae Bav. Belg. Gall. Carbonas Sodae alcalinum Bat. Carbonas Sodae alcalinus crystallisatus Aust. Sodae subcarbonas Lond. Soda depurata. Sub-Deuto- vel Proto-Carbonas Sodii. Alkali minerale crystallisatum. Gereinigte Soda. Kohlensäuerliches crystallisirtes Natrum. Gereinigtes mineralisches Laugensalz.

Si Soda venalis crystallisata pura non prostat, sequenti methodo depures:

Rp. Sodae crystallisatae venalis, quantum libet.

Catino ferreo polito ingestam super igne moderato cum spathula ferrea agita, donec integre in aqua crystallisationis propria liquescat, deinde liquor per brevius temporis spatium in quiete subsideat, ut salia aliena praecipitentur, tum fluidum caute in catinum stanneum defunde, ac tres quadrantes aquae destillatae adde, denique ad ebullitionem aestuatum filtretur, et loco frigido, ut in crystallos abeat, seponatur. Crystallos aëre siccatas, in vasis vitreis vel murrhinis, probe clausis, serva.

A Sale communi ac mirabili Glauberi liberum sit, et solutio aquosa, cum Acido Nitri saturata non ab Argenti nitrici liquore, atque vix ab Aqua Barytae turbanda, affuso liquore probatorio Vini Hahnemanni Plumbum ne prodat. Signa physico-chemica vide sub Soda in Parte I.

SAL SODAE DEPURATUM SICCUM.

Getrocknete gereinigte Soda.

Sal Sodae depuratum crasse tritum solis aut modico fornacis calori expone, donec in pulverem, omnino siccum, fatiscat, quem cribro cretum serva.

SAL SODAE PERFECTE SATURATUM.

Natrum carbonicum perfecte saturatum Bor. Natrum carbonicum neutrale Hann. Carbonas Sodae

Bat. Belg. Bav. Gall. Sodae carbonas Lond. Carbonas Sodae completum. Deuto-Carbonas Sodii. Alkali minerale perfecte saturatum. Natrum carbonicum acidulum (improprie dictum). Gesättigte luftsaure Soda. Gesättigtes kohlensaures Natrum. Gesättigtes luftsaures mineralisches Laugensalz.

Rp. Cretae albae, seu Lapidis calcarei purioris, pulverati Partem unam et dimidiam,
Aquae communis Partes quatuor.

Retortae tubulatae, cui circiter dimidius ambitus excipuli sit, ingere ac quassando in pultem redige. Tum adapta excipulum tubulatum, cui solutio filtrata ex

Salis Sodae depurati Partibus duabus et
Aquae destillatae Partibus tribus

inest, ita ut rostrum retortae superficiem solutionis fere tangat, quae excipulum non ultra vicesimam voluminis sui partem impleat.

Vasis luto farinaceo et vesicis clausis, ac loco, cuius temperatio 12° calorem non excedit, firmiter dispositis, per tubulum retortae

Acidi Vitrioli diluti Partes duodecim

ita instilla, ut, quotiescunque fiat, non ultra decimam eius partem, et, una parte infusa, secundam non ante horae intervallum sumas.

Tubum retortae, Acido Vitrioli addito, semper subere statim obtura, et ingesta prima portione, dimidiam post horam tubulum excipuli vesica duplici omnino claude. Omni Acido immisso, bacillo ligneo, per tubi orificium retortae intruso, pultem, adhuc Aëre fixo scatentem, saepius verte, obturaculum subereum statim applicans. Post quadraginta octo demum horas, aut serius, pultis effervescentia penitus finita, apparatum dirime.

Liquore defuso, crystallos ortas inter chartam bibulam, calore 20° usque 25°, desicca. Lixivium defusum pari calore, in vasis vitreis planis tamdiu, quamdiu crystallos perfecte saturatas deponit, eva-

poret, ac crystalli denique siccescant. Servantur vitro probe obturato.

Crystalla, plerumque in crustas concreta, minora tabulaeformia, tetragona, obliqua, alba, clara, nitida, tactu aëris superficie tabescentia; saporis subalkalini mitioris; pars una in tredecim partibus Aquae destillatae solvatur, solutio Chartam exploratoriam flavam nec permutet, neque a liquore Salis amari turbetur; calefacta Aërem fixum (Gas carbonicum) eructet.

* SAL SUCCINI VOLATILE.

Acidum succinicum Bor. Bat. Belg. Bav. Aust. Gall. Flüchtiges Bernsteinsalz. Bernsteinsäure.

Rp. Succini contusi Libras tres,
Olei Vitrioli Nordhusani,
Aquae communis, singulorum Uncias duas.

Patinae fictili vitreatae immissa torrefacias, massam turgescentem leniter agites spathula lignea. Tunc cum illis retorta vitrea, colli amplioris, ad dimidium voluminis sui impleatur, et balneo arenae imponatur; adaptetur excipulum amplum, tubulo vitreo curvato praeditum, quod cum vase, lac Calcis (Calcem vivam, aqua exstinctam et dilutam) continente, coniunctum est. Balneum igne, primum leni, dein ad Succini liquationem aucto, candefiat; destillet Succini et oleum, et sal, neque non humor. Destillatione cessante, Succino fuso non amplius spumescente, vasa refrigescant.

Sal sublimatum in collo retortae, cum liquido in excipulo misceatur, et, addita aquae destillatae sufficiente quantitate, digestionis ope solvatur. Liquorem separatorio vitreo immitte, ab oleo libera, dein per chartam bibulam filtra, ac in patina porcellanea evaporare fac, donec membranula salina orta sit; crystalla, per refrigerationem orta, a liquore separata, inter chartam bibulam sicca, et liquorem iterata evaporatione in crystalla coge, quae siccata prioribus addas. Serva vitro obturato.

Referat prismata striata, trigona, compressa vel planis quatuor, angulis lateralibus insidentibus, acuminata vel truncata, saepius in lamellas vel crustas concreta, flaviuscula, diaphana; aëre persistentia; odoris olei Succini; saporis paris, acidi, acris. In Aquae destillatae partibus viginti et septem, in bullientis tribus, in Spiritus Vini rectificatissimi frigidi partibus octo, et in una cum dimidia parte bullientis, integre solubile. In retorta igni expositum liquescat, ac sensim sub forma vaporum alborum, acidorum, sine residuo diffugiat, qui in collo retortae refrigerati, in crystalla acicularia, longa, vel laminaeformia concrescant.

Si sale Succini venali uti vis, cura, ut purum accipias, quod indagabis sublimando, vel solvendo Sal investigandum in Spiritu Vini rectificatissimo; residuum salinum adulterationis index est; solutio aquosa concentrata nec, instillatis Lixivii caustici guttulis, praecipitatum album crystallinum (Cremorem Tartari) edat, nec aqua satis diluta liquore Salis Ammoniaci fixi neque Barytae nitricae turbanda. Sal concretum cum Calce viva praeponderante contritum, Alkali volatile ne spiret. Conf. etiam Liq. Corn. Cerv. succin.

* SAL TARTARI.

Kali carbonicum Bor. Subcarbonas Potassae purus Bav. Kali subcarbonicum Hann. Carbonas Lixivae alcalinus Aust. Subcarbonas Potassae ex Tartaro combusto Gall. Potassae subcarbonas Lond. Alkali vegetabile aëratum. Sub-Deuto- vel Proto-Carbonas Potassii. Weinsteinsalz. Reines kohlensäuerliches Kali. Reines vegetabilisches Laugensalz.

Rp. Tartari crudi, quantum vis.

Crucibulo vel retortae ferreae immissum, uratur, donec sine flamma seu fumo candeat. Residuum, adhuc calidum, in mortario ferreo pulveratum, solve in

Aquae bullientis sextuplo.

Solutionem, filtrando vasi murrhino infusam, sepone loco frigido per viginti quatuor horas, et denuo filtratam, evaporare fac in vase ferreo, polito, ad perfectam siccitatem. Serva in vasis vitreis vel murrhinis, probe clausis, loco sicco.

Characteres physicos Cinerum clavellatorum depuratorum praebeat; solutio in aqua destillata cum Acido Nitri puro saturata, clara, affuso Spiritu Salis Ammoniaci caustico terras ne prodat, et satis diluta neutiquam a liquore Argenti nitrici neque Barytae nitricae turbetur.

SAL TARTARI PERFECTE SATURATUM.

Kali carbonicum perfecte saturatum Bor. Kali carbonicum neutrale Hann. Carbonas Potassae Bat. Belg. Bav. Gall. Potassae Carbonas Lond. Carbonas Potassae completum. Deuto-Carbonas Potassii. Alkali vegetabile perfecte saturatum. Kali carbonicum acidulum (improprie dictum). Gesättigtes Weinsteinsalz. Gesättigtes kohlensaures Kali. Gesättigtes luftsaures vegetabilisches Laugensalz.

Simili modo, ac Sal Sodae perfecte saturatum, e Sale Tartari paratur ac servatur.

Sint plerumque prismata tetragona, rhomboica recta, planis duobus convergentibus truncata, interdum ad formam tabulae usque compressa, alba, pellucida, in atmosphaera persistentia; saporis alkalini mitioris; pars una in quatuor partibus Aquae destillatae et in parte una ferventis solvatur; solutio coquendo Gas carbonicum (Aërem fixum), neutiquam Alkali volatile evolvat, aeque ac Sal calefactum; ceterum nec liquorem Salis amari dilutiorem, nec Chartam exploratoriam flavam permutet.

☨ SAPO ANTIMONIALIS.

Sapo stibiatus Bor. Bat. Belg. Sapo hydrosulphureti oxiduli Stibii sulphurati Bav. Spiesglanzseife.

Rp. Sulphuris aurati Antimonii Unciam unam,
Lixivii caustici vegetabilis Uncias tres.

Coquantur in lebete ferreo, saepius agitata, donec Sulphur auratum Antimonii solutum sit, tum adde
Aquae destillatae bullientis triplum.

In hoc liquido dissolve
Saponis medicati, siccati, rasi, Uncias sex.

Sedulo versata, evaporent leni igne, donec in grumos, flavido-cinerascentes, consistentiae massae

pilularis abierint. Statim ingere vitris, obturaculis vitreis probe claudendis.

Grumi, quorum colorem aër decompositione saepe in aurantiacum mutat, sint, consistentiae dictae, attactu saponi similes; odoris paris, subacris; madefacti Aërem hepaticum (Gas hydrosulphuratum) spirantes. In aqua, et Spiritus Vini rectificati partibus sedecim pars una solvatur sine separatione olei aut sedimenti aurantiaci, ut fieri solet addito Acido Vitrioli.

SAPO GUAIACINUS.

Guajakseife.

Rp. Lixivii caustici Partem unam,
Aquae communis Partes duas.

Ebullientibus in aheno ferreo sub continua agitatione sensim admisce
Resinae Guaiaci, quantum solvitur.
Liquorem colatum leni calore ad siccitatem inspissa. Serva in vase porcellaneo vel murrhino, charta tecto, loco sicco.

Sit e fusco-viridulus, grumosus; odoris ac saporis guaiacini, neutiquam Alkali causticum prodentis; in Aqua destillata solubilis.

☨ SAPO IALAPPINUS.

Jalappenseife.

Rp. Resinae Ialappae,
Saponis medicati, singulorum Unciam unam,
Spiritus Vini rectificati, quantum requiritur,
ut solvantur leni digestione. Tum ad massae pilularis consistentiam evaporare fac. Serva, ut supra dictum.

Sit laete fuscus, viscidus; odoris ac saporis nauseosi Ialappae, neutiquam saporis alkalini caustici; in Aqua destillata solubilis.

Dosis. Grana decem vel scrupulum unum.

* SAPO MEDICATUS.

Sapo albus Bat. Belg. Sapo Sodae oleaceus Bav. Sapo ex Olivo et Sodae Gall. Medicinische Seife. Reine Oelseife.

Rp. Olei Olivarum provincialis Partes duas.

Cui patinae porcellaneae vel murrhinae, balneo aquae impositae, immisso sensim affunde

Lixivii caustici mineralis Partem unam.

Exaestuantur, assidue agitando cum spathula lignea, per horas duas, vel ultra, donec sapo aequalis et spissa appareat. Si forte oleum superfluum secernitur, pauculum Lixivii caustici mineralis adde. Massa effundatur in cistas ligneas, planas, foraminibus parvis pertusas, vel capsulas chartaceas. Indurata scindatur in taleolas, loco temperato exsiccandas.

Sit albida, consistentiae durioris; odoris debilis proprii, non rancidi; saporis mitioris, non caustici; in Aqua destillata, et Spiritu Vini tota solvatur.

SERUM LACTIS DULCE.

Süße Molke.

Rp. Lactis vaccini, cui flos omnis ademtus est,

Libras quatuor.

Ebulliat in lebete cupreo, intus stanno obducto, tum ingere

Cremoris Tartari Scrupulos quatuor usque sex.

Mixta ebulliant iterum, dum caseosa pars in coagulum abierit, quo facto serum coletur, cui tunc, ut penitus clarum evadat, adde

Albumen Ovorum duorum, in spumam conversum,

post unicam ebullitionem serum per chartam bibulam filtra. Paratur ex tempore.

Copia dicta lactis praebet seri limpidi uncias triginta et duas, coloris flavescentis.

SERUM LACTIS ALUMINATUM.

Alaun-Molke.

Paratur eodem modo ut prius, ita tamen, ut Cremoris Tartari loco ad lac coagulandum pulvis Aluminis crudi adhibeatur.

SINAPISMUS SIMPLEX.

Einfacher Senfteig.

Rp. Pulveris crassi Seminis Sinapis Partes quinque,
Aceti crudi Partes tres.
Fiat pasta.

SINAPISMUS FORTIOR.

Scharfer Senfteig.

Rp. Fermenti panis,
Pulveris crassi Seminis Sinapis, singulorum Partes tres,
Piperis nigri Partem unam,
Aceti crudi, quantum satis,
ut fiat pasta.

SODA PHOSPHORICA.

Natrum phosphoricum Bor. Phosphas Sodae Bat. Belg. Sub-Phosphas Sodae Bav. Gall. Phosphorsaure Soda. Phosphorsaures Natrum.

Rp. Pulveris Cornu Cervi usti albi, aut aliorum ossium animalium mammalium ad albedinem calcinatorum, Libras quinque.
Misce in vase murrhino cum
Aquae communis Libris quindecim.
Deinde sub assidua agitatione sensim adde
Olei Vitrioli Nordhusani Libras quatuor cum dimidia.
Horis duodecim elapsis, iterum adde
Aquae communis fervidae Libras quindecim usque viginti,
et mixtionem, frequenter agitando, per horas

quadraginta et octo super igne digere; tum fluidum per linteum cola, ac residuum, bene elotum, in prelo, laminis ligneis vel stanneis munito, exprime. Liquori obtento, in aheno stanneo, capace, calefacto, sensim affunde

Liquorem Salis Sodae depuratae concentratum,

donec acidum saturatum sit, ac Soda paullulum praevaleat; tunc filtretur et residuum eluatur. Filtratum evaporet, donec gutta, lapidi instillata, crystallos exhibeat, denique in vase faventino per viginti et quatuor horas, loco frigido ad crystallisandum seponatur. Crystallis ortis, liquorem defusum iterato evaporare fac, ac refrigera, quam diu crystallos Sodae phosphoricae largitur. Quas collectas inter chartam bibulam desicca, et statim in vitris, obturaculis vitreis clausis, ingere.

Sint prismata tetragona, maiora, alba, pellucida; planis quatuor, angulis lateralibus prismatum imposita, acuminata; atmosphaera calida celeriter fatiscentia; saporis subamari, salsi, refrigerantis. In quatuor partibus aquae communis calore 14°, et in duabus bullientis solubilia. Solutio aquosa, addito liquore Argenti nitrici, praecipitatum flavescens edat, vix ullum vero, si liquor dictus, ulteriore affusione Acidi Nitri puri acidulus, vel liquor Barytae nitricae, non minus Acido Nitri acidulus, solutioni adduntur.

♀ SOLUTIO ARSENICALIS FOWLERI.

Solutio arsenicalis mandat. reg. Boruss. Liquor antipyreticus, seu arsenicalis Fowleri. Solutio mineralis. Fowlers Arsenikauflösung.

Rp. Arsenici albi puri,
Salis Tartari, singulorum Grana sexaginta quatuor,
Aquae destillatae Uncias decem.

Haec phialae vitreae immissa igne lento coque, donec omnia soluta sint. Solutioni refrigeratae adde

Spiritus Lavendulae Unciam dimidiam,

Aquae destillatae tantum,
quantum opus est ad Uncias duodecim complendas. Serva in vitro rite obturato UT VENENUM.

Nonaginta grana huius solutionis granum unum Arsenici albi, centum vero grana ARSENITIS POTASSAE LIQUIDI BAV. et ARSENITIS POTASSAE LIQUIDI GALL. ac centum et sedecim grana LIQUORIS ARSENICALIS BELG. granum unum Arsenici albi continent.

DOSIS. Adultis guttulae septem usque decem bis singulo die.

SPECIES AMARAE.

Bittere Kräuter.

Rp. Herbae Centaurii minoris,
Menthae piperitidis,
Trifolii fibrini,
Summitatum Millefolii,
Seminis Foeniculi, singulorum Partes aequales.

Herbis ita incisis, ut frusta, sat aequabilia, quavis dimensione non ultra tres lineas efficiant, semine contuso, ac omnibus mixtis, fiant species. Pulverulentae partes eliminentur. Servantur, ut ceterae species, in scriniis tectis.

* SPECIES AROMATICAE.

LOCO SPECIERUM NERVINARUM, CEPHALICARUM, et PRO CUCUPHIS. Gewürzkräuter.

Rp. Herbae Menthae piperitidis,
Maioranae,
Roris marini,
Serpylli,
Florum Lavendulae, singulorum Uncias duas.
Caryophyllorum aromaticorum,
Cubebarum, singulorum Unciam unam.

E quibus et incisis et contusis fiat pulvis crassus. Serva in vase vitreo, vel e ferri laminis, stanno obductis, confecto, probe clauso.

Sint odoris summe aromatici partium adhibitarum.

* SPECIES EMOLLIENTES AD CATAPLASMA.

Species ad Cataplasma Bor. Species emollientes pulverulentae Bav. Erweichende Kräuter zu Umschlägen.

Rp. Herbae Malvae,
Meliloti,
Florum Chamomillae vulgaris,
Sambuci,
Radicis Althaeae,
Seminis Lini, singulorum Partes aequales.

E quibus et incisis et contusis fiat pulvis crassus, quam, ut ceteras species, in scriniis tectis serves.

SPECIES EMOLLIENTES AD ENEMA.

Species ad Enema Bor. Species pro clysmate Hann. Erweichende Kräuter zu Klystieren.

Rp. Herbae Althaeae Partes quatuor,
Florum Chamomillae Partes duas,
Seminis Lini contusi Partem unam.

E quibus, herba et floribus ita incisis, ut frusta, sat aequabilia, quavis dimensione non ultra tres lineas efficiant, ac mixtis fiant species. Pulverulentae partes eliminentur.

SPECIES PRO GARGARISMATE.

Species ad Gargarisma Bor. Gurgelkräuter.

Rp. Herbae Althaeae,
Salviae, singularum Partes duas,
Florum Sambuci,
Rhoeados,
Radicis Pimpinellae albae, singulorum Partem unam.

E quibus concisis ac mixtis fiant species, ut supra dictum est.

* SPECIES LIGNORUM.

Species ad decoctum Lignorum Bor. Species mundificantes. Holztranksspecies.

Rp. Ligni Guaiaci Libram unam et dimidiam,
Radicis Bardanae,
Saponariae,
Caricis arenariae,
Liquiritiae,
Ligni Iuniperi,
Sassafras, singulorum Libram dimidiam,
Seminis Anisi contusi, Unciam unam.

E quibus concisis ac mixtis fiant species.

* SPECIES PECTORALES.

SPECIES AD INFUSUM PECTORALE BOR. Brustkräuter.

Rp. Radicis Althaeae Uncias quatuor,
Liquiritiae,
Iridis Florentinae,
Herbae Hederae terrestris,
Farfarae, singularum Uncias duas,
Florum Rhoeados,
Verbasci, singulorum Unciam unam,
Seminis Anisi stellati Unciam dimidiam.

E quibus concisis ac mixtis fiant species.

SPECIES PECTORALES CUM FRUCTIBUS.

Brustkräuter mit Früchten.

Rp. Siliquae dulcis,
Iuiubarum, singularum Uncias tres,
Dactylorum,
Caricarum,
Passularum minorum,
Hordei mundi, singulorum Uncias quatuor,
Radicis Liquiritiae,
Herbae Capillorum Veneris,
Veronicae,
Hyssopi,
Florum Verbasci, singulorum Uncias duas.

E quibus concisis ac mixtis fiant species.

SPECIES PRO THEA.

Theekräuter.

Rp. Herbae Melissae Unciam unam,
Seminis Foeniculi Drachmas tres,
Radicis Liquiritiae Drachmas duas.

E quibus concisis, contusis, ac mixtis fiant, ex tempore, species.

* SPECIES RESOLVENTES.

Zertheilende Kräuter.

Rp. Herbae Absinthii,
Menthae piperitidis,
Menthae crispae,
Rutae,
Salviae,
Sabinae, singularum Uncias tres,
Florum Chamomillae vulgaris,
Sambuci,
Lavendulae, singulorum Uncias duas,
Seminis Carvi contusi,
Anisi contusi, singulorum Unciam unam.

E quibus concisis ac mixtis fiant species.

SPECIES VISCERALES PRO ENEMATIBUS KAEMPFII.

Kämpfs Visceralkräuter zu Klystieren.

Rp. Radicis Valerianae,
Taraxaci,
Saponariae,
Furfuris triticei, singulorum Uncias duas,
Herbae Centaurii minoris,
Marrubii albi,
Cardui benedicti, singularum Unciam unam,
Florum Verbasci,
Chamomillae vulgaris,
Arnicae,

Summitatum Millefolii, singulorum Unciam dimidiam.

E quibus concisis ac mixtis fiant species.

SPIRITUS ANGELICAE COMPOSITUS.

Loco Spiritus theriacalis. Zusammengesetzter Angelikageist.

Rp. Radicis Angelicae Libram unam,
Herbae Scordii Libram dimidiam,
Radicis Valerianae,
Baccarum Iuniperi, singularum Uncias tres.

Incisis, contusis ac vesicae immissis affunde,
Spiritus Vini rectificati Libras sex,
Aquae communis quantum satis.

Quum iuncturas vesicae muniveris, destillando elicias libras sex. Serva in vitro obturato. Apparatum destillatorium Pag. 197 descriptum legas.

Sit limpidus, decolor; odoris Angelicae, spirituosi; saporis paris; ponderis specifici 0,8854 = 22° Ar. Bk. Aq. lev.

Si cuilibet unciae Spiritus Angelicae addantur Camphorae grana decem, habes:

SPIRITUM ANGELICAE COMPOSITUM CAMPHORATUM.

Spiritus Angelicae compositus Bor. loco Spiritus theriacalis cum Camphora. Zusammengesetzter Angelikageist mit Campher.

* SPIRITUS COCHLEARIAE.

Alcohol Cochleariae destillatum Bav. Alcoolatum de Cochlearia Gall. Löffelkrautgeist.

Rp. Herbae Cochleariae florescentis, recentis, Libras duodecim.

Contusis ac vesicae immissis affunde
Spiritus Vini rectificati Libras sex,
Aquae communis, quantum satis.

Iuncturae muniendae sunt. Destillent librae sex. Serva vitro obturato.

Sit clarus, decolor; odoris ac saporis Cochleariae insignis, spirituosi; ponderis specifici 0,8854 = 22° Ar. Bk. Aq. lev.

SPIRITUS CORNU CERVI RECTIFICATUS.

Liquor Ammonii pyro-oleosi Bor. Carbonas Ammoniae pyro-animale liquidum Bat. Subcarbonas Ammoniae pyro-oleosus liquidus Bav. Subcarbonas Ammoniae pyro-animale liquidum Belg. Carbonas Ammoniae alcalinus pyro-oleosus solutus Aust. Gereinigter Hirschhorngeist. Brenzlichölige kohlensäuerliche Ammonium-Flüssigkeit.

Rp. Salis Cornu Cervi volatilis Unciam unam.

Solve in

Aquae destillatae Unciis septem.

Filtra, ac serva in vitro, obturamento vitreo munito.

Sit limpidus, primum decolor, mox insigniter flavescens; odoris ac saporis Salis volatilis Cornu Cervi; ponderis specifici 1,0303 = 8° Ar. Bk. Aq. gr. Aestui expositus totus diffugiat.

SPIRITUS FORMICARUM.

Alcohol Formicarum destillatum Bav. Ameisengeist.

Rp. Formicarum viventium, a quisquiliis mundatarum, Libras duas.

Formicas occisas in Spiritu Vini et contusas, immitte retortae vitreae et affunde

Spiritus Vini rectificati Libras quatuor,
Aquae communis Libram unam.

Destillando elice libras quatuor. Serva in vitro probe obturato.

Sit clarus, decolor; odoris grati, acidulo-spirituosi, cum Aqua destillata permixtus, paululum lactescat, et colorem Chartae exploratoriae coeruleae in pallide-rubrum vertat; ponderis specifici 0,8854 = 22° Ar. Bk. Aq. lev.

* SPIRITUS LAVENDULAE.

Alcohol Lavandulae destillatum Bav. Alcoolatum de Lavandula Gall. Lavendelgeist.

Rp. Florum Lavendulae siccatorum Libram unam,
Spiritus Vini rectificati Libras quatuor,
Aquae communis, quantum satis.

Vesicae immissa, iuncturisque munitis, macera per viginti quatuor horas, et destillando elice libras quatuor. Serva, ut supra dictum est.

Sit limpidus, decolor; odoris ac saporis florum Lavendulae, spirituosi; ponderis specifici 0,8854 = 22° Ar. Bk. Aq. lev.

Eodem modo parentur:

SPIRITUS CORTICUM AURANTIORUM.

Pomeranzenschalengeist.

E corticibus Aurantiorum contusis.

* SPIRITUS IUNIPERI.

Wachholderbeerengeist.

E baccis Iuniperi contusis.

SPIRITUS RORIS MARINI.

Alcoolatum de Rosmarino Gall. Spiritus Anthos. Rosmaringeist.

Ex herba.

SPIRITUS SERPYLLI.

Quendelgeist.

Ex herba.

SPIRITUS MELISSAE COMPOSITUS.

Aqua carmelitana Hann. Alcoolatum de Melissa compositum Gall. Aqua Melissae magistralis. Zusammengesetzter Melissengeist. Carmeliterwasser.

Rp. Herbae Melissae recentis Libras duas,
Corticum Citri recentium Uncias quatuor,
Nucum moschatarum,
Radicis Angelicae, singularum Uncias tres,
Caryophyllorum aromaticorum,
Corticis Cassiae cinnamomeae, singulorum Unciam unam.

Quibus concisis et contusis affunde
Spiritus Vini rectificati Libras sex,
Aquae Melissae Libras tres.

Macerentur per triduum, dein destilla libras septem. Serva in vitro obturato.

Sit hyalinus; odoris ac saporis aromatici, spirituosi.

* SPIRITUS MINDERERI.

Liquor Ammonii acetici Hann. Liquor Mindereri tenuior Sax. Acetis Ammoniae liquidus Bat. Acetas Ammoniae liquidum Belg. Acetas Ammoniae solutus dilutus Aust. Liquor Ammoniae acetatis Lond. Minderers Geist. Verdünnte eßigsaure Ammonium-Flüssigkeit.

Rp. Aceti concentrati Uncias undecim,
Aquae destillatae Libram unam,
Alkali volatilis sicci, pulverati, quantum satis ad saturationem perfectam. Illa peracta, adde denuo
Aquae destillatae, quantum requiritur, ut totum fluidum ponderis unciarum quadraginta octo sit. Serva in vitro probe obturato.

Si tantum Aquae destillatae adhibetur, ut pondus liquoris saturati uncias viginti quatuor aequet, habes:

LIQUOREM AMMONII ACETICI BOR.

Acetas Ammoniae dilutus Bav. Liquor Mindereri fortior Sax. Acetas Ammoniae liquidus Gall. Eßigsaure-Ammonium-Flüssigkeit.

Spiritus Mindereri sit coloris expers; odoris proprii; saporis subsalini et pungentis; ponderis specifici 1,0089 = 2° Ar. Bk. Aq. gr. Chartam exploratoriam coeruleam parum in violaceam permutet, et igni expositus omnino diffugiat. Instillato Acido Vitrioli concentrato, odorem aceticum et, Lixivio caustico affuso, alkalinum volatilem spargat. A pari volumine Spiritus Vini rectificatissimi admixto ne turbetur et, addito liquore Argenti nitrici, vix praecipitatum, in Aqua destillata, dein affusa, irresolubile demittat; a liquore Barytae aceticae ne turbetur; Aqua hydrosulphurata affusa, a metallis liber reperiatur.

Liquor Ammonii acetici Bor. aeque se habeat, excepto pondere specifico, quod 1,0303 = 5° Ar. Bk. Aq. gr. aequet.

* SPIRITUS NITRI DULCIS.

Spiritus nitrico-aethereus Bor. Aether nitricus alcoholicus Bat. Bav. Belg. Spiritus Aetheris nitrici Aust. Aether alcoolisatus nitricus Gall. Versüßter Salpetergeist. Salpeteräther-Weingeist.

Rp. Nitri depurati Libram unam,
Olei Vitrioli Nordhusani Uncias octo,
Spiritus Vini rectificatissimi Libras tres.

Spiritui Vini in cucurbita vitrea, lente instillando, admisceatur Oleum Vitrioli. Mixtura refrigerata affundatur Nitro in cucurbita vitrea, alembico ac excipulo, ope luti farinosi et vesicarum, adaptato, instituatur destillatio in balneo arenae, calore lenissimo, donec fere sicca sit. Spiritus obtentus in vitro semirepleto per hebdomadem, saepius, obturamento remoto, agitatus, seponatur. Tum addita sufficiente quantitate Magnesiae ustae, ut acidum forte adhaerens neutrum evadat, denuo destilletur ex retorta vitrea ad siccitatem. Serva in vitro, obturamento vitreo probe claudendo, loco frigido.

Hyalinus sit, odoris aetherei, spirituosi, grati, proprii; saporis paris, subaromatici, dulciusculi; ab Acido nitroso liber, Chartam exploratoriam coeruleam ne permutet; ponderis specifici 0,8457 = 31° Ar. Bk. Aq. lev.

SPIRITUS SALIS AMMONIACI ANISATUS.

Liquor Ammonii anisatus Bor. Alcohol Ammoniae anisatum Bav. Spiritus Ammoniae anisatus Belg. Anishaltiger Salmiakgeist. Anishaltige Ammonium-Flüssigkeit.

Rp. Spiritus Salis Ammoniaci vinosi Uncias octo,
Olei Anisi destillati Drachmas duas.

Misce et serva in vitro, obturaculo vitreo clauso.

Sit lucidus, flavus; odoris alkalini volatilis, anisati, saporis paris; ponderis specifici 0,876 = 24° Ar. Bk. Aq. lev.; cum Aqua destillata mixtus lactescat.

SPIRITUS SALIS AMMONIACI AQUOSUS.

Liquor Ammonii carbonici aquosus Bor. Carbonas Ammoniae alcalinum liquidum Bat. Sub-Carbonas Ammoniae liquidus vel liquidum Bav. Belg. Carbonas Ammoniae alcalinus solutus Aust. Liquor Ammoniae subcarbonatis Lond. Wässeriger Salmiakgeist. Kohlensäuerliche Ammonium-Flüssigkeit.

Rp. Alkali volatilis sicci Unciam unam.
Solve in
Aquae destillatae Unciis quinque.

Filtra, ac serva in vitro, obturamento vitreo clauso.

Caeterum ut Alkali volatile se habeat. Pondus specificum 1,0559 = 9° Ar. Bk. Aq. gr.

* SPIRITUS SALIS AMMONIACI CAUSTICUS.

Liquor Ammonii caustici Bor. Ammonia liquida Bat. Belg. Ammonia pura liquida Bav. Aust. Ammonia Gall. Liquor Ammoniae Lond. Alkali volatile fluor. Spiritus Salis Ammoniaci urinosus, seu cum Calce viva. Scharfer Salmiakgeist. Aetzammonium-Flüssigkeit.

Rp. Calcis vivae optimae Libram unam.
Exstingue sensim in
Aquae communis Libris tribus.

Pultem refrigeratam ingere cucurbitae, balneo arenae sat profunde immersae, cui prius immiseris

Salis Ammoniaci pulverati Libram unam.

Coniunge cucurbitam cum alembico, luti farinosi et vesicarum ope, ac rostrum alembici, excipulo

Aquae destillatae Libra una cum dimidia

impleto, ita adapta, ut vel ipsum vel tubulus illi agglutinatus, aquae profunde immergatur. Haec vasa luto noli arctius claudere, ut aër atmosphaericus, quem continent, facilius removeatur. Luto bene siccato, mixtio in cucurbita leniter ebulliat, dum excipulum semper refrigeratur, donec librae tres in excipulo sint; destillationem nunquam, ne destillatum in cucurbitam redeat, interrumpere licet. Chartae virga, excipulo agglutinata, mensuram indicat. Serva statim in vitris obturamentis vitreis, ad amussim obturandis, loco frigido.

Sit decolor, clarus; odoris penetrantis, urinosi caustici, neutiquam empyreumatici; saporis percaustici, paris; ponderis specifici 0,9604 = 7° Ar. Bk. Aq. lev. Cum Acidis volatilioribus mixtus vapores albos edat, et incalescat, sed non effervescat. Aqua Calcis affusa, ne turbetur. A metallis liber sit; aestui expositus totus diffugiat.

SPIRITUS SALIS AMMONIACI VINOSUS.

Liquor Ammonii vinosus Bor. Alcohol Ammoniae Bav. Spiritus Ammoniae Lond. Weiniger Salmiakgeist. Weinige Ammonium-Flüssigkeit.

Rp. Spiritus Vini rectificatissimi Partes duas,

Spiritus Salis Ammoniaci caustici Partem unam.

Misce et serva, ut supra diximus.

Sit coloris expers, clarus; odoris volatilis penetrantis; saporis paris caustici spirituosi; ceterum chemice se habeat uti Spiritus Salis Ammoniaci causticus; ponderis specifici 0,9042 = 18° Ar. Bk. Aq. lev.

* SPIRITUS SALIS DULCIS.

Spiritus muriatico-aethereus Bor. Aether muriaticus alcoholicus Bat. Aether muriaticus al-

COHOLICUS BAV. BELG. AETHER ALCOOLISATUS MURIATICUS GALL. Versüßter Salzgeist. Salzäther-Weingeist.

Rp. Salis communis exsiccati Uncias sedecim,
Magnesiae nigrae pulveratae Uncias sex.

Mixtis et cucurbitae vitreae immissis caute superfunde
Olei Vitrioli Nordhusani Libram unam,
antea cum
Spiritus Vini rectificatissimi Libris quatuor
mixti. Imposito alembico applica excipulum, aquae frigidae immersum, et, iuncturis vesica clausis, destilla leni igne circiter uncias triginta sex, quae rectificentur super Cinerum clavellatorum depuratorum Unciis duabus. Serva in vitro, obturaculo vitreo munito, loco frigido.

Sit clarus, decolor; odoris proprii spirituoso-aetherei; saporis paris, sub-aromatici; ponderis specifici 0,8457 = 31° Ar. Bk. Aq. lev. Colorem Chartae exploratoriae coeruleae ne permutet, ac cum Aqua destillata mixtus, liquore Argenti nitrici affuso, ne turbetur.

* SPIRITUS SAPONIS.

SPIRITUS SAPONATUS BOR. AUST. ALCOHOL SAPONATUM BAV. Seifengeist.

Rp. Saponis Veneti Libram unam,
Spiritus Vini rectificati Libras tres,
Aquae Rosarum Libram unam.

Solve digerendo in vase vitreo, ac Spiritum refrigeratum filtra. Serva in vitro obturato.

Colore aemuletur Vinum album; sit lucidus, clarus, tactu pinguis, quassatus spumescens; odoris ac saporis spirituoso-saponacei; ponderis specifici 0,9497, = 9° Ar. Bk. Aq. lev.

* SPIRITUS TARTARI RECTIFICATUS.

LIQUOR PYRO-TARTARICUS BOR. Weinsteingeist. Brenzliche Weinstein-Flüssigkeit.

Rp. Tartari crudi, quantum libet.

Fiat destillatio ex retorta loricata, ad dimidiam partem repleta, aperto sensimque aucto igne, in

excipulum satis capax, et tubulo, per quem transeat Gas vehementer prorumpens, instructum. Destillatione peracta, Spiritum elicitum ab oleo foetido filtratione per chartam bibulam repetita libera, et secundum artem rectificatum in vitro obturato serva.

Residuum in retorta cum Aqua destillata eluatur, et lixivium filtratum ad siccum, uti apud Sal Tartari descriptum legis, inspissetur. Sal obtentum (Sal Tartari) serva.

Sit clarus, coloris expers; odoris pyro-oleosi proprii, acidiusculi; saporis paris; vix aqua ponderosior; caute evaporatus residuum crystallinum edat, quod aestu aucto sublimetur.

* SPIRITUS VINI CAMPHORATUS.

Spiritus camphoratus Bor. Aust. Tinctura Camphorae Bat. Belg. Alcohol camphoratum Bav. Alcool camphoratus Gall. Spiritus Camphorae Lond. Kampherspiritus. Kampherhaltiger Weingeist.

Rp. Camphorae tritae Unciam unam,
Spiritus Vini rectificati Libram unam.

Stent loco frigido ad Camphorae solutionem usque. Serva in vitro obturato.

Sit clarus, decolor; odoris Camphorae, spirituosi, insignis; ponderis specifici 0,8808 = 23° Ar. Bk. Aq. lev. Addito pari pondere aquae lactescat, eliminata nunc demum Camphora.

* SPIRITUS VINI RECTIFICATUS.

Ponder. spec. 0,900 Bor. Spiritus Vini depuratus 0,878 Bat. Belg. Alcohol dilutum 0,900 Bav. Alcohol depuratum 0,910 Aust. Spiritus tenuior 0,930, et rectificatus 0,835 Lond. Gereinigter Weingeist.

Rp. Spiritus Frumenti, quantum tibi conveniat.

Supra carbones recenter ustos, e vesica cuprea, intus probe stanno obducta, et alembico ac canali refrigeratorio e stanno Anglico confecto, leni igne

destilletur, quamdiu pondere specifico 0,8762 = 24° Ar. Bk. Aq. lev. in excipulum stillat. Serva in vitro probe obturato loco frigido.

Sit clarus, decolor; odoris puri, spirituosi, etiam manibus fricatus; ponderis specifici dicti.

* SPIRITUS VINI RECTIFICATISSIMUS.

Ponder. spec. 0,820 Bor. Spiritus Vini depuratus 0,828 Bat. Belg. Alcohol 0,840 Bav. Alcohol depuratum 0,850 Aust. Alcohol 0,815 Lond. Höchstgereinigter Weingeist.

Rp. Spiritus Vini rectificati, quantum libet.

Destilla leni igne, quamdiu pondere specifico 0,850 = 30° Ar. Bk. Aq. lev., in excipulum transit. Serva in vitro probe obturato, loco frigido.

Sit decolor, clarus; odoris, etiam manibus fricatus, spirituosi, puri; saporis paris; ponderis specifici dicti.

SPONGIAE CERATAE.

Spongia officinalis cerata Bav. Wachsschwamm.

Spongiae marinae tenues, mundatae et exsiccatae, Cera citrina liquata probe infectae, adhuc calentes sub prelo tepido arctissime comprimantur, ibique relinquantur, usque dum refrixerint.

* SPONGIAE USTAE.

Carbo Spongiae. Spongia officinalis tosta Bav. Gebrannter Schwamm.

Spongiae marinae, diligenter a lapidibus et sordibus liberatae, in vase ferreo profundo operculo, foramine parvo instructo, et argilla lutato urantur, donec fumus e foramine exire penitus desivit. Tum vas ab igne deponatur, et residuum carboneum refrigeratum, tritum et per cribrum transmissum, in vase obturato servetur.

Pulvis niger; odoris subempyreumatici; saporis salsi; neque valde ponderosus nec cum lapidibus spongiarum adulteratus.

SUCCI HERBARUM.

Kräutersäfte.

Plantae recentes, aut earum partes contundantur in mortario marmoreo, et prelo exprimantur. Expressum succum per linteum cola.

SUCCUS CITRI.

Zitronensaft.

Semper ex tempore, e pomis Citri, remotis corticibus et seminibus, exprimatur.

* SUCCUS LIQUIRITIAE DEPURATUS.

Extractum Liquiritiae depuratum Bav. Gereinigter Süßholzsaft. Gereinigter Lakritzensaft.

Rp. Succi Liquiritiae venalis concisi Partem unam,
Aquae communis Partes sex.

Macerantur, in vase murrhino, saepius agitando, ut solvatur succus.

Solutum decanta et denuo sepone. Liquor iterum a sedimento defusus et per pannum laneum, densioris texturae, colatus, uti in paratione extracti Absinthii descripsimus, ad siccum inspissetur. Serva.

Si succus Liquiritiae venalis bonae notae non prostet, substituas extractum Liquiritiae.

Sit saporis dulcissimi, sub finem acrescentis, non empyreumatici. Solutio vix sedimentum relinquat; ferrum politum, ea imbutum, cupro ne obducatur.

* ☨ SULPHUR AURATUM ANTIMONII.

Sulphur stibiatum aurantiacum Bor. Sulphuretum oxyduli Stibii hydrogenatum Bat. Sulphuretum Stibii hydrogenatum Belg. Hydrosulphuretum oxiduli Stibii sulphuratum Bav. Oxydulum Stibii hydro-sulphuratum aurantiacum Aust. Hydrosulphuretum luteum oxidi Stibii sulfurati Gall. Antimonii sulphuretum praecipitatum Lond. Spiesglanz-Goldschwefel. Schwefelwasserstoffsaures schwefelhaltendes Spiesglanzoxydul.

Rp. Lixivii caustici,
Aquae pluvialis, singulorum Libras octo.
Lixivio, aqua diluto, in vase ferreo ebullienti, iniice per vices
Antimonii crudi praeparati Libram unam,
Florum Sulphuris Uncias quindecim.
Antea probe mixta coque, saepe agitando, ad plenam horum solutionem, et aquam, evaporatione evanescentem, continue restituens. Liquorem refrigeratum ac vitro clauso quiete depuratum per chartam bibulam cola, et instilla paullatim
Acidi Vitrioli perdiluti tantum, quantum
requiritur, ut nullum Sulphur auratum amplius praecipitetur. Praecipitatum, liquore quiete deliquato et defuso, iteratim, aqua primum tepida, dein frigidá affusa, ablue, donec haec neque gustanti, nec addito liquore Terrae ponderosae salitae, Tartari vitriolati vestigium prodat; tum linteo convoluto exprime, et inter chartam lenissimo calore penitus exsicca. Serva in vitris, probe clausis, velatis.

Lactis Sulphuris particulas, praecipitatione ineunte forsan primum secretas, residere fac, et ex lixivio supernatante, in aliud vas per colum defuso, claro, dein uti dictum Sulphur auratum Antimonii praecipita.

Pulvis valde aurantiaco-rubellus, speciem holoserici prae se ferens, digitis terentibus vix sensibilis; odoris nonnihil sulphurei; saporis paris, dulciusculi. In tubo vitreo aestuatus, sublimando Sulphur edat, ac in Antimonium crudum mutetur; prunis iniectum inflammetur, ac Gas sulphurosum redoleat; in Lixivii caustici copia solvatur, et cum Spiritu Salis Ammoniaci caustico digestus ita decomponatur, ut Sulphur solvatur, ac Antimonium oxydulatum, coloris seminum Pisi sativi, in fundo vasis residuum reperiatur. Incorrupta Sulphuris aurati Antimonii integritas, quatenus Arsenico depravari potest, ita investiganda est, ut supra diximus, ubi de Antimonio crudo sermo est.

Dosis. Granum unum, vel plura, bihorio quoque.

SULPHUR AURATUM LIQUIDUM.

Liquor Saponis stibiati Bor. Tinctura Antimonii saponata Sax. Tinctura Antimonii Iacobi et Herme-

STAEDTII. Flüssiger Spiesglanzschwefel. Spiesglanz-seifen-Flüssigkeit.

Rp. Saponis antimonialis Partes duas,
Tincturae Kalinae,
Aquae Cinnamomi, singularum Partes tres.

Solvatur leni calore subinde agitando, ac filtretur. Paratur ex tempore.

Dosis. Guttulae triginta vel septuaginta in potu mucoso, pluries singulo die.

* SYRUPUS ALTHAEAE.

Eibisch-Zuckersaft.

Rp. Radicis Althaeae, minutim concisae, Unciam unam.

Perfunde
Aquae fervidae sufficiente quantitate,
ut supersint Unciae quindecim, in liquore colato dissolve
Sacchari albi contusi Libras duas.

Fiat ebullitione unica, in lebete stanneo, vel cupreo stanno obducto, syrupus; quem per pannum laneum cola, et penitus refrigeratum serva.

SYRUPUS AMYGDALINUS.

SYRUPUS AMYGDALARUM BOR. SYRUPUS EMULSIVUS. Mandeln-Zuckersaft.

Rp. Amygdalarum dulcium Uncias decem,
Amygdalarum amararum Uncias duas.

Decorticatis, et in mortario idoneo cum pauxillo aquae ad pultem tenerrimam contusis, sensim terendo adde
Aquae communis Libras duas.

In emulsionis expressae et colatae Unciis viginti solve
Sacchari albissimi contusi Libras tres.

Calore lenissimo fiat syrupus, cui, per pannum laneum colato, adde

Aquae Naphae Uncias duas.
Serva.

SYRUPUS BERBERUM.

Saurach- oder Berberizen-Zuckersaft.

Rp. Fructuum Berberum maturorum, quantum vis. Contusi stent per tres dies, deinde exprime et quiete defaeca succum.

Huius Succi depurati Unciis viginti,
adde

Sacchari albi Libras tres.

Semel ebulliendo fiat lege artis syrupus, quem cola per pannum laneum, et penitus refrigeratum serva.

Eodem modo parentur:

SYRUPUS CERASORUM.

Kirschen-Zuckersaft.

E succo Cerasorum obscure-rubrorum, acidorum.

SYRUPUS MORORUM.

Maulbeeren-Zuckersaft.

E succo fructuum Mororum nigrarum.

SYRUPUS RIBIUM.

Johannisbeeren-Zuckersaft.

E succo baccarum Ribis rubri.

* SYRUPUS RUBI IDAEI.

Himbeeren-Zuckersaft.

E succo fructuum Rubi Idaei.

SYRUPUS SUCCI CITRI.

SYRUPUS ACETOSITATIS CITRI. Zitronen-Zuckersaft.

E succo pomorum Citri.

SYRUPUS CAPILLORUM VENERIS.

Loco Syrupi florum Naphae. Frauenhaar-Zuckersaft.

Rp. Herbae Capillorum Veneris Unciam unam.
Superfunde
Aquae fervidae quantitatem sufficientem,
ut restet liquoris colati Libra una cum dimidia, in eo dissolve
Sacchari albi Libras tres cum dimidia.
Fiat lege artis syrupus, cui admisce
Aquae Naphae Uncias sex.
Serva.

SYRUPUS CHAMOMILLAE.

Kamillen-Zuckersaft.

Rp. Florum Chamomillae vulgaris Uncias quatuor.
Perfunde
Aquae fervidae sufficiente quantitate,
ut relinquantur liquoris colati Unciae quatuordecim, in eo solve
Sacchari albi Libras duas.
Fiat lege artis syrupus, quem serva.

SYRUPUS CINNAMOMI.

Zimmt-Zuckersaft.

Rp. Corticis Cassiae cinnamomeae contusae Uncias duas,
Aquae Cinnamomi vinosae Libram unam.
Digere in vase clauso per triduum; deinde liquorem exprime et cola, ut supersint Unciae undecim; in eo dissolve
Sacchari albi Uncias duodeviginti.
Fiat leni calore syrupus, quem serva.

* SYRUPUS CORTICUM AURANTIORUM.

Pomeranzenschaalen-Zuckersaft.

Rp. Flavedinis Corticum Aurantiorum Uncias quatuor.

Minutim concisis affunde,
Vini albi Germanici, vel Gallici, generosioris, quantum satis,
ut supersint Unciae viginti, ac digere per triduum in vase clauso. In liquore colato solve
Sacchari albi Libras tres.
Semel ebulliendo fiat syrupus, quem cola.

* SYRUPUS DIACODION.

Syrupus Papaveris albi. Mohn- oder Diakodien-Zuckersaft.

Rp. Capitum Papaveris, nondum plane maturorum, et sine seminibus, contusorum Libram dimidiam.
Macerentur per viginti quatuor horas in
Aquae fervidae Libris quatuor.
Probe digesta exprime fortissime, et novenis Unciis liquoris colati adde
Sacchari albi Uncias sedecim.
Unica ebullitione fiat syrupus, quem cola.

* SYRUPUS FOENICULI.

Fenchelsaamen-Zuckersaft.

Rp. Seminum Foeniculi contusorum Uncias duas.
Perfunde
Aquae fervidae sufficiente quantitate,
ut supersint Unciae quatuordecim.
In liquore colato solve
Sacchari albi Libras duas.
Fiat leni igne syrupus.

SYRUPUS LIQUIRITIAE.

Süßholz-Zuckersaft.

Rp. Radicis Liquiritiae concisae Uncias octo,
Aquae fervidae Libras tres.
Post macerationem coque leniter per quadrantem horae. Liquor expressus evaporet, donec supersint Unciae quatuordecim, quibus adde

Sacchari albi,
Mellis despumati, singulorum Libras duas.
Fiat syrupus.

SYRUPUS MANNAE.

Manna-Zuckersaft.

Rp. Foliorum Sennae Uncias quatuor,
Seminis Foeniculi Unciam dimidiam,
Aquae fervidae Libras duas.
Stent in digestione, vase clauso, per aliquot horas. In liquoris expressi et colati Unciis duodeviginti solve
Sacchari albi Libras duas,
Mannae Libram dimidiam.
Leni igne redige in syrupum.

SYRUPUS PAPAVERIS RHOEADOS.

Syrupus Rhoeados Bor. Syrupus Papaveris rubri. Klatschrosen-Zuckersaft.

Rp. Florum Rhoeados Uncias tres.
Aquae fervidae Libras duas et Uncias quatuor.
Macera per noctem. Ex liquoris expressi Unciis viginti fiat cum
Sacchari albi Libris tribus,
ebullitione unica, syrupus.

* SYRUPUS RHEI.

Syrupus Rhabarbari. Rhabarber-Zuckersaft.

Rp. Radicis Rhei Chinensis concisae Unciam unam cum dimidia,
Corticis Cassiae cinnamomeae Drachmas tres,
Salis Tartari Drachmam unam.
Affunde
Aquae fervidae Uncias tredecim,
Digere per noctem, et liquoris expressi Unciis decem adde
Sacchari albi Uncias duodeviginti.
Fiat syrupus.

* SYRUPUS SACCHARI ALBI.

SYRUPUS SIMPLEX. Zuckersaft.

Rp. Sacchari albi Libras duas,
Aquae communis Libram unam.
Fiat syrupus.

SYRUPUS SENEGAE.

Senega-Zuckersaft.

Rp. Radicis Senegae concisae Unciam unam,
Aquae communis Uncias duodeviginti.

Coque, donec decem Unciae supersint; decocto colato adde
Sacchari albi Uncias duodeviginti.
Fiat syrupus.

Syrupi sint eiusmodi consistentiae, ut de margine vasis inclinati minori copia profluentes, lente, et plerique in fila ducti, stillent; coloris liquidarum partium, et quidem utcunque saturati; Syrupo amygdalino excepto, clari; odoris ac saporis partium proprii, et modo praeparationis respondentis, sat saccharini. Nonnisi vetustiores, crystallos, nunquam vero alia sedimenta, demittant.

Plerique numquam uno anno vetustiores, nonnulli multo recentiores tantum, prostent. Servantur in vitris, aut lagenis murrhinis, vel porcellaneis, probe clausis, loco frigido.

* ♃ TARTARUS EMETICUS.

TARTARUS STIBIATUS BOR. TARTRIS POTASSAE STIBIATA BAT. TARTRAS OXIDULI STIBII ET POTASSAE BAV. TARTRAS LIXIVAE STIBIATUS AUST. TARTRAS POTASSAE STIBIATUS GALL. BELG. ANTIMONIUM TARTARIZATUM LOND. SUB-DEUTO-TARTARAS POTASSII ET STIBII. Brechweinstein. Spiesglanzhaltiger Weinstein.

Rp. Croci Metallorum Libram unam,
Cremoris Tartari Uncias quindecim.

Intime mixta in vase murrhino, cum Aqua destillata diluantur ad pultis non spissi consistentiam, et

deinde in balneo arenae, sub perpetua agitatione, aqua evaporata subinde restituta, calefiant ad ebullitionem usque, donec massa sit syrupiformis, attactu non sabulosa, ac pars exemta in quindecim partibus Aquae destillatae, floccis brunneis paucis residentibus, solvatur. Tum immittatur aheno cupreo, mundo, in quo iam prius coquitur Aquae destillatae pondus octuplum omnium partium, e quibus mixtio composita est, atque cum eo coquatur per horam dimidiam.

Denique solutio fervida filtretur in vas murrhinum vel terreum, vitreatum, et seponatur ad crystallisandum. Lixivium crystallis supernatans iterum evaporet in aheno dicto, donec appareat membranula, filtretur et ad crystallisandum seponatur; hac ratione tam diu repetita, quam crystalli distinctae secernuntur, lixivium restans reiice.

Omnes iam colligantur crystalli, siccentur, et lotione cum parva aquae copia a Calcaria tartarica, in crystallis aciculaeformibus coacervatis crystallisata, ipsis adhaerente, mundentur, iterum siccentur ac in pulverem subtilem terantur, quem in lagenam vitream ingestum cum

Aquae destillatae frigidae Partibus quatuordecim

saepe conquassando agita, ut maxima ex parte solvatur.

Solutio denuo filtretur, et evaporet in aheno dicto, vel vase murrhino, ad crystallisationis momentum, quod seponendo promovendum est.

Mutuum hoc evaporationis et crystallisationis negotium tam diu prosequaris, quam diu obtinueris crystallos rite formatas et incolores, quae, inter chartam bene siccatae, et tritura in pulverem subtilem redactae, in vitro probe clauso serventur.

Tartarum emeticum inspissatione lixivii ad siccum paratum, nunquam adhibe.

Prismata rectangula, sub-compressa, tetraëdro-acuminata, cuius latera duo latiora, transversim striata, saepe

angulum novum secundum formant; saepius crystalla tetraëdra vel octaëdra, ultima ad angulos basium pyramidalium truncata, maxime in crustas crystallinas concreta, alba, perspicua; tactu aëris opaca, trita albissima; saporis subdulcis, nauseosi submetallici. In partibus quatuordecim vel quindecim aquae destillatae, et in tribus bullientis sine residuo salino vel metallico solubilia; solutio chartam exploratoriam coeruleam levi rubore imbuat, et cum Aqua hydrosulphurata, Acido Salis acidula, mixta, praecipitatum aurantiaco-rubellum deponat, neque, instillatis guttulis Aceti concentrati, a liquore Kali ferreo-borussici mutetur, nec addito liquore Cupri ammoniacalis virescat, vel praecipitatum paris coloris edat.

Dosis. Octava vel quarta pars grani unius; ad ciendum vomitum grana duo vel quatuor intra horam dimidiam; maniacis saepius duplum vix sufficit.

TARTARUS SOLUBILIS AMMONIACALIS.

Tartarus ammoniatus Bor. Tartris Potassae et Ammoniae Bat. Tartarus ammoniacalis Sax. Kali ammoniato-tartaricum. Ammoniakhaltiger auflöslicher Weinstein. Weinsteinammoniak.

Rp. Cremoris Tartari, quantum libet.
Vasi stanneo immisso affunde
Aquae fervidae quadruplum pondus,
et mixturam satura, sensim addendo
Spiritum Salis Ammoniaci aquosum,
quantitate huius aliquantum praeponderante. Liquorem sepone loco frigido per viginti quatuor horas; postea filtretur et leni igne evaporet, ut appareat membranula salina.

Tum denuo adde
Spiritus Salis Ammoniaci aquosi Partem,
ut, qui sub evaporatione secesserit Tartarus, resolvatur. Liquor tunc effunditur in vas murrhinum, calefactum, et ad crystallisandum per aliquot dies loco frigido seponitur, hac agendi ratione toties repetita, quoties lixivium crystallos adhuc praebet. Crystalli collectae, et in aëre siccatae pulverantur, et in vitro, bene obturato, servantur.

Prismata tetragona, compressa, acuminata planis duobus, quae angulis lateralibus, diametraliter oppositis, insident; incolora, perspicua; saporis subsalsi, pungentis, refrigerantis. In partibus duabus Aquae destillatae, ac fere in pari pondere bullientis solubilia. Solutio concentrata coquendo, vel Acidum quodlibet addendo, Cremorem Tartari deponat. Crystalla aëris attactu ex parte Alkali volatili priventur ac nivea et opaca reddantur; cum Calce viva contrita Alkali volatile spirent.

* TARTARUS TARTARISATUS.

Kali tartaricum Bor. Tartris Potassae Bat. Tartras Potassae Bav. Belg. Gall. Tartras lixivae Aust. Potassae tartras Lond. Sal vegetabilis. Tartarus solubilis. Deuto – Tartras Potassii. Tartarisirter Weinstein. Weinsteinsaures Kali.

Rp. Cinerum clavellatorum depuratorum, quantum libet,
Aquae fervidae octuplum.

Aheno stanneo, in ignem imposito, immissis ingere paullatim
Cremoris Tartari, quantum

ad perfectam saturationem Alkali requiritur, igne sub finem ad ebullitionem liquoris aucto. Liquorem saturatum cum aquae coctae et refrigeratae, clarae, partibus pluribus, quam octo, dilutum, loco frigido per viginti quatuor horas sepone, ut Calcariam tartaricam edat; tunc a sedimento defusum, ac per chartam bibulam filtratum, aheno dicto immissum, vaporando, et in finem assidue cum spathula lignea agitando, in grumos salinos converte, qui, super charta bibula expansi, auxilio caloris, vel solis, vel arte facti, perfecte exsiccentur. Mortario ferreo, calefacto, pulveratos, in vitro obturato serva.

Pulvis salinus albus; saporis salsi, amariusculi; in atmosphaera subhumidus quidem fit, neutiquam vero liquescat. In pari pondere Aquae destillatae, ac in minori bullientis solubilis. Solutio Chartam exploratoriam, neque coeruleam, nec rubram permutet; a multis acidis, etiam a salibus neutralibus decomponenda, Cremorem Tartari demittens. Am-

monio hydrosulphurato affuso, vel addito liquore Salis Tartari, neque metallorum, nec terrarum indicia appareant. A Tartaro vitriolato ac Sale digestivo liber sit Tartarus tartarisatus, et ignis vi expositus, aeque se habeat, ac Cremor Tartari.

* TARTARUS VITRIOLATUS DEPURATUS.

Kali sulphuricum Bor. Sulphas Potassae Gall. Bat. Belg. Sulphas Potassae depuratus Bav. Sulfas lixivae Aust. Potassae sulphas Lond. Arcanum duplicatum. Sal polychrestum Glauberi. Deuto-Sulfas Potassii. Vitriolisirter Weinstein. Schwefelsaures Kali. Doppelsalz.

E partibus salinis a paratione Acidi Nitri fumantis, seu Aceti concentrati residuis, vel e Tartaro vitriolato venali sequente methodo parandus et depurandus est.

Rp. Tartari vitriolati dicti, quantum libet.
Solve coquendo cum
Aquae communis Partibus sex.
Liquori bullienti adde
Liquoris Cinerum clavellatorum depuratorum, quantum requiritur,

vel ad saturationem acidi praeponderantis, vel ad terrarum metallorumque praecipitationem. Si Alkali forte Tartaro vitriolato venali adhaereat, liquorem cum Acido Vitrioli diluto satura. Tum liquorem per chartam bibulam filtra, filtratum evaporare fac, donec membranula orta sit, et ad crystallisandum sepone; crystallis depositis, liquidum defunde, ac, iterata evaporatione et refrigeratione, in crystallos coge, quas siccatas servabis.

Ab acido praeponderante, terris et metallis liber sit; ceterum uti Tartarus vitriolatus venalis se habeat.

* TERRA FOLIATA TARTARI.

Kali aceticum Bor. Acetis Potassae Bat. Lixiva acetata Aust. Acetas Potassae Belg. Gall. Potassae acetas Lond. Acetas Potassii. Weinstein-Blättererde. Eßigsaures Kali.

Rp. Cinerum clavellatorum depuratorum, quantum vis,

Aceti, destillatione purificati, quantum ad saturationem necessarium est.

Liquor in aheno stanneo, ad tertiam partem copiae evaporatus, frigescat, sedimento demisso defundatur, tum denuo cum Aceto purificato saturetur, ac cum pulvere Carbonum vegetabilium praeparatorum coctus filtretur. Filtratum leni calore in aheno dicto, sub perpetua agitatione, ad siccum evaporet. Sal in pulverem redactum statim, ne humidum fiat, in vitro probe obturato, loco sicco, servetur.

Praebeat pulverem salinum album, sub-squamosum, mollem, in atmosphaera liquescentem; saporis calidi, pungentis, salsi, dulciusculi; odoris subacetici, neutiquam vero empyreuma prodentis. In pari pondere Aquae destillatae, etiam in Spiritu Vini rectificatissimo, sine residuo, solubilis. Solutio nec Chartam exploratoriam coeruleam, nec flavam permutet; Acido Vitrioli concentrato affuso clara permaneat, Acidumque Aceti spiret; Aqua hydrosulphurata instillata nil plumbi vel alius metalli inesse indicet.

TERRA FOLIATA TARTARI CRYSTALLISATA.

Natrum aceticum Bor. Acetis Sodae Bat. Acetas Sodae Bav. Belg. Gall. Terra foliata mineralis. Acetas Sodii. Krystallisirbare Blättererde. Eßigsaures Natrum.

Rp. Salis Sodae depurati Partem unam.

Solve in

Aquae destillatae fervidae Partibus duabus.

Liquor, aheno stanneo immissus, cum

Aceti concentrati sufficiente copia

neutralisatur, dein denuo ingeritur

Salis Sodae depurati trigesima pars Sodae prius receptae.

Tum liquor filtretur, et evaporet, dum gutta, tabulae lapidae instillata, crystallos edat, quo facto liquor loco frigido, ut in crystallos abeat,

seponitur; residuus dein a crystallis ortis defunditur, et denuo evaporando in crystallos cogitur, quae collectae ac in bibula celeriter siccatae statim in vase vitreo, subere clauso, servantur.

Prismata plerumque longa, inaequaliter hexagona, diaphana, longitudinem versus striata; vel planis tribus, convergentibus, acuminata vel truncata; saporis dulciusculi, subsalsi, refrigerantis, mitioris; odoris subacetici; aëri calido exposita fatiscentia; in pari pondere Aquae destillatae, in minori bullientis, ac in Spiritu Vini rectificatissimo solubilia, residuo nullo; solutio ab Aceto concentrato instillato, nec effervescat, nec liquore Barytae nitricae affuso, praecipitatum, in aqua pura insolubile, edat; ceterum cum Aqua hydrosulphurata mixta a metallis libera reperiatur.

* TERRA PONDEROSA SALITA.

Baryta muriatica Bor. Murias Barytae Bat. Bav. Belg. Aust. Murias baryticus Gall. Chloruretum Barii. Salzsaure Schwererde. Salzsaurer Baryt.

Rp. Spathi ponderosi subtiliter pulverati,
Salis Ammoniaci fixi, fusi, ac pulverati, puri,
singulorum Partes aequales.

Mixta et crucibulo Hassiaco, dein obtegendo, immissa, igne sensim aucto, rutila excandescentia liquantur, ac per dimidiam horam, saepe agitata, fundantur, tunc mortario ferreo, calefacto, ingere. Massam refrigeratam in pulverem redige, quem, vasi terreo vitreato immissum, additis

Aquae communis bullientis Partibus sex,

frequenter bacillo vitreo versando, celeriter elice. Lixivium per linteum defunde, et residuum cum

Aquae communis bullientis Partibus duabus,

cito elue. Liquorem per chartam bibulam filtratum in vase porcellaneo, vel murrhino, arenae imposito, evaporare fac, donec membranula crystallina tegatur, et tum loco frigido ad crystallisandum sepone; e liquore residuo defuso, iterata evaporatione ac refrigeratione, reliquum salem crystallisatione secerne. Crystallos collectas contere, et in cucurbita

Spiritus Vini rectificatissimi duplo pondere perfunde, qui super igne, ad ebullitionem fere usque efferveat, et fervidus filtretur.

Residuum in filtro, cum Spiritu Vini rectificatissimo elotum, solve in

Aquae destillatae sufficiente quantitate.

Solutionem filtratam iterata evaporatione ad crystallisationem, loco frigido, sepone. Crystallos collectas sicca inter chartam bibulam, et serva in vitro obturato.

Formet prismata tetragona, rectangularia, saepius vero tabulas, ad angulos truncatas, albas, diaphanas, et squamas, splendoris subsericei; saporis amari, acris, salsi. Tactu aëris ne mutentur; pars una crystallorum in partibus duabus cum dimidia Aquae destillatae, et circiter in una parte cum dimidia bullientis solvatur; in Spiritu Vini rectificatissimo fere insolubiles sint. Solutio aquosa, cum Acido Vitrioli mixta, praecipitatum album irresolubile edat, totaque cum Acido dicto decomposita liquorem clarum, filtratum super igne sine residuo evaporantem, relinquat; a Spiritu Salis Ammoniaci caustico non turbanda, et vel Aqua hydrosulphurata, Acido Salis acidula, vel liquore Kali ferreo-borussici, vel tinctura Gallarum affusis, a metallis libera reperiatur. Crystallis acicularibus longis, hexagonis, Strontianae muriaticae careat, itaque Spiritu Vini rectificatissimo superfusa, illoque accenso, flammam colore rubro ne tingat.

Dosis. Infantibus granum dimidium quater singulo die, adultis grana duo, tria et sensim plura.

TEREBINTHINA COCTA.

Vide Pag. 296.

* TINCTURA ABSINTHII.

Alcohol Absinthii Bav. Wermuthtinktur.

Rp. Summitatum Absinthii Uncias quatuor.
Minutim concisis affunde

Spiritus Vini rectificati Libras duas.

Digere calore 24° usque 30° in cucurbita vel lagena vitrea, quam vesica irrigata, acu perforata,

clauseris, saepius conquassando, per dies sex. Tincturam refrigeratam exprime, ac infundibuli vitrei tecti ope per chartam bibulam filtra, dum unciarum viginti pondus habeat. Serva in vitro probe obturato loco frigido.

Eodem modo parantur:

TINCTURA BOTRYOS MEXICANAE.

Tinctura Chenopodii ambrosioides Hann. Mexicanische Traubenkrauttinktur.

Ex herba concisa.

TINCTURA MENTHAE PIPERITIDIS.

Pfeffermünztinktur.

Ex herba concisa.

TINCTURA MILLEFOLII.

Schafgarbentinktur.

Ex herba concisa.

TINCTURA ANGELICAE.

Engel- oder Angelikwurzeltinktur.

Rp. Radicis Angelicae contusae Uncias quatuor.
Cucurbitae vel lagenae vitreae immissis affunde
Spiritus Vini rectificati Libras duas.

Digere calore 24° usque 30°, saepius conquassando per dies octo. Tinctura refrigerata expressa, ac uti antecedentes filtrata, unciarum viginti ponderi par sit. Serva in vitro, probe obturato, loco frigido.

Eadem ratione parantur:

TINCTURA CALAMI AROMATICI.

Tinctura Acori Aust. Kalmustinktur.

E radice minutim concisa.

TINCTURA CARDAMOMI.

Kardamomentinktur.

E seminibus contusis.

TINCTURA CARYOPHYLLORUM AROMATICORUM.

Gewürznelkentinktur.

E Caryophyllis aromaticis contusis.

TINCTURA CHINAE FUSCAE VINOSA.

Weinige Braunchinarindetinktur.

E cortice Chinae fuscae contuso, cum Vino Hispanico, loco Spiritus Vini rectificati.

TINCTURA CHINAE REGIAE.

Königschinarindetinktur.

E cortice Chinae regiae contuso.

* TINCTURA CINNAMOMI.

Tinctura Cassiae cinnamomeae. Tinctura Cinnamomi Sinensis. Gemeine Zimmttinktur. Cassienzimmttinktur. Französisch-Zimmttinktur.

E cortice Cassiae cinnamomeae contuso.

TINCTURA CINNAMOMI ACUTI.

Alcohol Cinnamomi Bav. Tinctura Cinnamomi Bat. Belg. Gall. Lond. Sax. Tinctura Cinnamomi Zeylanici. Feinzimmttinktur. Holländisch-Zimmttinktur.

E cortice Cinnamomi acuti contuso.

TINCTURA COLUMBO.

Columbotinktur.

E radice contusa, cum Spiritu Vini rectificatissimo.

* TINCTURA CORTICUM AURANTIORUM.

Alcohol Aurantiorum Bav. Pomeranzenschalentinktur.

E flavedine corticum Aurantiorum contusa.

TINCTURA GENTIANAE.

Enziantinktur.

E radice contusa.

✠ TINCTURA HELLEBORI NIGRI.

Schwarznießwurzeltinktur.

E radice contusa.

TINCTURA MACIDIS.

Macis- oder Muskatblüthetinktur.

E Macide contusa.

TINCTURA PIMPINELLAE.

Pimpinelltinktur.

E radice contusa.

TINCTURA QUASSIAE. *

Quassientinktur.

E cortice contuso.

TINCTURA RATANHIAE.

Ratanhiatinktur.

E radice contusa.

TINCTURA SCILLAE.

Meerzwiebeltinktur.

E radice minutim concisa.

* TINCTURA VALERIANAE.

Baldriantinktur.

E radice contusa.

---

* TINCTURA ACONITI.

Sturmhuttinktur.

Rp. Herbae Aconiti Unciam unam.
Minutim incisae affunde
Spiritus Vini rectificati Uncias octo.

Digere calore 20° usque 24° in cucurbita vel lagena vitrea, quam vesica madefacta et acu perforata clauseris, saepius conquassatam per dies sex. Tinctura refrigerata, expressa et artis lege uti reliquae filtrata, sex unciarum pondus habeat. Serva in vitro probe obturato ac tecto, loco frigido.

Pari modo paratur:

* TINCTURA DIGITALIS PURPUREAE.

Tinctura Digitalis simplex Bor. Roth-Fingerhutkrauttinktur.

Ex herba minutim concisa.

TINCTURA ACONITI AETHEREA.

Aetherische Sturmhuttinktur.

Rp. Herbae Aconiti, minutim concisae, Unciam unam.
Vitro immissae affunde
Liquoris anodyni mineralis Hoffmanni Uncias sex.

In vitro probe obturato macera, calore 15°, saepius conquassando, per septimanam. Tinctura expressa, et tecta filtrata, quatuor unciarum pondus habeat. Serva in vitro, obturaculo vitreo munito, tecto, loco frigido.

Eadem ratione parantur:

TINCTURA DIGITALIS PURPUREAE AETHEREA.

Aether sulphurico-alcoholicus Digitalis Bav. Aetherische Roth-Fingerhutkrauttinktur.

Ex herba minutim concisa.

TINCTURA HYOSCIAMI AETHEREA.

Aetherische Bilsenkrauttinktur.

Ex herba minutim concisa.

TINCTURA STRAMONII AETHEREA.

Aetherische Stechapfeltinktur.

E seminibus probe contusis.

TINCTURA VALERIANAE AETHEREA.

Tinctura Valerianae anodyna. Aetherische Baldriantinktur.

E radice contusa.

---

* TINCTURA ALOES.

Alcohol Aloës Bav. Aloetinktur.

Rp. Aloës succotrinae contritae Uncias duas.
Cucurbitae vel lagenae vitreae immissae affunde
Spiritus Vini rectificati Uncias sedecim.

Digere calore 20° usque 24°, saepius conquassando, per dies sex. Pondus tincturae refrigeratae, expressae et methodo dicta filtratae, uncias quatuordecim aequet. Serva ut ceteras tincturas.

Eodem modo parantur:

TINCTURA ASAE FOETIDAE.

Alcohol Asae foetidae Bav. Stink-Asandtinktur.

Ex Asa foetida pulverata.

TINCTURA BENZOES.

Alcohol Benzoes Bav. Benzoetinktur.

E resina trita.

* TINCTURA CASTOREI.

Tinctura Castorei Canadensis. Biebergeiltinktur.

E Castoreo Canadensi minutim inciso.

Sit obscuro-rubro-brunnea, pellucida; odoris proprii animalis, sed non tam gravis ac insignis, quam Tincturae Castorei Moscowitici sequentis; Aquae destillatae instillata, illam e fuscescente albidam et valde lactescentem reddit, quae, copia Spiritus Salis ammoniaci caustici affusa, fere perspicua fiat, et colore fusco tingatur.

TINCTURA CASTOREI MOSCOWITICI.

Tinctura Castorei Bor. Bat. Belg. Hann. Aust. Gall Lond. Alcohol Castorei Bav. Tinctura Castorei vulgaris Sax. Russisch-Biebergeiltinktur.

E Castoreo Moscowitico minutim inciso.

Sit coloris obscuro-ignei seu fulvi, clara, perspicua; odoris proprii animalis, gravissimi, insignis; Aquae destillatae instillata, illam flavescentem ac subturbidam (opalescentem) reddit, quae, copia Spiritus Salis ammoniaci caustici affusa, clarior fiat; et colore luteo, vix interdum rubello, tincta appareat.

TINCTURA CATECHU.

Katechutinktur.

E Catechu contrito.

TINCTURA GALBANI.

Galbanumtinktur. Mutterharztinktur.

E resina pulverata.

TINCTURA KINO.

Kinotinktur.

E gummi Kino trito.

TINCTURA MYRRHAE.

Alcohol Myrrhae Bav. Myrrhentinktur.

E Myrrha pulverata.

TINCTURA AMARA.

Bittere Tinktur.

Rp. Herbae Centaurii minoris,
Pomorum Aurantiorum immaturorum,
Radicis Gentianae, singulorum Uncias duas,
Zingiberis Unciam unam.

Concisis ac contusis affunde
Spiritus Vini rectificati Libras tres.

Post digestionem exprime, et filtra, uti supra dictum. Tinctura filtrata praebeat uncias triginta. Serva.

TINCTURA AMBRAE COMPOSITA AETHEREA.

Zusammengesetzte ätherische Ambratinktur.

Rp. Ambrae griseae Scrupulum unum.

Phialae immissae et lenissimo igne carbonario liquatae affunde sensim, phialam fortius agitando,
Liquoris anodyni mineralis Hoffmanni Uncias duas et dimidiam,

dein adde
Moschi triti Scrupulum unum.

Digere calore 15°, interdum conquassando, per septimanam, donec Ambra penitus soluta sit. Tincturam filtratam, pondere uncias duas aequantem, serva in vitro, obturaculo vitreo clauso et tecto, loco frigido.

TINCTURA AROMATICA.

Alcohol aromaticum Bav. Gewürztinktur.

Rp. Corticis Cassiae cinnamomeae Uncias duas,
Cardamomi minoris,
Caryophyllorum aromaticorum,
Radicis Galangae minoris,
Zingiberis, singulorum Unciam dimidiam.

Contusa digerantur in
Spiritus Vini rectificati Libris duabus.

Tincturae expressae et filtratae pondus uncias viginti aequet. Serva ut caeteras.

* TINCTURA CANTHARIDUM.

ALCOHOL CANTHARIDUM BAV. Spanischefliegentinktur.

Rp. Cantharidum contusarum Unciam unam,
Spiritus Vini rectificati Uncias sedecim.

Digere calore 20° in vitro obturato per dies sex. Tinctura expressa et filtrata unciarum quatuordecim pondus habeat. Serva, ut supra dictum.

TINCTURA CASTOREI AETHEREA.

Aetherische Biebergeiltinktur.

Rp. Castorei Moscowitici, minutim incisi, Drachmam unam,
Liquoris anodyni mineralis Hoffmanni Drachmas decem.

Digere calore 15° in vitro obturato, saepius conquassando, per septimanam. Tincturam filtratam, unius unciae pondus habentem, serva loco frigido, in vitro, obturaculo vitreo munito, et charta tecto.

‡ TINCTURA COLOCYNTHIDIS.

Coloquintentinktur.

Rp. Pomorum Colocynthidis Unciam unam cum dimidia,
Seminis Anisi stellati Drachmas duas.
Concisis contusisque affunde
Spiritus Vini rectificati Uncias viginti.

Digere lege artis per dies sex. Tincturae expressae et filtratae pondus uncias duodeviginti aequet. Serva.

TINCTURA CROCI.

Saffrantinktur.

Rp. Croci concisi Unciam unam,
Spiritus Vini rectificati Uncias octo.

Digere per quatriduum, exprime ac filtra. Tinctura filtrata sex unciarum pondus habeat. Serva, ut supra dictum.

Pari modo paratur:

‡ TINCTURA SABINAE.

Sadebaumtinktur.

Ex herba crasse pulverata.

TINCTURA VANILLAE.

Vanillentinktur.

E Vanilla minutim concisa.

---

‡ * TINCTURA EUPHORBII.

Euphorbiumtinktur.

Rp. Euphorbii pulverati Unciam unam,
Spiritus Vini rectificati Libram unam.

Digere per septimanam et filtra. Tinctura filtrata pondere uncias decem aequet. Serva.

TINCTURA GINGIVALIS BALSAMICA.

Balsamische Zahnfleischtinktur.

Rp. Myrrhae,
Catechu, singulorum Unciam unam.

Pulveratis ac mixtis instilla
Balsami Peruviani nigri Drachmas duas, adde
Spiritus Vini rectificati,
Spiritus Cochleariae, singulorum Unciás tres.

Digere per septimanam et filtra.

* TINCTURA GUAIACI VOLATILIS.

Tinctura Guaiaci ammoniata Bor. Alcohol. Ammoniae et Guaiaci Bav. Flüchtige Guajakharztinktur. Ammoniumhaltige Guajaktinktur.

Rp. Resinae Guaiaci tritae Unciam unam,

Spiritus Salis Ammoniaci caustici Uncias duas,
Spiritus Vini rectificatissimi Uncias quatuor.

Maceratione frigida in vitro obturato, per dies octo continuata, saepius movendo, extrahatur tinctura. Tincturam filtratam, pondere uncias quinque aequantem, serva in vitro, obturaculo vitreo munito, et charta tecto, loco frigido.

☨ TINCTURA IALAPPAE.

Jalappenharztinktur.

Rp. Resinae Ialappae Partem unam.
Solve ex tempore in
Spiritus Vini rectificatissimi Partibus sex.

Tincturae filtratae pondus partes sex aequet.

Dosin resina indicat.

☨ TINCTURA IODINAE.

Jodintinktur.

Rp. Iodinae Grana quadraginta,
Spiritus Vini rectificatissimi Unciam unam.

Solve ex tempore et residere fac. In vitro, obturamento vitreo clauso, dispensetur.

Dosis. Guttae decem usque ad viginti ter singulo die.

TINCTURA KALINA.

Alcohol Potassae Bav. Tinctura Salis Tartari. Tinctura alkalina acris. Loco Tincturae Antimonii acris. Kalitinktur.

Rp. Lapidis caustici, recenter parati, Uncias quatuor.

In mortario ferreo, calefacto, in pulverem contritum immitte in
Spiritus Vini rectificatissimi, quem leniter calefactum cucurbita continet, Libras duas.

Probe agitentur, tum imposito alembico vitreo, cui luti farinacei et vesicarum ope excipulum adiunctum sit, digerantur arenae balneo per aliquot

dies, ac, si quid Spiritus destillaverit, in cucurbitam refunde. Lapide caustico soluto, tinctura rubicunda a sedimento defundatur, et in vitro obturato servetur.

Sit obscure e rubro brunnea, circiter ponderis specifici 0,904; odoris spirituosi acris; saporis caustici.

TINCTURA MARTIS APERITIVA.

Loco Tincturae Ferri muriatici Bor. et Alcoholis muriatis oxiduli Ferri Bav. Tincturae Martis aureae Sax. Eisensalmiaktinktur. Salzsaure Eisentinktur.

Rp. Florum Salis Ammoniaci martialium Unciam unam,
Spiritus Vini rectificatissimi Uncias quatuor.

Diligenter misce, et calore haud adhibito, tincturam aurei coloris extrahe, quae filtrata in vitro obturato servetur.

Sit coloris aurei, et Tinctura Gallarum ac liquore Kali ferreo-borussici tentata, Ferrum inesse satis prodat.

TINCTURA MARTIS KLAPROTHII.

Tinctura Ferri acetici aetherea Bor. Acetas oxidi Ferri liquidus Bav. Klaproths Eisentinktur. Aetherische eßigsaure Eisentinktur.

Rp. Limaturae Martis depuratae, quantum libet.

Immitte in cucurbitam satis amplam, et caloris lenioris ope solve in

Acidi Salis quantitate sufficiente.

Solutione peracta sensim, assidue agitando, instilla

Acidum Nitri,

dum caloris auxilio non amplius effervescendo prodeat Gas nitrosum, et Ferrum solutum perfecte oxydatum sit.

Solutum dein aqua dilue, et ope

Lixivii caustici praecipita.

Praecipitatum, Aqua destillata probe elotum, dein expressum ac aëri calidiori expositum, ita sicca, ut paululum humidum maneat; cui in mortario vitreo vel porcellaneo contrito sensim

Acetum concentratum tepidum

superfunde et saepius pistillo vitreo vel porcellaneo agita. Soluta prima ferri praecipitati portione, aliam immitte, et hoc facere pergas, dum aliquid solvatur; tum liquorem in vitrum cylindricum ingere, ut resideat.

Huius soluti concentrati, quiete depurati, coloris badii saturati, Partibus novem

adde

Naphthae Aceti Partem unam,
Spiritus Vini rectificatissimi Partes duas.

Serva in vitro, obturaculo vitreo clauso et charta tecto, loco frigido contraque lucem munito.

* TINCTURA MARTIS POMATA.

Tinctura Ferri pomati Bor. Extractum pomorum ferrarium liquidum Bav. Tinctura malatis Ferri Aust. Tinctura Ferri oxydulati tartarici. Eisentinktur mit Aepfelsaft.

Rp. Extracti Martis Partem unam.
Solve mortario porcellaneo ingestum in
Aquae Cinnamomi vinosae Partibus duabus,
Aquae destillatae Partibus quatuor.

Solutionem post viginti quatuor horas a residuo per colum defunde et in vitro obturato serva.

Eadem ratione paratur:

TINCTURA MARTIS CYDONIATA.

Eisentinktur mit Quittensaft.

Solvendo Extractum Martis, cum succo Cydoniae pomorum paratum.

TINCTURA MOSCHI.

Bisamtinktur.

Rp. Moschi Drachmam unam,
Spiritus Vini rectificati Unciam unam.

Macera in vitro obturato per septimanam. Tincturam filtratam, cuius pondus unciam unam aequet, serva in vitro obturato.

✠ * TINCTURA OPII.

Tinctura Opii simplex Bor. alcohol Opii dilutum Bav. Tinctura thebaica Sax. Loco Tincturae Opii Eccardi Hann. Mohnsafttinktur. Opiumtinktur.

Rp. Opii puri, exsiccati et comminuti, Uncias duas,
Spiritus Vini rectificati,
Aquae Cinnamomi, singulorum Uncias sex.

Digere calore 24° usque 30° in cucurbita vel lagena vitrea, quam vesica madefacta et acu perforata clauseris, saepius conquassando, per dies sex; tum exprime et, quum subsederit, filtra. Tincturam filtratam, decem unciarum pondus aequantem, serva in vitro obturato et charta tecto.

Tincturae huius uncia una continet Opii circiter drachmam unam et grana triginta sex; drachma illius una grana huius duodecim; octo guttis, inest Opii circiter granum unum.

Dosin Opium indicat.

* TINCTURA RHEI AQUOSA.

Tinctura Rhabarbari aquosa. Infusum Rhei aquosum Bav. Infusum Rhei Aust. Anima Rhei. Wässerige Rhabarbertinktur.

Rp. Radicis Rhei Chinensis concisae Unciam unam cum dimidia,
Cinerum clavellatorum depuratorum Drachmas tres,
Aquae bullientis Uncias quindecim.

Digere leni calore, per duodecim horas, colaturae unciarum tredecim adde
Aquae Cinnamomi spirituosae Uncias duas.

Serva in vitro obturato, loco frigido.

TINCTURA RHEI SPIRITUOSA.

Tinctura Rhei dulcis. Geistige Rhabarbartinktur.

Rp. Radicis Rhei Chinensis concisae Uncias duas,
Cardamomi minoris contusi Unciam dimidiam,
Spiritus Vini Gallici Libras duas.

Digere per septimanam; tincturae deinde expressae adde

Sacchari albi contusi Uncias quatuor.

Iterum digere, donec Saccharum solutum sit. Tincturam, quiete defaecatam, dein filtratam, pondus librarum duarum habentem, serva in vitro obturato.

TINCTURA RHEI VINOSA DARELII.

Tinctura Rhei vinosa Bor. Darels Weinrhabarbartinktur.

Rp. Radicis Rhei Chinensis concisae Uncias duas,
Passularum minorum Unciam unam,
Corticum Citri,
Radicis Liquiritiae, singulorum Unciam dimidiam,
Cardamomi minoris Drachmas duas,
Vini Hispanici Libras duas.

Digere per triduum, et tincturae expressae adde
Extracti Helenii Unciam dimidiam,
Sacchari albi contusi Uncias tres.

Iterum digere, donec Saccharum solutum sit. Tincturam residendo defaecatam, colatam, quoad pondus libras duas aequantem, serva.

Quaeque tincturae, quod attinet ad odorem, saporem, et ex parte etiam colorem, substantiis extractis et fluidis adhibitis respondeant. Sint clarae, rite saturatae, et in tenuibus saltem stratis pellucidae; nunquam partes alienas, nedum metallicas, contineant.

☨ TURPETHUM MINERALE.

Sulphas Hydrargyri Bat. Subsulfas Hydrargyri peroxydati Gall. Sub-Deuto-Sulphas Hydrargyri. Mineralturpith. Basisches schwefelsaures Quecksilber.

Rp. Mercurii vivi depurati Uncias quatuor.
Cucurbitae amplae, balneo arenae impositae, immisso adde
Acidi Vitrioli concentrati depurati Uncias quinque.

Tunc alembicus luti ope adaptatur, cuius rostrum cum vase recipiente, aquam continente, iunctum est. Incalescat apparatus ad ebullitionem acidi, et transeat Acidum sulphurosum, donec massa salina, in cucurbita restans, sicca appareat. Cucurbita refrigerata, eximatur massa residua, in mortario porcellaneo teratur, pluriesque Aqua destillata calente eluatur, denique pulvis flavus subsidens leni calore siccetur. Serva in vitro obturato, loco obscuro.

Pulvis citrinus, micans, ponderosus, in Aqua destillata aegre solubilis, humidus accessu lucis solaris griseus fit, Acido Vitrioli superfusus, primum in massam salinam albam vertatur, dein in acido praeponderante totus solvatur; excandefactus Gas sulphurosum edat, ac in Mercurium praecipitatum rubrum mutetur, qui dein decomponatur, et sine residuo diffugiat.

Dosis. Granum unum usque tria singulo die.

TUTIA PRAEPARATA.

Oxydum Zinci cinereum. Cadmia praeparata. Präparirter Ofenbruch. Graues Zinkoxyd.

Tutia aliquoties in crucibulo candefiat, singulis vicibus in aqua exstinguatur, tum demum terendo in marmore laevigetur.

Caetera supra vide, ubi de Tutia sermo est.

☨ UNGUENTUM ACRE.

Aetzende Salbe.

Rp. Mercurii sublimati corrosivi,
Butyri Antimonii, singulorum Partem unam,
Unguenti irritantis Partes quatuor.

Misce exactissime ex tempore in mortario vitreo vel porcellaneo.

UNGUENTUM ALBUM SIMPLEX.

Unguentum Cerussae Bor. Unguentum subcarbonatis Plumbi Bav. loco Unguenti oxydi Plumbi carbonati Bat. Unguenti subcarbonatis Plumbi Belg. Adipis sub-carbonatis Plumbi medicati Gall. Einfache weiße Salbe. Bleiweißsalbe.

Rp. Cerussae subtilissime pulveratae Uncias quatuor,
Axungiae Porci depuratae Uncias sex.

Axungia liquata misceantur exactissime in vase lapideo et agitentur agitaculo ligneo, donec refrixerint. Nunquam magna copia simul paranda.

Serva, ut caetera unguenta, in vase terreo vitreato, murrhino vel porcellaneo, charta cerata tecto, loco frigido et sicco.

Si cuilibet unciae Unguenti albi simplicis addatur Camphorae tritae Scrupulus unus, habes:

UNGUENTUM ALBUM CAMPHORATUM.

Kampherhaltige weiße oder Bleiweiß-Salbe.

---

* UNGUENTUM ALTHAEAE.

Unguentum de Terebinthina et Cera Gall. loco Unguenti flavi Bor. Unguenti cerei Curcumae Bav. Eibischsalbe. Gelbe Salbe.

Rp. Decocti Radicis Althaeae,
Seminis Foeni Graeci, singulorum Libram unam,
Axungiae Porci depuratae Libras quatuor,
Pulveris Radicis Curcumae Unciam unam.

Coque in lebete cupreo leni igne, donec omnes partes aquosae consumtae sint. Tunc adde
Cerae citrinae Libram unam,
Resinae communis Libram dimidiam.

Liquefactis et per stupam colatis, agitando admisce

Terebinthinae Venetae Uncias duas.
Serva modo dicto.

UNGUENTUM BASILICUM.

Unguentum Terebinthinae resinosum. Basilicumsalbe.

Rp. Cerae citrinae,
Colophonii,
Sevi vervecini, singulorum Libram unam,
Terebinthinae communis Libram dimidiam,
Olei Olivarum Libras tres.

Leni igne liquatis et per stupam colatis, fiat lege artis unguentum. Serva.

UNGUENTUM BASILICUM CUM PICE NAVALI.

Loco Unguenti Picis empyreumaticae Bav. Unguenti de Pice et Cera Gall. Unguenti Resinae nigrae Lond. Basilicumsalbe mit Schiffpech.

Rp. Cerae citrinae,
Sevi vervecini,
Colophonii,
Picis navalis,
Terebinthinae communis, singulorum Uncias tres,
Olei Olivarum Libram unam.

Colophonium cum Pice navali super igne modico liquetur, quo facto reliqua adde, seorsim liquata, unguento per stupam colato et semirefrigerato admisce

Pulveris Olibani Unciam unam cum dimidia.

Serva.

* UNGUENTUM DIGESTIVUM.

Unguentum de Terebinthina et Ovorum vitellis Gall. loco Unguenti Terebinthinae Bor. Unguenti Balsami et Olei Laricis Bav. Digestivsalbe.

Rp. Terebinthinae Venetae Libram dimidiam,
Vitellos Ovorum duorum.

Misce diu in lebete cupreo, sensim addendo
Olei Hyperici cocti Uncias duas.
Serva.

UNGUENTUM DIGITALIS PURPUREAE.

Roth-Fingerhutkrautsalbe.

Rp. Herbae Digitalis purpureae, recentis, contusae,
Uncias novem.
Coque leni igne cum
Axungiae Porci Unciis sedecim,
donec aquosae partes consumtae sint, deinde exprime, cola, ac unguentum refrigeratum serva.

Cum recens herba haud in promptu est, siccatae, incisae uncias tres sume, et aquae sufficientem quantitatem adde.

Pari methodo paratur:

UNGUENTUM HYOSCIAMI.

Bilsenkrautsalbe.

Ex herba.

---

* UNGUENTUM IRRITANS.

Unguentum Cantharidum Bor. Unguentum Cantharidum cereum Bav. Ung. Lyttae Lond. Ung. epispasticum. Ung. vesicatorium. loco Unguenti Cantharidum Bat. Belg. Reizende Salbe. Spanisch-Fliegensalbe.

Rp. Cantharidum contusarum Uncias duas,
Olei Papaveris Uncias octo.

Digerantur in olla, vesica tecta, balneo aquae ingesta, per biduum, interdum conquassata; dein cola per linteum et residuum exprime. Olei colati librae dimidiae adde
Cerae albae Uncias quatuor.

Liquando super igne leni et agitando fiat unguentum, quod servabis in vase obturato.

UNGUENTUM LINARIAE.

Leinkrautsalbe.

Rp. Herbae Linariae, recentis, contusae, Libram unam,
Axungiae Porci depuratae Libras duas.

Coque leni igne ad aquosarum partium evaporationem, tum cola per linteum et residuum in prelo ferreo exprime. Unguentum, refrigeratione concretum, serva.

UNGUENTUM MERCURIALE CITRINUM.

Unguentum Hydrargyri citrinum Bor. Aust. Unguentum nitratis Hydrargyri Bat. Belg. Adeps nitrate Hydrargyri medicatus Gall. Unguentum Hydrargyri nitratis Lond. Gelbe Quecksilbersalbe.

Rp. Mercurii vivi Unciam unam.
Solve caloris tepidi auxilio in
Acidi Nitri Unciis duabus.

Solutione peracta, liquor ebulliat per horae quadrantem, deinde sensim instillentur
Axungiae Porci depuratae Unciae duodecim,
prius in vase figulino vitreato ad ebullitionem usque fervefactae. Fiat agitando cum spathula lignea unguentum, quod semirefrigeratum in chartae capsulas effundas, ac refrigeratum, chartae ceratae involutum, serves. Saepius recens parandum.

* UNGUENTUM MERCURIALE.

Unguentum Hydrargyri cinereum Bor. Ung. Hydrargyri sine Terebinthina Hann. Ung. Hydrargyri Bav. Ung. mercuriale cinereum Sax. Graue Quecksilbersalbe.

Rp. Mercurii vivi Uncias duodecim,
Sevi vervecini Uncias octo.

Tere in mortario lapideo tepido ad perfectam Mercurii abolitionem, tunc admisce
Axungiae Porci depuratae Uncias sedecim.

Exactissime mixta serva.

Ut Mercurius citius aboleatur, eum una cum sevo et portiuncula eiusdem unguenti, prius praeparati et nondum corrupti, terere licet.

UNGUENTUM MERCURIALE CUM TEREBINTHINA.

Unguentum Hydrargyri cinereum cum Terebinthina Hann. Unguentum Neapolitanum. Unguentum mercuriale mitius. Terpenthinhaltige graue Quecksilbersalbe. Neapolitanische Salbe.

Rp. Mercurii vivi Uncias quatuor,
Terebinthinae Venetae Uncias duas.

Tere in mortario lapideo tepido ad perfectam Mercurii abolitionem, tum admisce
Axungiae Porci depuratae Uncias sedecim.

Exactissime mixta serva.

UNGUENTUM MERCURIALE RUBRUM.

Unguentum Hydrargyri rubri Hann. Rothe Quecksilbersalbe.

Rp. Mercurii calcinati rubri, subtilissime pulverati, Partem unam,
Axungiae Porci depuratae Partes decem.

Exactissime misceantur in mortario lapideo et serventur.

UNGUENTUM MUNDIFICANS ZELLERI.

Unguentum Hydrargyri albi Bor. Ung. muriatis Hydrargyro-ammoniacalis Bat. Ung. mercuriale album Sax. Zellers reinigende Salbe. Weiße Quecksilbersalbe.

Rp. Mercurii praecipitati albi, subtilissime pulverati, Partem unam,
Unguenti pomadini Partes octo.

Misce exactissime, ex tempore, in mortario lapideo.

* UNGUENTUM NERVINUM.

Unguentum Laurino-camphoratum Bav. loco Unguenti Rorismarini compositi Bor. Unguenti aromatici Aust. Ung. laurini Bat. Belg. Nervenstärkende Salbe.

Rp. Sevi vervecini Uncias novem.

Liquatis et semirefrigeratis admisce
Olei laurini Uncias decem,
tandem ingere
Camphorae Unciam unam
solutam in
Olei Baccarum Iuniperi destillati,
Olei Lavendulae destillati, singulorum Uncia dimidia.

Probe mixta serva in vase rite clauso.

UNGUENTUM NITRICUM.

Unguentum oxygenatum Bor. Aust. Axungia oxygenata Bat. Belg. Unguentum oxynomenon Sax. Pomatum nitricum Gall. Unguentum pomatum oxigenatum. Salpetersaure Salbe. Oxygenirte Salbe.

Rp. Axungiae Porci depuratae Partes octo.

Supra lenem ignem in vase terreo vitreato liquatae, dum bacilli vitrei ope agitatur, sensim admisce
Acidi Nitri Partem unam,
neque prius ab igne removeatur, quam nullum amplius Gas nitrosum evolvat, et Charta exploratoria coerulea non amplius tingatur. Refrigeratum, vase clauso, loco obscuro serva.

* UNGUENTUM POMADINUM.

Unguentum rosatum Bor. Pommade. Rosensalbe.

Rp. Axungiae Porci depuratae Libram unam,
Cerae albae Uncias tres.

Leni igne liquatis et refrigeratis agitando sensim admisce

Aquae Florum Naphae,
Rosarum, singulorum Uncias duas,
Olei de Cedro Guttas viginti quatuor,
Bergamotte,
Lavendulae, singulorum Guttas duodecim.

Misceantur et serventur in vase probe clauso.

UNGUENTUM POPULEUM.

Pappelsalbe.

Rp. Gemmarum Populi recentium Libras duas,
Herbae Hyosciami recentis, contusae, Libram unam,
Axungiae Porci Libras quatuor.

Coque leni igne, donec humor omnis evanuerit, deinde exprime et cola.

UNGUENTUM PSORICUM ANGLICUM.

UNGUENTUM SULPHURATUM COMPOSITUM HANN. Englische Krätzsalbe.

Rp. Florum Sulphuris Libram dimidiam,
Pulveris Radicis Hellebori albi Uncias duas,
Nitri depurati Drachmam unam,
Saponis nigri Libram dimidiam,
Axungiae Porci depuratae Libram unam cum dimidia.

Misceantur exactissime.

UNGUENTUM DE STYRACE.

Storaxsalbe.

Rp. Resinae Elemi,
Cerae citrinae, singularum Drachmas quindecim,
Colophonii Unciam dimidiam,

liquatis admisce

Styracis liquidi Drachmas quindecim,
Olei Olivarum Uncias septem cum dimidia.
Styrace soluto, unguentum cola, ac refrigeratum in vase, probe clauso, serva.

UNGUENTUM TARTARI EMETICI.

Unguentum Tartari stibiati Hann. Brechweinsteinsalbe.

Rp. Tartari emetici, subtilissime triti, Partem unam,
Axungiae Porci depuratae Partes quatuor.
Misce exactissime ex tempore.

UNGUENTUM ZINCI.

Loco Unguenti de Nihilo. Zinksalbe.

Rp. Florum Zinci Partem unam,
Cerati simplicis Partes octo.
Misce, ex tempore, exactissime.

Unguenta sint a rancore libera; aequabiliter mixta; odoris et saporis partium, pro ratione solutionis aut receptionis, insignis; consistentiae Axungiae Porci vel Sevi vervecini. Generatim nunquam annum excedentia prostent; ea vero, quae omni tempore parari possunt, saepius per annum conficias.

VINUM ANTIMONII.

Vinum stibiatum Bor. Bat. Belg. Bav. Vinum emeticum Gall. Liquor Antimonii tartarizati Lond. loco Vini Antimonii Huxhami. Aquae benedictae Rulandi. Spiesglanzwein.

Rp. Tartari emetici Grana duo.
Solve in
Vini Hispanici Uncia una.
Filtra et serva in vitro obturato. Nunquam longius prostet.

Sit limpidum, sine sedimento; coloris Vini adhibiti; saporis, praeter vinosum, submetallici, nauseosi; addita Aqua hydrosulphurata, Acido Salis acidula, praecipitatum aurantiaco-rubellum demittat.

VINUM MARTIATUM.

Vinum Ferri Lond. Vinum chalybeatum. Eisenhaltiger Wein. Stahlwein.

Rp. Limaturae Martis depuratae Uncias duas,
Corticis Cassiae cinnamomeae Unciam unam,
Vini Rhenani generosioris Libras duas.

Digere per quatriduum, cucurbitam subinde movendo, tum filtra. Vinum filtratum, unciarum viginti pondus aequantem, vitro obturato ingere. Solummodo ex tempore parandum.

✠ * VITRIOLUM ALBUM PURUM.

Zincum sulphuricum Bor. Sulphas Zinci Bat. Belg. Bav. Gall. Sulphas Zinci purus Aust. Zinci sulphas Lond. Vitriolum Zinci factitium Sax. Reiner weißer Vitriol. Reiner Zinkvitriol. Schwefelsaures Zink.

Rp. Zinci Indiae orientalis, in frustula comminuti vel granulati, Libram unam.

Ingere per vices ac solve in
Acidi Vitrioli diluti quantitate necessaria.

Liquor plane saturatus et exaestuatus filtretur per chartam bibulam ac evaporet, donec Vitriolum album incipiat secerni.

Tum addantur
Acidi Nitri Unciae duae.

Ebulliant aliquoties, dein admisceantur
Florum Zinci Uncia una cum dimidia.

Liquor iam diluatur cum
Aquae destillatae Partibus quatuor,

et denuo coquatur per horam dimidiam, postea filtretur et evaporet, dum membranula oriatur, ac refrigerando in crystallos cogatur, quod toties repetendum est, quoties crystalli formantur, quas, inter chartam bibulam loco tepido cito siccatas, statim in vasis vitreis, probe clausis, servabis.

Ad crystallos meliores eliciendas lixivio unciae duae Acidi Vitrioli diluti interdum addendae sunt.

Prismata tetragona rectangularia, planis quatuor convergentibus acuminata, plerumque compressa, ac plus vel minus truncata exhibens; sed etiam sub forma prismatum irregularium sex vel octo lateribus occurrens; sunt incolora, perspicua, aqua duplo circiter ponderosiora; saporis acris, perstyptici, nauseoso - metallici; atmosphaerae exposita, opaca et nivea fiunt. In Aquae destillatae partibus duabus cum dimidia et in una bullientis solubilia. Solutio cum Spiritu Salis Ammoniaci caustico sensim mixta, praecipitatum album demittat, in Spiritus Salis Ammoniaci caustici copia praeponderante ita solvatur, ut liquidum decolor ac clarum reddatur, residuo nullo, unde a ferro et cupro oxydato, terrisque liberum reperiatur. Liquor Kali ferreo-borussici Zincum hydrocyanicum niveum e solutione aquosa praecipitet.

Dosis. Ad vomitum movendum grana quatuor usque ad grana decem, etiam viginti.

✠ * VITRIOLUM COERULEUM PURUM.

Cuprum sulphuricum Bor. Sulphas Cupri Bat. Belg. Bav. Sulfas Cupri caeruleus Gall. Vitriolum Cupri factitium Sax. Deuto-Sulfas Cupri. Reiner blauer Vitriol. Reiner Kupfer-Vitriol. Schwefelsaures Kupfer.

Rp. Acidi Vitrioli concentrati, puri Partes tres,
Aquae destillatae Partem unam.

Rite mixta exaestuantur in cucurbita vitrea, satis ampla, balneo arenae imposita; tunc sensim ingere, vapores sulphurosos, mox erumpentes, caute evitando

Cupri puri, tenuiter laminati, concisi Partem circiter unam, vel quantum opus erit,

soluta portione prima, alteram adde et sic perge, donec metallum non amplius a liquore bullienti afficiatur, et evolutio Gas sulphurosi cesset.

Residuum salinum solve in

Aquae destillatae ferventis sextuplo,

et liquorem, per chartam bibulam filtratum, vaporando ac loco frigido seponendo, in crystallos coge, quas siccatas in vitro probe clauso serva.

Signa physico-chemica supra vide, ubi de Vitriolo coeruleo venali sermo est. Solutio aquosa, addito Spiritu Salis Ammoniaci caustico usque ad resolutionem Cupri oxydati praecipitati, clara, lazulina et sine residuo insolubili appareat, eo autem modo, quem Pag. 175. exposuimus, tentata, a Zinco oxydato libera reperiatur.

Dosis. Grani pars octava usque Granum unum.

* VITRIOLUM MARTIS PURUM.

Ferrum sulphuricum crystallisatum Bor. Sulphas Ferri Bat. Belg. Sulphas oxiduli Ferri Bav. Sulphas Ferri purus Aust. Sulfas Ferri viridis Gall. Ferri sulphas Lond. Vitriolum Martis factitium Sax. Sal Martis. Proto-Sulfas Ferri. Reiner Eisenvitriol. Reiner grüner Vitriol. Crystallisirtes schwefelsaures Eisen.

Rp. Acidi Vitrioli concentrati, puri Libram unam.

Misce in cucurbita vitrea ampla, colli longioris et angustioris cum

Aquae destillatae Libris quatuor.

Sensim immitte

Limaturae Martis depuratae Uncias octo.

Effervescentia cessante, liquorem repone per horam supra arenam, ut ad ebullitionem usque sensim exaestuet; parum adhuc calentem filtra, et lege artis in crystallos redige, quas serva in vitris probe clausis, adversus lucis et aëris accessum munitis.

Referat signa physico-chemica Vitrioli viridis venalis Pt. I. exposita. Coloris dilute-prassini, neutiquam flavescentis, vel ferruginei sit. Lamina ferri polita, solutioni

aquosae immersa, cuprum inesse ne prodat, etiam Zincum ne contineat, quod, praecipitatione cum Spiritu Salis ammoniaci caustico ac digestione praecipitati, satis eloti, cum eiusdem Spiritus copia, filtratione ac evaporatione liquoris filtrati ad siccum, eruendum; residuum nullum hic index puritatis.

PARS TERTIA.

REAGENTIA.

PROLEGOMENA.

Quamquam corpora simplicia (elementa), et ea, quae e mutua illorum coniunctione chemica originem trahunt, sub quibusdam conditionibus plus minusve chemice se moveant, tamen prae ceteris REAGENTIUM nomine complectimur, quae, quum vi quadam maiore, insigni manifestaque afficiant alia corpora, insignes horum notas praebent. Efficaciam vero ita produnt, ut corpora vel solvant, vel e solutione ad imum vertant (praecipitent), vel illorum colorem mutent, vel denique ignis ope in metalli formam reducant, neque non (uti fluxus) liquida, faciant.

Reagentia purissimo tantum adhibeas statu, omnibus aliis reiectis. Acores (Acida), Alkalia, et Salia, huc pertinentia, utrum metallorum oxydis inquinata sint, nec ne, auxilio Aquae hydrosulphuratae, Tincturae Gallarum ac Liquoris Kali ferreoborussici, methodo illorum indoli respondente, explores. In singulis reagentibus dictum est, quomodo alias partes, illa contaminantes, examinando cognoscere poteris. Servanda reagentia in vasibus vitreis, eiusdem materiae obturamentis, quae aptissima inseras, instructis, et vesica, si necessarium, tectis, loco frigido atque adversus lucis accessum munito.

Perscrutanda corpora soluturus cures, ut tota perfecte solvantur, residuum vero, quod primum solutioni restitit, iterata solvas agendi ratione.

Quum multa reagentia, praesertim praecipitantia, solutionibus non satis dilutis ac neutralisatis coniuncta, propria reagendi vi priventur, vel cum solutionibus, varia corpora continentibus, commixta, aequabiles quidem, re autem valde inter se discrepantes, reactiones producere possint, necesse est:

Primum solutiones et liquores explorandos Aqua destillata pura antea probe diluas;

deinde adiumento idoneo diligenter neutralises, si fieri potest, usque ad saturationem;

tum varia corpora, in illis soluta, deinceps aptis reagentibus vel calore adiuvante etc. separes,

quae denique, si opus sit, singulatim chemicae subiicias explorationi.

Liquorem explorandum cum reagente quassando intime miscendum esse, ita promtum et propositum est, ut non egeat demonstratione.

Si quando acciderit, ut reagens praecipitans languentem vim exserat, maturanda est praecipitati separatio vel quiete, vel fervefaciendo minuendove liquorem via evaporationis. Nunquam vero non reagens sensim tantum probando liquori addas, et quidem tam diu, quam liquorem hoc modo turbidum redditum vides. Caveas autem, ne reagentis nimiam adiicias copiam, praesertim quum illud facultate gaudet, praecipitatum ortum resolvendi.

Omnes huiuscemodi labores, quibus exercendis liquores aestu arte facto haud egent, temperato tantum aëris calore suscipias; usque quoque Aquam puram destillatam, etiam ad eluenda vasa etc. adhibens.

APPARATUS.

Opus sunt libra accurata cum ponderibus, vasa vitrea conica, infundibula minora, retortula, lagenula Woulfiana pro evolutione Gas, tubuli vitrei, varie incurvati, bacilli vitrei, mortarium et crucibulum porcellaneum, patinae porcellaneae, magnitudinis variae, crucibulum ex argento vel platina confectum, cochlear minus e platina factum, spathulae minores e ferro polito cusae, microscopium simplex, lucerna Spiritu Vini repleta, tubulus ferruminatorius cum rebus necessariis, cochlearia eburnea minora, charta bibula alba, Aqua destillata elota ac siccata, lintea alba etc.

ACIDUM ACETI.

Eßigsäure. Vide Pag. 184.

Servit alkalibus inter se pro varia solubilitate et indole salium, cum ipso formatorum, distinguendis; explorando deinde Mercurio vivo et Antimonio diaphoretico, ratione puritatis etc.; parandis denique solutionibus corporum metallicorum, quae ab aliis acidis oxydatione nimis mutarentur.

ACIDUM BORACIS.

Acidum boracicum Bav. Gall. Bat. Sal sedativus Hombergii. Boraxsäure. Sedativsalz.

Rp. Boracis Venetae purae Uncias quatuor.
Solve, cucurbitae vitreae ingestas, in
Aquae bullientis Unciis sedecim,
et instilla solutioni filtratae, adhuc calenti et frequenter bacillo vitreo agitatae,
Acidi Vitrioli concentrati, puri Drachmas decem.

E lixivio, per viginti quatuor horas loco frigido, ut in crystallos abeat, seposito et a crystallis defuso, iterata evaporatione ac refrigeratione, reliquum acidum elice.

Crystallos, Aqua destillata probe ablutas, inter chartam bibulam sicca, et vasi vitreo ingestas, denuo in
Spiritus Vini rectificatissimi ferventis Partibus sex
solve, ac solutionem adhuc fervidam in
Aquae destillatae calidae pari quantitate
filtra. Liquor refrigeratus, a crystallis ortis defusus, ac destillando a Spiritu Vini separatus, crystallos adhuc exhibet, quae cum reliquis, uti dictum, siccandae ac servandae sunt.

Referat lamellas parvas, sexlateras, albas, diaphanas, nitoris margaritarum, attactu laeves, inodoras; saporis debilis, amariusculi, subacidi, refrigerantis; constantes, ubi aëri exponuntur; calore tubuli ferruminatorii, super prunis in vitrum fixum, diaphanum, colore non infectum, fusiles; in aquae frigidae partibus viginti et quinque ac in quatuor usque quinque bullientis, etiam in Spiritu Vini rectificatissimo, solubiles; solutione Chartam exploratoriam coeruleam parca rubedine, et Chartam exploratoriam luteam colore aurantiaco siccando imbuente, Chartam Rhabarbari vero non mutante. Solutio spirituosa accensa, viridi flamma flagrat.

Reductioni salium metallicorum, imprimis Arsenici oxydati, Calci vel metallis nupti, adhibetur.

* ACIDUM NITRI.

Salpetersäure. Vid. Pag. 187.

Inservit metallis nonnullis uti Stanno etc. vel oxydulis eorum, praecipue Ferri, peroxydandis; Auro ab Argento separando; pigmentis organicis aestu decolorandis; parandis plurimis solutionibus metallorum, alkalium ac terrarum, ut salia inde nata ulterius explorari queant; praecipitatis pluribus denique solvendis et inde ab aliis distinguendis.

* ACIDUM OXALICUM.

Acidum Sacchari. Sauerkleesäure. Oxalsäure. Zuckersäure.

Rp. Salis Acetosellae Unciam unam.
Ingere vasi vitreo et solve in
Aquae destillatae fervidae Unciis duodecim.
Sensim solutionem
Liquore Cinerum clavellatorum depuratorum satura, et saturatae tamdiu
Liquorem Sacchari Saturni
instilla, quamdiu hic sedimentum album secernit. Liquore defuso, praecipitatum iteratim Aqua destillata ablue, et inter chartam bibulam calore 30° vel 40° sicca.

Huius Pulveris Partibus tribus
adde
Acidi Vitrioli concentrati puri Partem unam,
Aquae destillatae Partibus decem

prius diluti, et mixturam pari calore per viginti quatuor horas, saepius agitatam cum bacillo vitreo digere. Liquorem digestum et residuum filtro immitte ac residuum Aqua destillata elue; filtratum, si Acidum sulphuricum continet, cum parte Plumbi oxalici digerendum, donec particula fluidi rursus filtrati, affuso liquore Terrae ponderosae salitae diluto, non amplius Spathum ponderosum pulverulentum, sed paullo post affusionem in liquore claro crystalla minima acicularia (Barytam oxalicam), in Acido Nitri resolubilia, edat. Liquor tum resideat, et clarus in vitrum defundatur ac cum Aqua hydrosulphurata conquatiatur, donec Plumbum non inesse prodat, quo facto filtretur et vaporando in crystallos cogatur, quae inter chartam bibulam siccandae sunt.

Referat prismata tenuiora, oblonga, plerumque tetragona vel hexagona, compressa, saepius striata, planis duobus vel quatuor convergentibus acuminata, alba, clara, splendoris vitrei; inodora; saporis acidissimi; aëris sicci, calidi attactu dehiscentia; in retortula vitrea aestui exposita partim sublimantur, partim decomponuntur, pauxillo carbonis relicto. In partibus novem Aquae destillatae ac in pondere aequali bullientis, etiam in Spiritu Vini rectificatissimo solubilia. (Acidum oxalicum, oxydatione Sacchari albi cum Acido Nitri paratum et cum hoc inquinatum in aqua multo solubilius, ne adhibeas) Sit album et a metallis liberum; aëre ne humidum fiat. SAL VENENOSUM.

Adhibetur ad parandum Ammonium et Kali oxalicum.

LIQUOR ACIDI OXALICI.

Flüssige Sauerkleesäure.

Paratur solvendo partem unam Acidi oxalici in novem partibus Aquae destillatae.

Cum Aqua Barytae saturatus, praecipitatum exhibeat, quod in Acido Nitri prorsus resolvatur; affuso liquore Argenti nitrici aeque se habeat, nisi quod praecipitatum ab Acido Nitri tardius resolvitur.

Monstrat Calcem solutam et liberam, et acidis, etiam Acido Vitrioli (forma Gypsi) saturatam, praecipitato albo in aqua et in Acido oxalico libero etiam coquendo non solubili, in Acido Nitri vero solubili; cum Baryta quoque ac Strontiana in aqua solutis, vel acidis saturatis, praecipitata alba, tam pulverulenta quam minute crystallina producit, quae coquendo in Acido oxalico praeponderante, vel in Acido Nitri frigido plane resolvuntur; cum salibus Argenti et Mercurii oxydulati, ac Plumbi neutris, in aqua solubilibus, sedimenta alba, coquendo cum Acido oxalico aegre, seu ex parte modo solubilia format, quae omnia vero etiam in copia Acidi Nitri, quamquam nonnulla tarde, tota tamen, resolvuntur. Liquor Acidi oxalici, affuso liquore Salis Tartari, Sal Acetosellae pulverulentum producit. Aurum e solutione muriatica sub forma pulveris violacei praecipitat.

ACIDUM SALIS.

Salzsäure. Vid. Pag. 189.

Argentum, Plumbum, Mercurium oxydulatum, in acidis ad neutralisationem usque soluta, praecipitato albo indicat, (conf. Liquor Salis communis); cum Magnesia nigra (Mangano oxydato nigro) Acidum Salis dephlogisticatum (Acidum oxymuriaticum) format; Alkali volatile liberum in liquidis nebula alba significat; ad puritatem Stanni ab Arsenico denique eruendam adhibetur.

ACIDUM VITRIOLI CONCENTRATUM PURUM.

Reine Vitriolsäure. Vide Pag. 192.

Inservit acidis volatilioribus, cum alkalibus nuptis odore etc. recognoscendis, fixis (uti Acido Boracis etc.) a basibus salinis secernendis; Kali, Sodae, Terraeque argillosae (auxilio Kali in forma Aluminis) et Magnesiae albae, crystallisatione distinguendis; salibus denique Terrae ponderosae (Barytae), Strontianae, Calcis, Argenti, Mercurii oxydulati et Plumbi e solutionibus, praecipitatione eruendis. Conf. Liquor Tartari vitriolati.

ACIDUM VITRIOLI DILUTUM.

Verdünnte Vitriolsäure. Vid. Pag. 193.

Ad corpora, quae Acidum antecedens destrueret, indaganda, aut loco illius adhibetur.

AMMONIUM HYDROSULPHURATUM LIQUIDUM.

Hydrosulphuretum Ammoniae liquidum Bav. Ammonium hydrothionicum liquidum. **Schwefelwasserstoffsaures, oder hydrothionsaures Ammoniak oder Ammonium.**

Deducas Gas hydrosulphuratum (in praeparatione Aquae hydrosulphuratae descriptum) tubuli vitrei curvati ope, in Spiritum Salis Ammoniaci causticum, in vase vitreo, subere perforato clauso et in aquam frigidam immerso, contentum, donec hic nil amplius illius absorbeat. Serva in vitris, obturaculis vitreis ac pice munitis, loco obscuro, frigido.

Sit recens limpidum, fere decolor; aëris attactu sensim flavescat et tandem decomponatur, simul Sulphur deponens; odoris hepatici dicti, fortis ac volatilis; saporis similis et alkalini caustici; calore leni facile diffugiat.

Plurima metalla in statu sulphuretorum e solutionibus in acidis praecipitat, maxima ex parte et colore et proprietate chemica diversa. Indicat Aurum praecipitato rutilo-nigro, Argentum sordide-brunneo, in Acido Salis pro momento vix mutabili, Bismuthum obscure-brunneo, Cuprum nigro-brunneo,

praecipitato in reagente solubili, Mercurium oxydulatum nigro, oxydatum cinerascente-brunneo, Plumbum praecipitato cinereo-nigro, quod ab Acido Salis statim in albidum et album mutetur (sedimento brunnescente vero, si reagens attactu crebro aëris oxydatum fuisset). Monstrat Stannum oxydulatum praecipitato rutilo-brunneo et Stannum oxydatum sordidiore ac lutescente, in copia Acidi Salis solubili, Ferrum nigro, una cum Zinci praecipitato albido in Acidis mineralibus facile solubili, Antimonium aurantiaco et aurantiaco-rubello (confer. Kermes minerale et Sulphur aurat. Antimonii), Kadmium citrino saturo, denique subaurantiaco, splendente, in reagente et in Spiritu Salis Ammoniaci caustico vix, sed plane in Acido Salis solubili, Arsenicum album et Acidum arsenicicum, post additionem modo guttularum acidi alicuius fortioris e. g. Nitri vel Salis, vel etiam Acido arsenicico in liquore indagando praeponderante, praecipitato vitellino seu lucidiore, in reagente et Spiritu Salis Ammoniaci caustico mox ac plane solubili. Confer. Aqua hydrosulphurata.

AMMONIUM OXALICUM.

Oxalas Ammoniae Bav. Sauerkleesaures oder kleesaures Ammoniak oder Ammonium.

Rp. Acidi oxalici Drachmas duas.

Vasi vitreo ingestum, solve in

Aquae destillatae bullientis Uncia una.

Instilla

Spiritum Salis Ammoniaci causticum,

donec liquor nullum amplius acidi vestigium monstret. Tum calore 30° vel 40° ad momentum crystallisationis evaporare fac et refrigera, quamdiu crystallos edit, quas, Aqua destillata ablutas, inter chartam bibulam sicca.

Referat prismata quatuor-, sex- et octogona, longa, tenuiora, in fasciculos concreta, planis duobus, utrinque oblique truncata; solvantur in partibus viginti Aquae destillatae calore 14°, ac in tribus bullientis.

LIQUOR AMMONII OXALICI.

Sauerkleesaure Ammoniakflüssigkeit.

Paratur ex tempore, quoniam alkalescendo mox corrumpitur, solvendo partem unam Ammonii oxalici in viginti partibus Aquae destillatae.

Uti liquor Acidi oxalici reactiones chemicas producit.

AMYLUM.

Kraftmehl. Stärkmehl. Vid. Pag. 9.

Amylum, praesertim coquendo in aqua solutum, Iodium et salia hydroiodinica colore coeruleo indicat, illud, quum Spiritu Vini solutum solutioni Amyli additur; haec vero, quum Aqua soluta cum solutione Amyli et deinde aliquot guttis Acidi Nitri permiscentur.

AQUA BARYTAE.

Baryta pura liquida Bav. Barytwasser. Schwererdewasser.

Rp. Barytae nitricae, quantum libet.

Hac crucibulum porcellaneum ad mediam partem imple, et igni, caute ac paulatim augendo, expone. Massa salina fusa, et dein siccando rigida facta, ignem ad excandescentiam crucibuli auge, ac talem aestus gradum ale, donec nihil ultra oxygenii evolvitur. Residuum in mortario lapideo pulvera, ac pensatum cucurbitae vitreae ingestum, solve coquendo in

Aquae destillatae Partibus viginti quatuor

ponderis sui, solutionem per chartam bibulam albam filtra, statimque in vitro bene obturato, ac vesica tecto, serva.

Sit limpida, saporis alkalini caustici, aëri exposita Acidum carbonicum cito attrahit et cum membranula Barytae carbonicae obtegitur.

Acidum carbonicum (Aërem fixum), Acidum Phosphori et Acida vegetabilia, Acido Aceti et Succini excepto, praecipitatis albis in Acido Nitri resolubilibus, indicat, Acidum Vitrioli, liberum et basi alkalina in solutionibus nuptum, sedimento albo, quod in aqua et acidis resolvi non potest. Amylum, aqua coquendo solutum, coagulat.

* AQUA CALCIS.

Kalkwasser. Vid. Pag. 197.

Recognitioni metallorum quorundam oxydatorum solutorum inservit, copia maiore liquidis neutris addita. Arsenicum album et Acidum arsenicicum, vel libera, vel alkalibus fixis nupta et aqua soluta, turbatione ac subsequente praecipitato albo indicat, quod prunis iniectum Arsenicum (Allium) olet, vel cum dimidia parte ponderis sui et Acidi Boracis fusi et pulveris Carbonum permixtum, sublimatione in vitro apto, balneo arenae ingesto, Arsenicum metallicum, crystallinum, exhibet, quod parietes vitri forma cuticulae chalybeo-griseae, saepius metallice splendentis, obducit. Sublimatum istud aëris attactu mox splendorem perdit, ac pulvere griseo-nigro (Arsenico oxydulato), obtegitur, super lamina Cupri excandefactum fumum album, Arsenicum redolentem, edit, et superficiem laminae maculis Cupri arsenicalis, argenteis, tritura aegre delendis corrodit; ceterum in Acido Nitri coquendo solutum, solutione neutralisata, cum reagentibus idoneis tentata, signa Acidi arsenicici praebeat (confer. Liquor Arsenici albi). Si liquidum, quod propterea indagatur, quia Arsenicum ei inesse videtur, forsan Sal Ammoniacum vel salia neutra, ab Alkali volatili producta, contineret, cures, ut coquendo et instillando Lixivio caustico ab Ammonio liberatum, dein cum Acido Nitri puro satura-

tum, accessum Aquae Calcis patiatur. Mercurium oxydatum e solutionibus salinis in forma sedimenti, primum flavi, dein aurantiaci et lateritii coloris, Mercurium oxydulatum vero colore nigro-cinereo secernit, et salia terrea plura, in aqua solubilia, decomponit e. g. Magnesiam salitam. Acidum phosphoricum, carbonicum, oxalicum, et tartaricum, alkalibus saturata, e solutionibus praecipitato albo indicat, et quidem oxalicum sedimento, in Acido oxalico praeponderante irresolubili, et inde ab Acido tartarico distinguendum, quod Calcariam tartaricam praecipitatam resolvit. Acidum carbonicum praecipitato, in aqua carbonico-acida resolubili prodit; praecipitata dicta vero omnia in Acido Nitri solvuntur. Tandem Aquae Barytae instar Amylum solutum coagulat.

* AQUA HYDROSULPHURATA.

Acidum hydrothionicum Bav. Acidum hydrosulphuratum Belg. Aqua hydrothionica. Schwefelwasserstoffgashaltiges oder hydrothionsaures Wasser.

Rp. Florum Sulphuris Partem unam,
Limaturae Martis, recenter pulveratae, Partem unam et dimidiam,
Aquae destillatae, quantum opus est,

ut fiat in cucurbita tubulata puls tenuis, quam fere ad ebullitionem calefacias, agitatam bacillo ligneo, donec tota nigra facta sit. Hoc peracto, pultem aqua dilue et cucurbitae tubum tenuiorem incurvatum, quali ad varia Gas genera praeparanda utuntur, suberis perforati ope applica; tum sensim cucurbitae per tubulum instilla

Acidi Vitrioli diluti Partes septem usque octo,

tubulum post singulas instillationes rite claudens, et Gas hydrosulphuratum (Aërem hepaticum), e tubo incurvato prodiens, lagenis Aqua destillata, prius cocta et refrigerata, repletis, in cupa pneumatica excipe, donec duae tertiae partes aquae e

lagenis expulsae sint. Lagenas infra aquae in cupa superficiem subere statim claude et sedulo agita ad plenam aquae saturationem cum Gas hydrosulphurato; hanc Aquam hydrosulphuratam in minoribus lagenis, accurate replendis, subere obturandis et pice muniendis, loco obscuro frigido serva.

Loco Ferri hydrosulphurati etiam Hepar Sulphuris calcareum, cum aqua contritum, methodo dicta, pro saturatione aquae cum Gas hydrosulphurato adhiberi potest.

Sit limpida, decolor, odoris et saporis hydrosulphurati, insignis. Decocti Laccae musci colorem minor copia in rubrum mutat, maior addita penitus exstinguit. Cum liquore Salis Tartari ne effervescat.

Metalla plurima (exceptis oxydulis Chromii, Mangani et Titanii) acidis soluta indicat, et quidem imbuendo plurimas harum solutionum neutras et aqua dilutas colore et subsequente sedimento fusco vel nigro (confer. Ammonium hydrosulphurat.). Solummodo Antimonium in liquore Tartari emetici primum colore aurantiaco-rubello perspicuo ostendit, acido cuiusdam affuso omnino, sub forma praecipitati paris coloris, mox flavescente-rubri eliminat; Kadmium sedimento lucide-citrino monstrat. Arsenici albi solutio in aqua, addita Aqua hydrosulphurata colorem flavam perspicuam induit, et modo praecipitetur, si Gas hydrosulphuratum, ope tubuli incurvi, in illam evolvatur, aut si Acidum quoddam minerale, etiam Acidum arsenicicum, in solutione praeponderet, praecipitato vitellino vel pallidiore, quare solutioni Acidum aliquod forte praeponderans addendum, si Arsenicum album (Acidum arsenicosum) alkalibus saturatum adest. Arsenicum sulphuratum sic praecipitatum, elotum, siccatum ac aestui in vase vitreo idoneo expositum, sublimetur, atque Arsenicum metallicum sublimatum exhibet, si cum pondere pari Salis

Tartari puri sicci et dimidio Carbonis vegetabilis depurati contritum, in vase dicto exaestuetur. Kadmium sulphuratum praecipitatum, siccatum et calefactum vero colorem aurantiacum speciosum, excandefactum saturiorem induit, ac fixum remanet (ceterum confer. Ammonium hydrosulphurat. et Aqua Calcis, signorum reliquorum causa). Cum Ferrum neque non Zincum, in acidis mineralibus soluta, Aquae hydrosulphuratae ope exploranda sunt, antea solutiones vel cum Spiritu Salis Ammoniaci caustico ab acido praeponderante liberari, vel addita Terra foliata Tartari in aceticas mutari necesse est.

Aqua hydrosulphurata acida, cum Acido Aceti vel Salis vel Sale essentiali Tartari praeparata:

LIQUOR PROBATORIUS VINI,

Weinprobe,

dicta, inquinationem salium neutralium alkalinorum et terreorum, aqua solutorum etc. cum metallis nocivis praecipitato brunneo-nigro vel nigro monstrat, etiam si Ferrum simul solutum continerent, quum Ferrum in iisdem corporibus forsan contentum, ab acido, in liquore probatorio Vini praeponderante, impediatur, quo minus vim suam in Hydrogenium sulphuratum exserat; sed opus est, ut eiusmodi acidum e supra dictis Aquae hydrosulphuratae admisceas, quod facultate caret, praecipitatum, etsi album, cum basi salina corporum investigandorum producendi. Antimonium, Arsenicum (hic Acidum Aceti evitari oportet), Kadmium, Stannum etc. colore indicato e solutionibus praecipitat.

Si magna copia Hydrogenii sulphurati ad decompositionem fluidi metalliferi etc. requiritur, opus est, Gas hydrosulphuratum in ipsum fluidum e lagena cum tubulo incurvato instructo ducere, e. g. in investigatione solutionis Zinci in Acido Vitrioli, acidulae, Kadmii causa, vel in praeparatione Ammonii hydrosulphurati etc.

AQUA REGIA.

Königsscheidewasser. Vid. Pag. 203.

Solutioni Auri inservit, in qua Argentum, Auro interdum admixtum, praecipitato floccoso, albo, lucis accessu longiori nigrescente, indicat (conf. Liq. Salis communis); etiam in oxydatione et solutione aliorum corporum metallicorum adhibetur, ut ulterius indagari queant, e. g. Antimonii crudi, et tum cum parte una Acidi Nitri diluti et tribus vel quatuor Acidi Salis miscenda; vel reliquorum Sulphuretorum metallicorum ac Sulphuris, quae aestu omnia decomponit et plurima resolvit.

☨ ARGENTUM SULPHURICUM.

Sulphas Argenti Bav. Schwefelsaures Silberoxyd. Silbervitriol.

Rp. Argenti nitrici crystallisati Drachmam unam.
Solve in
Aquae destillatae Uncia dimidia.
Solutioni instilla liquorem, ex
Salis mirabilis Glauberi depurati Parte una,
Aquae destillatae Partibus tribus
paratum, quam diu crystalla exigua, alba, pulverulenta praecipitantur. Haec, lixivio defuso, bis cum portione minima Aquae destillatae frigidae ablue, inter chartam bibulam exprime et sicca. Serva in vitro colore nigro obducto.

Referat pulverem album, crystallinum, lucis accessu longinquo nigrescentem; saporis valde acris, styptico-metallici, in centum partibus aquae calore 14°, et in octoginta octo bullientis solubilem, leni igne fusilem ac modo reverberario decomponendum.

LIQUOR ARGENTI SULPHURICI.

Schwefelsaure Silberoxydflüssigkeit.

Paratur ex illius parte una et centum partibus Aquae destillatae, ac filtretur.

Sit clarus, decolor.

Indicat Acidum Salis vel liberum, vel basi salina nuptum e solutionibus, sedimento albo, floccoso, accessu lucis violaceo, tandem nigro, in Acido Nitri irresolubili, in Spiritu autem Salis Ammoniaci caustico omnino solubili. Adhibetur vero, ubi Acidum Salis cum Acido Vitrioli vel eorum salia in liquidis occurrunt. Praecipitata alba, quae cum Acido phosphorico, arsenicico, oxalico, vel eorum salibus solutis format, tota in Acido Nitri solvuntur. Acidum hydroiodinicum ac eiusdem salia praecipitato flavescente, mox aureo, in Spiritu Salis Ammoniaci caustico sensim albescente, monstrat.

☨ * BARYTA ACETICA.

Acetas Barytae Bav. Eßigsaure Schwererde. Eßigsaurer Baryt.

Rp. Terrae ponderosae salitae Partem unam.
Solve in
Aquae destillatae Partibus duodecim.
Solutioni, vasi vitreo infusae, instilla
Spiritum Salis Ammoniaci aquosum,
donec nihil amplius praecipitetur.

Resideat praecipitatum, deinde liquorem innatantem defunde, sedimentum cum Aqua destillata probe ablue, ut a particulis salinis omnino liberetur; tum in
Aceti concentrati quantitate, ad
saturationem sufficiente, solve. Lixivium in patinam porcellaneam ingestam, calore 80° non excedente, vaporatione lenta in massam crystallinam coge.

Referat prismata octogona, irregularia, tenuiora, longa, accumulata, et concreta, alba, diaphana, aëre fatiscentia; saporis amari pungentis, in una circiter cum dimidia parte Aquae destillatae et in parte una bullientis, etiam in Spiritu Vini rectificatissimo, sed parum, solubilis.

LIQUOR BARYTAE ACETICAE.

Eßigsaure Schwererdeflüssigkeit.

Paratur ex parte una illius et octo partibus Aquae destillatae.

Sit limpidus, decolor, nec a Spiritu Salis Ammoniaci caustico, nec a liquore Argenti nitrici turbandus; a metallis liber reperiatur.

Acidum Vitrioli et liberum et basi salina neutralisatum in fluidis sedimento albo, pulverulento, in Acido Nitri haud solubili, indicat; imprimis explorationi Aceti, et salium aceticorum inservit. Etiam cum Acido Phosphori et acidis vegetabilibus reliquis, tam liberis, quam basi alkalina nuptis solutisque, praecipitata alba format, quae autem in Acido Nitri resolvuntur. Reagens persensibile.

☨ BARYTA NITRICA.

Nitras Barytae Bav. Salpetersaure Schwererde. Salpetersaurer Baryt.

Rp. Pulveris Spathi ponderosi albi levigati Uncias octo,
Carbonis vegetabilis praeparati Unciam unam,
Pulveris Colophonii Uncias duas.

Intime mixta in crucibulo Hassiaco tecto, igni reverberario fortiori exposita, excandescant per horam.

Massae refrigeratae, contusae ac in vas porcellaneum ingestae affunde
Aquae bullientis decuplum;
dein lixivio cum bacillo vitreo agitato instilletur
Acidum Nitri purum,
cum
Aquae destillatae pari pondere
dilutum, donec, Acido Nitri in lixivio non praeponderante, evolutio Aëris hepatici cessat; tum bulliat liquor ac evaporet, fervidusque per chartam bibulam filtretur, et loco frigido, ut crystalla secernat,

seponatur, lixivium a crystallis defusum denuo evaporet etc. quamdiu crystalla pura exhibeat, quae siccentur. Ferrum, Barytam nitricam forsan inquinans, ab Aqua Barytae e solutione praecipitatur et crystallisatione repetita, sal purum recipitur.

Formet crystalla octaëdra, diaphana et crustas salinas aëre constantia, saporis pungentis salini, amari, calore 14° in partibus duodecim Aquae destillatae et in tribus vel quatuor bullientis solubilia; in Spiritu Vini rectificatissimo non solvuntur; rutile excandefacta, acidum amittunt et Barytam causticam relinquunt.

LIQUOR BARYTAE NITRICAE.

Salpetersaure Schwererdeflüssigkeit.

Paratur ex una parte huius, et duodecim partibus Aquae destillatae, et uti liquor Barytae aceticae explorandus est.

Acidum Vitrioli sicut Baryta acetica eruit, et praecipitatum, supra descripto simile quidem, sed Acido Nitri resolubile, in solutione salium phosphoricorum et vegetabilium plurimorum neutralium producit. Adhibeas illum, ubi usus liquoris Terrae ponderosae salitae (Barytae muriaticae) non convenit.

BORAX PURA.

Reiner Borax. Vid. Pag. 25.

Vel crystallisata vel usta adhibetur.

Explorandis metallis fixis oxydatis, neque non salibus metallicis inserviens, indolem illorum, ope eius tubuli ferruminatorii aestu fusorum, tam colore vitri inde formati, quam alia ratione indicat.

* CHARTA EXPLORATORIA COERULEA.

Charta Laccae musci Bav. Blaues Prüfungspapier. Lackmuspapier.

Rp. Pulveris Laccae musci Unciam unam.

Coque, vasi terreo ingestum, per horae quadrantem in

Aquae destillatae fervidae Unciis sex.

Cum decocto fervido filtrato ope penicilli obduc chartam albam, colla minus imbutam, donec sat tincta sit, et loco umbroso suspensam sicca. Serva in vitris obturatis.

Ab acidis et salibus acidis rubro colore tingatur, itaque Acidi Aceti vel Phosphori perdiluti ope rosea facta:

CHARTAM EXPLORATORIAM RUBRAM

Rothes Prúfungspapier, reagens persensibile pro alkalibus praebet.

Liquida, forsan Acidum carbonicum liberum continentia, ante investigationem in Acidum fixius, aestuanda sunt, ut Acidum carbonicum diffugiat.

* CHARTA EXPLORATORIA LUTEA.

Charta Curcumae Bav. Gelbes Prúfungspapier. Gelbwurzpapier.

Rp. Pulveris Radicis Curcumae Unciam unam,
Spiritus Vini rectificati Uncias sex.

Digere secundum artem et tincturam filtra. Cum illa, modo supra dicto, chartam albam tenuem obducas, illamque sicca et serva.

Ab alkalibus, salibus alkalinis carbonicis, et terris alkalinis causticis, aqua solutis, colore brunneo imbuitur, et ab illis pallide tincta, ad explorationem acidorum in liquidis, adhiberi potest. Etiam solutioni Acidi Boracis, salium metallicorum nonnullorum, e. g. Aceto Lythargyri, intincta, cum siccatur, colorem, etsi minus, mutat.

CHARTA RHABARBARI.

Rhabarberpapier.

Paratur ex infuso Radicis Rhei aquoso, methodo dicta.

Reagens sensibilius pro alkalibus etc. solutis praebet, illa colore rutilo indicans; ab Acido Boracis ne mutetur.

CARBO VEGETABILIS PRAEPARATUS.

Gereinigte Holzkohle. Vid. Pag. 212.

Fluidis obscure tinctis decolorandis inservit, si inter coquendum illis addatur; tum filtri, e charta bibula confecti, ope liquorem separa; reductioni metallorum plurium ignis ope adhibetur.

* CUPRUM PURUM POLITUM.

Blankes reines Kupfer. Vid. Pag. 222.

E Cupro puro, laminatum et politum.

Arsenicum metallicum et oxydatum maculis argenteis, tritura aegre delendis, monstrat, si tenue laminatum praecipitata indaganda cingit, ac in hoc statu ad excandescentiam fere exaestuatur. Argentum, quamquam pauculo Cupri inquinatum, et Mercurium, forma metallica, e solutionibus prorsus secernit, et obducitur Mercurio, commixtionis instar, quae amalgama dicitur.

DECOCTUM COLLAE PISCIUM.

Decoctum Ichthyocollae Bav. Hausenblasenabsud.

Rp. Collae piscium concisae Drachmam unam.
Coque cum
Aquae destillatae Unciis sedecim,
ita ut remaneant Unciae octo, tunc cola et adde
Spiritus Vini rectificatissimi Unciam unam.

Sit clarum, vix opalescens; saporis gelatinoso-fatui, non nihil spirituosi.

Principium tannicum sedimento floccoso-griseo-albescente, copioso indicat, etiam metalla nonnulla, acidis soluta, uti Stannum muriaticum, Mercurium nitrosum, Vitriolum Martis praecipitat.

FERRUM PURUM POLITUM.

Blankes reines Eisen. Vid. Pag. 64.

Ferrum, quod trahi potest, laminatum et politum, Chalybi praeferendum.

Puritas Ferri ita investiganda est, ut supra diximus, ubi de Vitriolo Martis puro sermo est.

Indicat Cuprum in Acidis solutum cuticula cuprea splendente, qua obducitur, sed integre modo eliminat, si Cuprum cum Acido Salis vel Vitrioli nuptum in fluidis occurrit. Etiam metalla ponderosiora e solutionibus praecipitat.

‡ KALI OXALICUM PURUM.

Reines sauerkleesaures Kali.

Paratur saturatione liquoris Acidi oxalici calefacti cum liquore Salis Tartari purissimi uti Ammonium oxalicum.

Sal difficile crystallisatu crystalla prismatico-rhombica, illis Acidi oxalici similia, praebet; saporis amari refrigerantis; in tribus partibus aquae frigidae solubile.

LIQUOR KALI OXALICI.

Sauerkleesaure Kaliflüssigkeit.

Paratur solvendo partem unam illius in Aquae destillatae partibus octo.

Acida fortiora Kali oxalicum acidum (Sal Acetosellae), sub forma pulveris albi crystallini, ex liquore praecipitant.

Uti Ammonium oxalicum reagit et ad explorationem liquorum salinorum neutralium dilutiorum adhibetur, ubi Ammonii oxalici usus non quadrat.

‡ * LIQUOR ARGENTI NITRICI.

Salpetersaure Silberoxydflüssigkeit.

Rp. Argenti nitrici crystallisati Scrupulum unum.

Solve in
Aquae destillatae Scrupulis undeviginti.

Sit limpidus, decolor, attactu lucis mox floccos nigrescentes edens et propterea in vitro nigre velato servandus.

Praecipuum reagens in Acidum Salis tam liberum, quam basi salinae nuptum, cum eo in fluidis praecipitatum album floccosum, lucis accessu mox violaceum, dein nigrescens, Acido Nitri irresolubile, recens eliminatum in Spiritu Salis Ammoniaci caustico totum vero solubile, formans, quare idoneum est, quod salia muriatica, quae fontium aquae continent, declaret; praecipitatum album pulverulento-crystallinum, quod in solutione salium alkalino-sulphuricorum producit, in copia Aquae destillatae resolvitur; acida vegetabilia nonnulla, et libera et basi alkalina neutralisata, etiam a liquore reagente colore albo praecipitantur, praecipitata vero Acido Nitri solvuntur; Arsenicum album cum alkalibus, imprimis Spiritu Salis Ammoniaci caustico, neutralisatum, ut praecipitatum citrinum et pallidius fluidis eruit, quod recens separatum et humidum adhuc facile in Spiritu Salis Ammoniaci caustico et in Acido Aceti agitando solvitur, in sole ac luce lente fuscescit ac tum ab Acido Nitri solum integre recipitur; sed quum Acidum Phosphori, alkali cuidam nuptum, cum liquore Argenti nitrici etiam praecipitatum citrinum simile producat, quod ita tantum discrepat, ut filtri ope a fluido separatum et humidum adhuc in Acido Aceti tantum solvatur, si copiam Aquae destillatae sufficientem addas, necesse est, praecipitatum citrinum omne in Acido Nitri dilutiore solvi, et Argentum cum Acido Salis ex hac solutione praecipitari, ac denique liquorem, alkali saturatum et filtratum, cum Aqua hydrosulphurata acida explorari; praecipitatum albidum vel pallide-citrinum, quod Acidum hydroiodinicum et salia cum illo formata in liquore reagente producunt, in Acido Nitri vix et paulum modo in Spiritu

Salis Ammoniaci caustico solvitur, calore expositum aureum fit ac rubescit; Acidum arsenicicum autem a liquore reagente colore carneo et lucide-hyacinthino (laterum saturo) praecipitatur, praecipitatum in Acido arsenicico praeponderante et Nitri, sed vix in Acido Aceti, solvitur, totum vero in Spiritu Salis Ammoniaci caustico, (solutio in Acido Nitri, ope Acidi Salis etc. ab Argento ut supra liberata ac filtrata cum Ammonio hydrosulphurato etc. indagatur, conf. p. 389); ceterum tam Argentum arsenicosum quam arsenicicum siccatum et cum Acidi Boracis fusi ac Carbonis vegetabilis praeparati, singulorum parte dimidia, intime contritum, Arsenicum album sublimatum exhibet, si vasculo vitreo oblongo ingestum aestuetur; praecipitatum rubrum, quod liquor Argenti nitrici in solutione Kali chromici producit, sole fuscescit, et in Acido Nitri ac Spiritu Salis Ammoniaci caustico solvitur, sed pari modo remediis dictis excandefactum nullum sublimatum edit ac fixum remanet. Si fluida, Arsenici causa indaganda, forsan Acidum Salis vel salia muriatica continerent, antea Acidum Nitri praevalens addere ac Acidum Salis cum reagente nostro omnino praecipitare oportet, dein fluidum, liquore Salis Sodae depuratae neutralisatum et filtratum, ulteriore reagentis affusione investigare.

LIQUOR ARSENICI ALBI.

Acidum arsenicosum liquidum Bav. Weiß-Arsenikflüssigkeit. Flüssige arsenige Säure.

Rp. Arsenici albi lucidi, in pulverem subtilem triti, Partem unam.
Solve, ebulliendo in cucurbita vitrea, in
Aquae destillatae Partibus sexaginta.
Solutionem refrigeratam, quae eiusdem sit ponderis, per chartam bibulam filtra.

Sit clarus, decolor.

Per se vel Alkali quodam neutralisatus cum Aqua Calcis et hydrosulphurata acida, liquore Argenti nitrici, Cupri ammoniacalis, Ferri saliti, Mercurii nitrosi frigore parati, Sacchari Saturni ac Vitrioli Martis praecipitata exhibet, quorum plura et colore et proprietate, imprimis in sublimatione, signa certa praebent, quae locis suis ulterius descripta reperies, neque non ea ab Acido arsenicico producta; quod acidum plerumque in detonatione corporum metallicorum, Arsenico inquinatorum, cum Nitro puro oritur et detonatione peracta Kali nuptum remanet.

Adhibetur ad tentamina cum reagentibus praecipuis, e. g. Aqua hydrosulphurata acida, liquore Argenti nitrici, Cupri ammoniacalis etc. comparativa instituenda, post indagationem corporum, quibus Arsenicum inesse videtur, vel illorum solutionis.

⁜ * LIQUOR AURI MURIATICI.

Murias Auri liquidus Bav. Salzsaure Goldflüssigkeit.

Rp. Auri puri, quantum libet.
Sensim ingere in
Aquae regiae sufficientem quantitatem,
quae sub solutionis fine aestuetur.

Deinde liquor obscure-flavus vaporatione lenta ab acido superfluo separetur et ad syrupi spissioris consistentiam redigatur; tum residuum denuo in
Aquae destillatae Partibus sedecim
solvatur. Liquorem clarum serva in vitro, nigre velato.

Sit flavus, saporis caustici, a liquore Kali ferreo-borussici non turbandus.

Stannum oxydulatum solutum floccorum levissimorum, purpureorum forma praecipitat; a liquore Vitrioli Martis decomponitur, Aurum metallicum pulvereum, brunneo-flavum exhibens; solutiones Argenti et Plumbi turbat.

LIQUOR CORNU CERVI SUCCINATUS DEPURAT.

Reines bernsteinsaures Ammoniak.

Paratur uti Pag. 268. praescriptum legis, sed cum Sale Succini, digestione cum Carbone vegetabili et crystallisatione depurato, et Alkali volatili sicco.

Neutralis sit et reactione chemica purus reperiatur.

Ferrum, coctione cum Acido Nitri peroxydatum, e fluidis, caute cum Alkali volatili neutralisatis, sub forma praecipitati brunneo-rutili secernit et Manganum forte solutum relinquit; sed etiam Cuprum oxydatum in Acidis solutum, colore intense smaragdino, praecipitato in liquore reagente resolubili, Argentum, Mercurium oxydulatum, Plumbum et Stannum sub forma sedimenti albi e solutionibus neutris eliminat, et maiori copia affusus Plumbum succinicum resolvit, quod etiam ab Acido Aceti recipitur ac una cum sedimentis reliquis in Acido Nitri solvitur.

☨ * LIQUOR CUPRI AMMONIACALIS.

Kupferammoniumflüssigkeit.

Rp. Cupri ammoniacalis Drachmam unam.
Solve in
Aquae destillatae Uncia una.
Filtra.

Sit clarus, saturate cyaneus, paululum violaceus; odoris Alkali volatilis, debilioris; saporis styptici, nauseoso-metallici.

Arsenicum album et liberum et alkalibus nuptum e solutionibus, acido alieni generis praeponderante privatis, sub forma sedimenti luteo-viridis, Acidum vero arsenicicum, alkali saturatum, colore e coeruleo in albidum et subviridem vergente secernit. Praecipitata in Spiritu Salis Ammoniaci caustico solubilia, siccata ac prunis iniecta, odore Arsenicum produnt, et cum pari pondere pulveris Carbonum ac Acidi

Boracis mixta, in vasculo vitreo, oblongo, loricato exaestuata, sublimando Arsenicum album reddunt; praecipitatum luteo-viridescens, quod liquor Cupri ammoniacalis in solutione dilutiore Kali chromici producit, pari modo ignis ope tractatum, fixum permanet; et sedimentum coerulescens, quod in solutione Natri phosphorici profert, conditionibus similibus parum Phosphori exhibet. Cum Sal Ammoniacum et salia ammoniacalia reliqua reactionem liquoris reagentis in Arsenicum supprimant, necesse est, liquidum explorandum ab Ammonio, quod forte continet, ea ratione liberetur, quam supra p. 391 sub Aqua Calcis commemoravimus. Tartarus emeticus et nonnulli liquores, uti infusum Theae Boheae et ius carnis accessum liquoris reagentis ad Arsenicum album impedire possunt. Aerugo crystallisata, aqua soluta, a Cupro ammoniacali in Aeruginem communem vertitur ac praecipitatur.

LIQUOR FERRI SALITI.

Salzsaure Eisenflüssigkeit.

Rp. Ferri saliti Drachmam unam.
Solve in

Aquae destillatae Uncia una.

Filtra et contra lucis accessum tege.

Principium tannicum corticum Quercus et plantarum stypticarum indigenarum plurimarum, colore coerulescente-nigro ac demum sedimento pariter tincto, principium tannicum corticibus Chinae et Succo Catechu proprium, colore ac subsequente sedimento viridi vel sordide-viridi saturo, in infuso aquoso indicat, radicis autem Ratanhiae principium praecipitato rutilo cinerascente eliminat. Flores Benzoës et Sal Succini volatile, alkalibus neutralisata, illos praecipitato carneo-lactescente, hoc brunneo-rutilo pallido monstrat, quod utrumque in Acido Aceti facile solvitur; Arsenicum album, alkali cuidam nuptum, praecipitato fulvo, etiam Acido Aceti, sed

tardius solubili, indicat; cum Acido arsenicico et phosphorico, alkali saturatis, sedimenta alba format, quae vix in Acido Aceti, sed sicut reliqua praecipitata salina, supra memorata in Acido Nitri affuso cito resolvuntur; cum liquore Kali ferreo-borussici mixtus Coeruleum Berolinense purum producit.

LIQUOR GYPSI.

Liquor Sulphatis calcarei. Liquor Calcariae sulphuricae. Gypswasser. Schwefelsaure Kalkflüssigkeit.

Gypsum crystallinum fossile albissimum vel praecipitatum purum in Aqua destillata coquitur, et fluidum refrigeratum per chartam bibulam filtratur.

Sit limpidus, saporis styptici, terrei.

Acidum oxalicum, acidis vegetabilibus praecipue Acido Succini fraudulenter admixtum, praecipitato albo indicat.

♃ * LIQUOR KALI FERREO-BORUSSICI.

Lixivium sanguinis. Blausaure Eisenoxydulkaliflüssigkeit. Blutlauge.

Rp. Kali ferreo-borussici Drachmam unam.
Solve in
Aquae destillatae Uncia una,
et liquorem per chartam bibulam filtra.

Sit clarus, flavescens, inodorus, saporis subamari. Chartam exploratoriam coeruleam ne permutet, liquorem Terrae ponderosae salitae dilutiorem ne turbet et modo ad fluida, acido praeponderante, quoad fieri potest, privata adhibeatur.

Ferrum oxydatum, acidis solutum, praecipitato obscure-caeruleo (Indici colore), oxydulatum vero albescente, attactu aëris mox caerulescente, denique pariter Indici coloris monstrat, solutione Ferri oxydulati in Cremore Tartari, Aquae ope parata, excepta quae neutra, modo post additionem Acidi

cuiusdam colore Indici tingitur; Cuprum oxydatum praecipitato rutilo-brunneo, oxydulatum primum albescente deinde in roseum vergente indicat, praecipitatis in Spiritu Salis Ammoniaci caustico partim resolubilibus; Manganum sedimento flavente-albo, in Acido Nitri resolubili, cum Ferro vero vel Cupro in solutione obviis, viridulo, violaceo aut rubicundo; Argentum, Kadmium, Zincum, Plumbum et Stannum e solutione in acidis praecipitatis albis vel albidis secernit, quorum e metallis tribus prioribus orta in Spiritu Salis Ammoniaci caustico resolvuntur. Ceterum plurima haec praecipitata Acido Nitri resolvi nequeunt.

✝ LIQUOR MERCURII NITROSI DILUTUS, FRIGORE PARATUS.

Verdünnte salpetersaure Quecksilberoxydulflüssigkeit.

Rp. Liquoris Mercurii nitrosi, frigore parati, Partem unam,

Aquae destillatae Partes duas.

Misce ac serva in vitro nigre colorato.

Sit limpidus, decolor; Acido Vitrioli affuso, praecipitatum album edat, et instillato Spiritu Salis Ammoniaci caustico, sedimentum nigrum producat.

In solutionibus salinis Acidum Vitrioli et Salis praecipitato albo, illud granuloso et coquendo in aqua citrino, hoc floccoso, in Acido Nitri irresolubili indicat, et Acidum Phosphori, cum alkali neutralisatum sedimento coloris paris, in Acido Nitri solubili; cum acidis vegetabilium etiam praecipitata alba format, quae in Acido Nitri resolvuntur et aestu vel aufugiunt vel simul carbonem relinquunt; in liquore Natri hydroiodinici diluti sedimentum coloris straminei vel flavo-subvirentis, mox sordidum, calefactum laete-rubrum ac volatile producit. Acidum arsenicicum, tam liberum quam alkali nuptum,

praecipitato flavescente albido, in luce fuscescente, in Acido Nitri aegre ac lente solubili indicat, quod cum Acido Boracis fuso et Carbone vegetabili praeparato methodo saepius dicta exaestuatum Arsenicum album sublimatum et Mercurium vivum exhibet. Cum Aqua hydrosulphurata mixtus sedimentum nigrum deponit, sed etiam additis Alkalibus causticis, vel Aqua Barytae vel Calcis, sedimenta seu nigra seu nigrescentia edit. A liquore Stanni muriatici decomponitur, praecipitatum brunneo-griseum et Mercurium vivum emittens.

‡ LIQUOR MERCURII SUBLIMATI CORROSIVI.

Aetz-Quecksilbersublimat-Flüssigkeit.

Rp. Mercurii sublimati corrosivi Drachmam dimidiam.

Solve in

Aquae destillatae Drachmis decem.

Solutionem filtratam serva in vitro, colore nigro obducto.

Acido Vitrioli affuso ne decomponatur.

Alkalia fixa et terras alkalinas solutas praecipitato flavo vel aurantiaco ac brunnescente, Alkali volatile vero albo prodit. In liquore Natri hydroiodinici diluto sedimentum primum citrinum et aurantiacum, mox puniceum, in aestu volatile, producit, quod a Natro hydroiodinico praeponderante resolvitur. Cum pauculo Aquae hydrosulphuratae mixtus Mercurium dulcem edit, sed aqua dicta iterum affusa, praecipitatum fulvum, dein brunneum, tandem nigrum deponit; a liquore Stanni muriatici decomponitur, primum Mercurium dulcem, dein, affusa maiore liquoris dicti copia, praecipitatum nigro-cinereum et Mercurium vivum deponens; cum Albumine Ovorum, Aqua destillata diluto, mixtus, floccos albos producit.

✱ LIQUOR NATRI HYDROIODINICI.

Jodinwasserstoff-Natrumflüssigkeit.

Rp. Natri hydroiodinici Drachmam unam cum dimidia.

Solve in

Aquae destillatae Uncia una.

Solutionem filtra.

Sit clarus, vix flavescens, Acido Salis haud inquinatus.

Mercurium oxydulatum, acidis nuptum, colore stramineo vel flavo-subvirente praecipitat vel monstrat, qui, praecipitato igni exposito, in laete-rubrum vertitur; Mercurium vero oxydatum, solutionibus admixtum, sub forma praecipitati punicei eliminat, ac ulterius affusus resolvit, praecipitata haec siccata igne diffugiant. In liquore Argenti sulphurici et Sacchari Saturni sedimentum aureo-luteum producit, in illo Argenti nitrici albidum, mox pallide-citrinum, quae sedimenta ab Acido Nitri vix et a Spiritu Salis Ammoniaci caustico paulum ita afficiuntur, ut colorem sensim in album vertant. Liquor reagens porro cum Auro soluto praecipitatum luteo-viridescens, affuso Spiritu Salis Ammoniaci caustico castaneum, et cum Cupro oxydato in acidis soluto, sedimentum pallide fuscescens format, quod in Spiritu Salis Ammoniaci caustico colore cyaneo solvitur.

LIQUOR PLATINI MURIATICI.

Salzsaure Platinflüssigkeit.

Rp. Platini tenuiter laminati et concisi, quantum libet.

Solve caloris ope in phiala cum

Aquae regiae sufficiente quantitate,

ut solutio, quantum fieri potest, neutralisata sit; quo facto liquorem cum

Aquae destillatae decuplo

dilue et illi, ad ebullitionem calefacto, tam diu

Sal Ammoniacum pulveratum

adde, quam praecipitatum flavum oritur, quod elotum et siccatum excandescat in crucibulo.

Residuum griseum metallicum, Platinum purum, in Aqua regia iterum solve, et Acido Salis superfluo evaporato liquorem cum quadruplo Aquae destillatae dilue ac per chartam bibulam filtratum in vitro, colore nigro obducto, serva.

Sit coloris e flavo fuscescentis, addito Sale Ammoniaco pulverato praecipitatum citrinum, in aqua vix solubile, edat.

Sal Ammoniacum et Alkali vegetabile Acido Salis nuptum (Sal digestivum Sylvii) praecipitato citrino, pulverulento-crystallino indicat, quod vix in Acido Nitri resolvatur.

☨ LIQUOR SACCHARI SATURNI.

Bleyzuckerflüssigkeit.

Rp. Sacchari Saturni depurati Drachmam unam.

Solve in

Aquae destillatae Uncia una,

et liquorem filtra.

Indicat Acidum Vitrioli et liberum et cum basibus alkalinis in fluidis iunctum, sedimento niveo, in aqua haud et in Acido Nitri paululum modo solubili; salia muriatica, in solutione concentrata, praecipitato albo, in partibus viginti duo aquae bullientis solubili, refrigerio ex parte recedente, ostendit; salia carbonica, phosphorica, arsenicica et acida vegetabilia plurima, cum basi alkalina in fluidis neutralisata, praecipitatis albis monstrat, quae Acidum Nitri affusum plane resolvit. Acidum hydroiodinicum et alkalia hydroiodinica soluta praecipitato aureo-luteo, in Spiritu Salis Ammoniaci caustico albescente, in

Acido Nitri vix solubili, fervefacto colorem non mutante, fusili, monstrat. Aërem hydrosulphuratum et sulphureta soluta praecipitato nigro vel nigro-brunnescente, in Acido Nitri peraegre solubili, monstrat. Principium extractivum, varias principii tannici species, Acidum cinchonicum, mucilagines nonnullas, Amylum solutum et Albumen praecipitat, vel coagulationem eorum efficit.

LIQUOR SALIS AMARI.

Bittersalzflüssigkeit.

Rp. Salis amari depurati Drachmas duas.

Solve in

Aquae destillatae Uncia una

et liquorem filtra.

Alkalibus subcarbonicis ac carbonicis saturatis distinguendis inservit, quum illa Magnesiam carbonicam e liquore praecipitent, haec liquorem reagentem non mutent.

LIQUOR SALIS AMMONIACI FIXI.

Salzsaure Kalkflüssigkeit.

Rp. Salis Ammoniaci fixi Drachmam unam.

Solve in

Aquae destillatae Uncia una

et liquorem filtra.

Sit clarus, a metallis liber, cum Calce viva calefactus, Alkali volatile ne eructet, et Spiritu Salis Ammoniaci caustico permixtus clarus maneat.

Arsenicum album, Acidum arsenicicum et Phosphori, alkalibus nupta, e solutione uti Aqua Calcis pag. 391, eliminat, et Acidum Vitrioli, e solutione sat concentrata, forma Gypsi; Acido oxalico libero a tartarico distinguendo inservit, cum solum a priore

decomponatur, Calcem oxalicam exhibens; ceterum ab acidis vegetabilium, alkali nuptis, decomponitur, praecipitata, sub Aqua Calcis pag. 391 ulterius descripta, edens.

LIQUOR SALIS COMMUNIS.

Kochsalzflüssigkeit.

Rp. Acidi Salis puri, quantum libet.

Saturetur cum

Liquore Salis Sodae purissimi.

Fluidum filtratum vaporatione in crystallos redigatur, quorum pars una in octo partibus Aquae destillatae solvatur.

Argentum, Plumbum, Bismuthum oxydatum et Mercurium oxydulatum, uti Acidum Salis et melius quidem, e solutionibus in acidis praecipitat; Argentum muriaticum sub forma sedimenti albi, floccosi, lucis accessu violacei, tandem nigrescentis, etiam e solutionibus dilutioribus, ortum in Spiritu Salis Ammoniaci caustico resolvi potest; Plumbum muriaticum, album, in copia aquae bullientis et Bismuthum muriaticum, album, in Acido Salis resolvitur; Mercurius dulcis vero, aqua et Acido Salis vix solubilis, affuso Spiritu Salis Ammoniaci caustico nigrescit et exaestuatus totus diffugit.

LIQUOR SALIS ESSENTIALIS TARTARI.

Flüssige Weinsteinsäure.

Rp. Salis essentialis Tartari Drachmas duas.

Solve in

Aquae destillatae Uncia una

et liquorem filtra.

Alkali vegetabile causticum vel acidis nuptum, solutum, sedimento albo crystallino (Cremore Tar-

tari) indicat, si modo solutiones sat concentratae sunt et cum liquore reagente supersaturantur; sedimentum ortum in aqua bulliente solvitur. Quum simile sedimentum (Ammonium tartaricum acidulum) cum Alkali volatili producat, necesse est, haec sedimenta terendo cum Calce viva perscrutari, utrum Alkali volatile redoleant, nec ne. Calcem vivam et Barytam puram in solutione aquosa monstrat, sed solum liquorem Barytae aceticae decomponit, cum hisce omnibus praecipitata alba vel pulverulenta, vel minute crystallina formans, quae in Acido Nitri resolvuntur; etiam in liquore Sacchari Saturni sedimentum album floccosum, in liquore reagente et Acido Nitri solubile, in Aqua hydrosulphurata nigrescens, producit. Denique parando Liquori probatorio Vini inservit.

LIQUOR SALIS TARTARI PERFECTE SATURATI.

Gesättigte Weinsteinsalzflüssigkeit.

Rp. Salis Tartari perfecte saturati Drachmas duas.
Solve in
Aquae destillatae Uncia una.

Liquorem Mercurii sublimati corrosivi tarde colore lutescente turbet, neutiquam statim praecipitato brunnescente rubro.

Frigore ac medio caloris gradu Magnesiam acidis solutam non praecipitat, caloris vehementioris (coctionis) auxilio vero totam demittit, terras plurimas et metalla oxydata plurima (Magnesiam inquinantia) secernit, excepta Calce, quae a reagente parum quidem, ita tamen ut percipi possit, praecipitatur.

LIQUOR STANNI MURIATICI.

Murias oxiduli Stanni liquidus Bav. Salzsaure Zinnoxydulflüssigkeit.

Rp. Limaturae Stanni puri Drachmas tres.

Vitro ingestae affunde

Acidi Salis Drachmas sex,

in quo tecto calore 30° vel 40° digeretur ac solvatur. Liquorem cum Stanno saturatum a residuo metallico defunde et cum

Aquae destillatae duplo

dilutum, clarum in vitris minoribus serva.

Sit limpidus, incolor, saporis metallici austeri. Cum liquore Kali ferreo-borussici mixtus, praecipitatum modo album producat, neque instillato liquore Salis mirabilis Glauberi turbetur.

Aqua antea dilutus indicat Aurum solutum, primum colore, dein sedimento purpureo, quod tanto pulchrius evadit, quanto e solutione dilutiore praecipitetur. Mercurium e solutionibus praecipitato primum vario, dein, sub finem praecipitationis, nigrescente et metallico secernit (conf. liq. Mercurii nitrosi et sublimati corrosivi p. 408 s.); cum salibus alkalinis arsenicicis praecipitatum album, Acido Nitri tarde solubile et cum salibus boracicis, phosphoricis, oxalicis ac tartaricis solutis sedimenta alba format, quae Acidum Nitri affusum mox resolvit. Principii extractivi, tannici et substantiarum organicarum solutarum coagulationem efficit.

☨ LIQUOR TARTARI EMETICI.

Brechweinsteinflüssigkeit.

Rp. Tartari emetici puri Scrupulum unum.

Solve in

Aquae destillatae Drachmis sex.

Liquorem filtra.

Indicat Aërem hydrosulphuratum tum colore aurantiaco-rubello, perspicuo, tum praecipitato flavente-rubro, si liquor Salis essentialis Tartari vel

Acidum aliud additur. Principium tannicum, Acidum Gallarum ac nonnulla extractiva amara, Chininum, Cinchoninum, sedimento vel albido-griseo vel luteo floccoso monstrat.

LIQUOR TARTARI VITRIOLATI.

Vitriolisirte Weinsteinflüssigkeit.

Rp. Tartari vitriolati Scrupulum unum.

Solve in

Aquae destillatae Drachmis sex

et liquorem filtra.

Uti Acidum Vitrioli in solutionibus Barytae, Strontianae et Calcis in aqua vel in acidis, Argenti et Plumbi in acidis praecipitata alba producit. Praecipitata Barytae plane non, Strontianae et Plumbi vero vix frigore in Acido Nitri resolvuntur, Plumbum et Argentum sulphuricum ab Aqua hydrosulphurata nigricantia redduntur. Mercurium oxydulatum in solutionibus sedimento albo prodit, quod aqua coctum flavescat. Sal essentiale Tartari solutum uti Sal Tartari monstrat, et cum Argilla sulphurica crystallisando Alumen format.

LIQUOR SALIS MIRABILIS GLAUBERI.

Glaubersalzflüssigkeit.

Adhibeatur loco liquoris reagentis antecedentis, ubi Alkali vegetabile vitandum est; paratur solvendo drachmas duas Salis mirabilis Glauberi depurati in Aquae destillatae uncia una.

☨ LIQUOR TERRAE PONDEROSAE SALITAE.

Salzsaure Schwererdeflüssigkeit.

Rp. Terrae ponderosae salitae Drachmam unam.

Solve in

Aquae destillatae Uncia una

ac filtra.

Acidum Vitrioli, tam liberum quam alkali cuidam nuptum, sedimento albo pulverulento (Spatho ponderoso), in aqua et acidis haud solubili, monstrat. Etiam, uti liquor Barytae nitricae, in solutione salium neutralium phosphoricorum etc. praecipitata alba, in Acido Nitri solubilia, producit.

☨ LIQUOR VITRIOLI COERULEI.

Blau-Vitriolflüssigkeit.

Rp. Vitrioli coerulei puri Drachmam unam.

Solve in

Aquae destillatae Uncia una.

Solutionem, guttularum aliquot Lixivii caustici mineralis dilutioris ope, ab acido praedominante liberatam filtra et in vitris omnino repletis serva.

Indicat alkalia fixa caustica et terras alkalinas, in liquidis obvias, sedimento pure coeruleo, in alkalibus fixis praeponderantibus vix solubili, quare Spiritui Salis Ammoniaci caustico ab illis distinguendo servit. Alkali vegetabile, minerale et volatile aëratum praecipitato virente-coeruleo, in Spiritu Salis Ammoniaci aquoso colore cyaneo-saturo resolubili; Kali ferreo-borussicum floccis e rubro brunnescentibus ostendit. Arsenicum album et Acidum arsenicicum, alkalibus nupta, uti liquor Cupri ammoniacalis e solutionibus neutris producit; sed etiam cum Acido Phospori, basi alkalina saturato, in solutionibus praecipitatum coerulescente-virens, igne fuscescens ac fixum, exhibet. E salibus oxalicis neutris solutis sedimentum simile albidum, in liquore Acidi oxalici affuso solubile et e salibus succinicis neutris intense smaragdinum de-

mittit, quod in liquore Acidi succinici resolvitur, quae praecipitata siccata, igni exposita, decomponuntur, producta vegetabilium edentia.

LIQUOR VITRIOLI MARTIS.

Eisenvitriolflüssigkeit.

Rp. Vitrioli Martis puri, recens parati, Drachmam unam.

Solve in

Aquae destillatae Uncia una

et liquorem cito filtra.

Vel in vitris, semper repletis, nigre velatis servandus, vel ex tempore parandus.

Sit clarus, coloris albido-virentis, Aqua hydrosulphurata affusa ne turbetur; ceterum signa chemica Vitrioli Martis puri praebeat.

Aurum muriaticum colore solutionis e luteo mox coerulescente, subsequente praecipitato brunneo-flavo, metallico; Argentum autem, Acido Nitri solutum, colore cinerascente et sedimento pari metallico eliminat. Salia arsenicosa et arsenicica alkalina, neutra, soluta, praecipitatis primum albidis, attactu aëris mox virentibus, denique glaucis indicat, quae siccata, cum Carbone vegetabili praeparato permixta, dein excandefacta, Arsenicum sublimando produnt; e salibus alkalino-phosphoricis, neutris, solutis, sedimentum griseo-coerulescens producit, quod siccatum, cum Carbone permixtum atque ignifactum Phosphorum edit. Cum acidis vegetabilium nonnullis, alkali nuptis, etiam praecipitata exhibet, quae una cum reliquis praecipitatis salinis descriptis in Acido Nitri solvuntur. Liquorem Kali ferreo-borussici colore albido-coerulescente, denique attactu aëris cyaneo, monstrat. Acidum Gallarum et principium tannicum Quercus similiumque auxi-

lio Oxygenii, quod aëri atmosphaerico inest, sensim colore violaceo saturo, tandem praecipitato simili nigrescente eliminat.

LIQUOR VITRIOLI MARTIS OXYDATI.

Oxydirte Eisenvitriolflüssigkeit.

Liquor Vitrioli Martis, attactui aëris diu exponendo fuscus redditus, filtretur.

Acidum Borussicum, Lixivio caustico puro vel Spiritu Salis Ammoniaci caustico saturatum, praecipitato Indici coloris monstrat, si, affuso liquore reagente, Acidum Vitrioli dilutum vel Salis addatur; liquorem Kali ferreo-borussici statim colore dicto imbuit ac praecipitat. Acidum Gallarum et principium tannicum corticum Quercus similiumque rerum statim colore ac subsequente sedimento coerulescente-nigro monstrat; principium denique tannicum, corticibus Chinae, Terrae Catechu proprium, sedimento viridi vel sordide viridi indicat etc.

* LIXIVIUM CAUSTICUM VEGETABILE PURUM.

Reine Pottasch-Aetzlauge.

Quamquam Lixivium causticum officinale in multis laboribus chemicis sufficit, tamen saepe necesse est, illud purissimum accipere. Paratur huiusmodi Lixivium, si Lapis causticus, cum Sale Tartari paratus, pulveratus et cucurbitae vitreae immissus, in triplo Spiritus Vini absoluti caloris ope solvitur, liquor, per subsidentiam clarus, a sedimento defunditur et Spiritus destillatione inde separatur, ut circiter quarta pars fluidi in retorta remaneat, quae in patina vel crucibulo argenteo ad siccum evaporata tam diu funditur, donec membranula nigrescens superficiei, vel cochlearis argentei ope detracta, vel igne consumta sit. Alkali residuum semirefrigeratum, sensim cum Aquae destillatae partibus quatuor super-

fusum et coquendo solutum, LIXIVIUM CAUSTICUM VEGETABILE PURUM exhibet.

Naturam Lixivii caustici vegetabilis (pag. 271.) monstret, at cum Acido Aceti neutralisatum, vix ita, ut animadverti possit, effervescat, et reagentibus tentatum, nec Terrae argillosae, Calcis, metallorum vel salium muriaticorum vel sulphuricorum vestigia prodat, neque Acido Salis supersaturatum et in crucibulo e Platina vel Argento confecto ad siccum inspissatum, residuum, in Aqua destillata coctum, terram siliceam edens, relinquat.

Coquendis et dein aestu fortiore liquandis fossilibus, quae in acidis solvi non possunt, inservit, ut inde idonea reddantur, quae acida recipiant. Terram siliceam et argillosam coquendo solvit, vix vero terras alias officinales; solutio ista, Acido Salis supersaturata et ad siccum inspissata, residuum, et hoc cum aqua coctum, terram siliceam irresolubilem edit; Terra argillosa e liquore, a terra silicea defuso, saturatione et praecipitatione cum liquore Salis Tartari secernitur, ac in Acido Vitrioli resoluta, addita Terra foliata Tartari, vel statim, vel vaporando Alumen producit. Magnesiam, Barytam et Calcem in acidis solutas, forma praecipitati albi secernit, nec praeponderans illas ita, ut sub sensus cadat, rursus suscipit. Alkali volatile, acidis nuptum, odore indicat. Arsenici solutionem in Aqua faciliorem reddit; inde, Aqua destillata dilutum, elutioni collorum retortularum, in quibus huius sublimati minor copia inest, inservit, ut dein Acido Salis neutralisatum, cum reagentibus indagari possit. Aurum praecipitato fusco, in Lixivio reagente solubili, Argentum fuscescente albido-viridulo, Antimonium oxydulatum, Bismuthum et Kadmium albo, in reagente aegre solubili, Cuprum oxydatum praecipitato coeruleo, ulteriore affusione Lixivii lazulino, Ferrum oxydulatum albido, mox sordide-viridi, oxydatum fulvo (Ferro oxydato in Kali ferro-tartarico excepto, cuius liquor aquosus a reagente non praecipitatur); Manganum oxydulatum sedimento albido,

mox fuscescente, Mercurium oxydulatum cinerascente-nigro, oxydatum autem cerino et aureo, Stannum et Zincum albo, aegre in liquore reagente resolubili, monstrat. In Salis essentialis Tartari solutione Cremorem Tartari producit. Denique partes animales et plurimas rerum vegetabilium solvit.

NAPHTHA VITRIOLI RECTIFICATA.

Reine Vitriol-Naphtha.

Naphtha Vitrioli officinalis rectificetur calore lenissimo cum pulveris Salis Ammoniaci fixi, recens igne fusorio liquati, adhuc subcalidi, pondere Naphthae aequali, dum pondus specificum 0,717 usque 0,711, 67° — 69° Ar. Bk. pro Aethere aequat.

Solvit plurimas resinas, Ialappae resina excepta, quae illi vix colorem communicat, resinam elasticam, Cinchoninum aegre, Chininum, Amberinum, Olea aetherea, et pinguia e. g. Oleum Ricini, Sperma Ceti; Phosphorum, Aurum muriaticum, Cuprum muriaticum et Ferrum muriaticum, nec non Mercurium sublimatum corrosivum.

NITRUM PURISSIMUM.

Höchstreiner Salpeter.

Rp. Nitri depurati Partem unam.

Solve in

Aquae destillatae Partibus octo.

Solutione peracta, liquori filtrato tam diu liquor Barytae nitricae dilutior instilletur, quam praecipitatum oritur; deinde liquorem iterum filtra, et filtrato liquorem Argenti nitrici dilutiorem sensim affunde, donec Acidum Salis secretum sit. Resideat fluidum, tum a sedimento orto defundatur et filtretur. Filtratum, si opus est, cum guttulis aliquot

liquoris Salis Tartari puri a Baryta vel Argento omnino liberatum, limpidum evaporare fac et secundum artem in crystallos coge, quas siccatas serva.

Pulveratum detonationi simulque oxydationi Sulphuris, Antimonii crudi aliorumque sulphuretorum aeque ac metallorum nonnullorum, utrum Arsenicum contineant, indagandorum, inservit, si primis pulveratis ac metallis ignis ope granulatis in triplo vel quadruplo admisceatur, et miscella crucibulo, e Platina confecto, candente sensim ingeratur; deinde residuum in aestu liquatorio per quadrantem ad dimidium horae funditur, tum subrefrigeratum cum decuplo Aquae destillatae coctione extrahitur et liquor post refrigerium filtratur, ut tandem encheiresi ac reagentibus, indoli suae convenientibus, ulterius tentari possit.

SAL SODAE PURISSIMUM.

Höchstreine Soda.

Terra foliata Tartari crystallisata in Aquae destillatae copia solvitur, solutio liquoris Barytae aceticae et Argenti nitrici dilutioris ope ab Acido Vitrioli et Salis, Sal dictum fortasse inquinante, liberata ac filtrata, ad siccum inspissatur, et residuum in crucibulo, e Platina confecto, comburitur, carbo residuus cum Aqua destillata elutriatur et lixivium vaporando et refrigerando in crystallos cogitur, quae siccatae servantur.

Sal Sodae aeque ac Sal Tartari etiam liquationi mineralium, acidis insolubilium, inservit, ut accessum acidorum patiantur.

LIQUOR SALIS SODAE PURISSIMI.

Höchstreine Sodaflüssigkeit.

Paratur solvendo Drachmas tres huius salis in Aquae destillatae Uncia una.

Fere uti liquor Salis Tartari purissimi terras et metalla oxydata soluta indicat; cum sale essentiali Tartari praeponderante Sal acidum, in aqua facile solubile, producit. Praesertim adhibendus, ubi liquor Salis Tartari vitandus est.

* SAL TARTARI PURISSIMUM.

Höchstreines Weinsteinsalz.

Paratur uti Sal Sodae purissimum, sed e Terra foliata Tartari, cum Sale Tartari parata. Lixivium, elutriatione carbonis residui obtentum et filtratum, ad siccum inspissetur, et Sal residuum servetur.

LIQUOR SALIS TARTARI PURISSIMI.

Höchstreine Weinsteinsalzflüssigkeit.

Paratur solvendo Drachmas duas huius salis in Aquae destillatae Uncia una.

Quum Acidum carbonicum (Aërem fixum) ex atmosphaera attrahat, atque efficacitatem propriam inde perdat, opus est, illum semper in vitro bene clauso et vesica tecto servare.

Sit clarus, decolor. Liquori Mercurii sublimati corrosivi instillatus praecipitatum rutilo-brunnescens statim producat.

Terras omnes et metalla ponderosiora oxydulata et oxydata, acidis soluta, praecipitat, illas colore albo, haec vel albo vel vario; imprimis Bismuthum, Kadmium, Plumbum et Zincum albo; Manganum oxydulatum et Argentum colore quidem albo, Mangano carbonico orto autem aëris attactu sordide-fuscescente et Argento carbonico nigrescente; Ferrum oxydulatum sedimento primum albo, dein virente vel glauco, siccando aëris accessu colorem rubiginosum Ferri oxydati imbuente; Cuprum oxydulatum, e solutione

in Acido Salis, colore brunneo-rubro, oxydatum primum coeruleo-albido, deinde, liquore reagente praevalente, coeruleo saturo; Niccolum sedimento albido-viridi, in liquore reagente solubili; Mercurium oxydulatum praecipitato flavente-albo, cinereo autem, si copia liquoris reagentis addatur, Mercurium denique oxydatum colore rutilo-brunnescente prodit. Solutio Magnesiae albae a reagente nostro frigida e parte, calida vero prorsus decomponitur. Sal essentiale Tartari praecipitato (pag. 413.) memorato, indolem etiam acidorum aliorum in solutionibus, ratione salium, via crystallisationis cum illis formatorum, indicat. Salia, Alkali volatile continentia, odore monstrat, si cum illis teratur.

SPIRITUS SALIS AMMONIACI CAUSTICUS.

Scharfer Salmiakgeist. Vid. Pag. 332.

Sit purus, nec Aqua Calcis vivae permixtus turbetur, nec Acido Nitri saturatus affuso liquore Acidi oxalici vel Argenti nitrici sedimentum edat.

Acida volatiliora nebula alba indicat, si bacillo vitreo haerens illis admoveatur; terram argillosam, acidis solutam, forma floccorum alborum totam, Magnesiam vero e parte tantum albam, pulverulentam secernit. Salia Barytae ac Calcis soluta non decomponit; itaque Ferro ex illis separando servit. Argentum, Kadmium, Stannum et Zincum, acidis soluta colore albo secernit, copia praeponderante vero additus praecipitata ista resolvit solutionibus decoloribus. In solutione Mercurii sublimati corrosivi in Aqua, et Bismuthi in Acido Nitri, salia basica alba praecipitat, quorum illud Bismuthi partim modo in Spiritu reagente resolvitur; in solutione Mercurii oxydulati nitrici sedimentum nigrum, denique cinerascens producit. Cuprum metallicum, tactu aëris, colore coeruleo solvit, et in acidis solutum sedimento coeruleo-albido, calefacto virente,

maiore in copia Spiritus reagentis resolubili, indicat, solutione lazulina satura. Etiam Niccolum e solutionibus colore pallide-viridi praecipitat, ac colore sapphirino resolvit, sed praecipitatum istud, in Aqua regia solutum, non uti Cuprum a lamina Ferri polita, solutioni immersa, indicatur. Metalla reliqua fere uti Lixivium causticum vegetabile ex acidis secernit. Arsenicum album et sulphuratum (Auri pigmentum), Argentum et Cuprum Acido arsenicoso et arsenicico nupta et Argentum phosphoricum, quamquam hoc aegrius, solvit.

SPIRITUS SAPONIS.

Seifengeist. Vid. Pag. 334.

Additis acidis lactescit, oleo liquori innatante. Ex omnibus salibus terreis et metallicis, aqua solutis, bases eliminat, sapones fere insolubiles cum illis formans; sed etiam e solutione salium alkalinorum neutralium nonnullorum praecipitatum album, in copia maiori Aquae destillatae rursus solubile, profert, e. gr. e solutione Salis mirabilis Glauberi et Salis communis. Aqua destillata ab illo non turbanda est.

* SPIRITUS VINI ABSOLUTUS.

Alcohol absolutum 0,820—0,830 Bav. Alcohol alcalisatum 0,810 Belg. Absoluter Weingeist. Absoluter Alcohol.

Rp. Salis Ammoniaci fixi, igne recens liquati ac contusi, adhuc subcalidi Partem unam.

Immitte per tubulum in retortam vitream, et ingere per rostrum retortae ita, ut eum simul abluas,

Spiritus Vini rectificatissimi Partem aequalem.

Digerantur leni calore ad solutionem, tum destillando elice partem dimidiam Spiritus adhibiti, vel

quantum sufficit, ut pondus specificum 0,8095 = 40° Ar. Bk. Aq. lv. aequet.

Solvit Phosphorum aegre, Iodinam facile, Acidum Boracis et acida vegetabilia concreta, Alkalia caustica, Hepar Sulphuris alkalinum. Recipit Magnesiam salitam et Sal Ammoniacum fixum, Aurum et Cuprum ac Ferrum Acido muriatico nupta, salia neutralia acetica alkalina, terrea et metallica plura, Kali et Natrum hydriodinicum, Sal Ammoniacum etsi aegre, Mercurium sublimatum corrosivum in copia magna, Argentum nitricum, salia neutralia benzoica et succinica alkalina, Camphoram, olea aetherea plurima, olea pinguia plura, balsama et resinas, Chininum et salia eiusdem, haec auxilio caloris facilius, Cinchoninum aegre, nec non reliquas substantias vegetabiles similes; etiam Principium tannicum ac species plures principii extractivi, Saccharum, Ambram, Sperma Ceti, Collam piscium, Sapones etc.

* TINCTURA GALLARUM.

Gallápfeltinktur.

Rp. Pulveris Gallarum Turcicarum nigrarum Drachmas tres,
Spiritus Vini rectificati Uncias duas.

Digere calore 30° usque 40° per viginti quatuor horas et residuum exprimendo filtra.

Metalla plurima e solutione in acidis, Lixivio caustico caute neutralisata, praecipitatis variis monstrat, e. g. Ferrum oxydatum, copia exigua in fluidis obvium, colore violaceo obscuro, maiori copia praesens colore coerulescente-nigro, tandem sedimento simili; Ferrum oxydulatum auxilio Oxygenii, in aëre atmosphaerico contenti, mox colore fere pari producit. Etiam Aurum solutum colore

rubicundo, mox lutescente-brunneo, Argentum castaneo, Cuprum oxydatum viridescente-fusco pallido, Mercurium oxydulatum cerino-griseo, oxydatum aurantiaco, (solutionem Mercurii sublimati corrosivi non mutat) Bismuthum luteo, Stannum oxydulatum flavente-albo, Plumbum flavente praecipitat. Aquam Barytae et Calcis decomponit, praecipitata primum albida, mox coerulescentia, denique glauca in illis producens; in liquore Alkalium carbonicorum sedimenta albida vel flavescentia et in liquore Tartari emetici floccos fere albos gignit. Gelatinam animalem, aqua solutam, praecipitato floccoso lucide-griseo, quod expressum in massam coriaceam elasticam, aqua non solubilem, coit, indicat. Substantias vegetabiles alkaloideas, ut Cinchoninum, Chininum, Emetinum, Morphium, Picrotoxinum, praecipitatis coloris plerumque griseo-albidi monstrat.

☨ TINCTURA IODINAE DILUTA.

Alcohol Iodini Bav. Verdünnte Jodintinktur.

Rp. Iodinae Partem unam.
Solve in
Spiritus Vini rectificatissimi Partibus viginti.
Residere fac ac defunde. Paratur ex tempore.

Ab Acido Salis dephlogisticato decomponitur, Iodinam deponens, quae dein, Acido praeponderante, colore fulvo resolvitur. Amylum cum aqua dilutum, vel coquendo solutum, colore violaceo et indico imbuit, Acidum Salis dephlogisticatum Iodinam deinde recipit et Amylum relinquit, quod etiam accidit, si Amylo tincto diluto copia liquoris Arsenici albi vel Mercurii sublimati corrosivi addatur, unde omnis color deletur.

* ZINCUM PURUM.

Reines Zink.

Vel laminatum vel fundendo et moduli ferrei aurichalcive canaliculati infusorii ope, ad Lapidem infernalem parandum, in cylindros formatum.

Aurum, Argentum, Arsenicum, Antimonium, Bismuthum, Cuprum, Kadmium, Plumbum, Stannum in statu metallico e solutionibus secernit.

Cum purum non praesto est, Zincum ex Indiis orientalibus advectum adhibere licet.

INDEX ALPHABETICUS

NOMINUM LATINORUM

ET

OFFICINALIUM ET SYSTEMATICORUM.

Quae literis maiusculis impressa inveniuntur, sunt nomina Pharmacopoeae nostrae.

Numerus paginam indicat.

I N D E X.

B.

C.

G.

I.

K.

Q.

R.

S.

T.

Deutsches

Wortverzeichniß.

A.

B.

C.

F.

G.

L.

M.

N.

O.

R.

S.

T.

Z.

CORRIGENDA.

Pg. 8 linea 25 lege depsta; lin. 30 lg. limpidius; lin. 32 lg. usui; pg. 9 lin. 9 post aetherei pone comma; lin. 10 post exhibent pone punctum; pg. 10 lin. 11 lg. Bonplandia; pg. 12 lin. 25 lg. aestui; pg. 14 lin. 4 lg. coniuncta; pg. 16 lin. 10 lg. pelluciditatis; pg. 17 lin. 20 lg. nonnunquam; lin. 23 lg. fragiles; lin. 37 lg. dispensa; pg. 18. lin. 29 lg. flavo-fuscescente; pg. 19 lin. 20 lg. umbilicati; lin. 37 lg. fundendum; pg. 20 lin. 12 lg. coniuncta; pg. 21 lin. 14 lg. rutila; pg. 22 lin. 4 et 5 lg. aquam membranula; lin. 19 lg. ex acri; lin. 35 Wolfskirschen; pg. 23 lin. 34 lg. flavo; pg. 29 lin. 5 et 6 lege igne exurendo; pg. 30 lin. 19 lg. aethereis; lin. 32 et alibi lg. Swarz loco Schwarz; pg. 31 lin. 12 lg. pallidioribus; lin. 13 lg. tectis; pg. 32 lin. 26 et alibi lg. Matonii; pg. 34 lin. 13 lg. Cardopatiae; lin. 20 lg. Carvum; pg. 37 lin. 5 lg. Glires; lin. 12 lg. animali; pg. 38 lin. 1 lg. aequale; lin. 8 lg. gibbosi; lin. 28 et 29 lg. punicea; pg. 39 lin. 1 lg. Herba; lin 11 lg. quodammodo; lin. 20 lg. masticandum; lin. 23 lg. odoris; lin. 35 lg. decocta; pg. 40 lin. 20 lg. in vapore; lin. 30 lg. ferruminatorii; pg. 41 lin. 2 lg. affuso; lin. 4 lg. irresolubili; lin. 35 lg. luteis, infundibuliformibus; pg. 42 lin. 1 lg. scente; lin. 13 lg. infundibuli-; lin. 29 lg. hirsutulis; pg. 45 lin. 28 lg. transversim; pg. 46 lin. 34 lg. addito; pg. 47 lin. 37 lg. artificiose; pag. 48 lin. 8 lg. crassiora; pg. 67 lin. 4 lg. Septembri; pg. 68 lin. 16 lg. Loureiro; lin. 17 lg. Roscoe; pg. 71 lin. 32 lg. resupinata; pg. 72 lin. 22 lg. lutescente; pg. 73 lin. 10 lg. demittente; lin. 14 loco Liq. Salis Tartari pone Lixivium causticum vegetabile; pg. 74 lin. 15 lg. teratum; pg. 75 lin. 34 lg. Extractum; pg. 78 lin. 13 deleatur comma post promovens; lin. 18 lg. Servandae; pg. 80 lin. 25 lg. nomen; pg. 82 lin. 6 et alibi lg. epistomiis; pg. 83 lin. 5 lg. raram; lin. 6 lg. admittas; lin. 32 lg. Zizyphus; pg. 90 lin. 21 lg. subadstringentis; lin. 22 lg. ei; pg. 95 lin. 2 lg. acris; pg. 103 lin. 10 lg. ei; lin 12 lg. (uti Stannum, Bismuthum); lin. 13 lg. depuretur; pg. 107 lin. 2 loco Brucei? pone Forsköl.; pg. 108 lin. 8 et alibi in nomenclatura Ph. Austriac. loco Lixiviae pone Lixivae; lin. 24

loco plus lg. magis; pg. 109 lin. 23 lg. quacunque; lin. 27 lg. recognosces; pg. 111 lin. 26 lg. commune; pg. 112 lin. 2 lg. adhibere; pg. 113 lin. 24 loco Kataf lg. Kafal; pg. 115 lin. 8 lg. frequente; pg. 120 lin. 1 vetustiorum; lin. 9 dissiliens; pg. 122 lin. 5 post solidum pone ex; p. 125 lin. 8 lg. angustio; pg. 126 lin 15 lg. ne emas; pg. 127 lin. 12 lg. reagentibus; pg. 128 lin. 23 lg. liberata; pg. 129 lin. 27 lg. pinquantis; pg. 137 lin. 33 lg. Aquae calore 14°, et in; pg. 138 lin. 4 lg. irresolubili; pg. 139 lin. 8 lg. Aërem; lin. 1 et pg. 140 lin. 2 lg. mirabili; pg. 142 lin. 13 lg. Calori; pg. 145 lin. 9 lg. oleaceus; pg. 146 lin. 15 lg. siccata; lin. 23 et pg. 147 lin. 3 lg. syphilitica; pg. 150 lin. 10 post subtus dele comma; pg. 153 lin. 22 lg. Sub-Carbonas Sodae; pg. 157 lin. 23 lg. dicta; pg. 159 lin. 15 et alibi lg. Terebinthina; pg. 170 lin. 22 lg. summitatibus; pg. 171 lin. 14 lg. Ranunculorumque; pg. 173 lin. 27 lg. minusve; pg. 176 lin. 12 lg. indicant; pg. 184 lin. 23 lg. illi; p. 185 lin. 22 lg. zooticum; pg. 186 lin. 11 lg. illud; pg. 187 lin. 29 lg. vegetabili; pg. 196 lin. 20 et alibi lg. characteres; pg. 201 lin. 9 lg. diluto; pg. 204 lin. 29 lg. Liquorem; pg. 205 lin. 22 lg. Eadem; pg. 208 lin. 29 et pg. 211 lin. 6 dele comma post humanae; pg. 209 lin. 1 lg. homogeneam; pg. 211 lin. 15 lg. exhalata sit; pg. 212 lin. 21 lg. relicta; pg. 217 lin. 8 lg. agglutinatione; pg. 219 lin. 18 lg. Potassae Supertartras; pg. 220 lin. 13 lg. Integer sit; pg. 221 lin. 32 post Antimonii pone et Potassae; pg. 223 lin. 29 lg. colatura; pg. 226 lin. 27 lg. Mixtura sulphurico-acida Hann; pg. 227 lin. 7 lg. sulphurico—; pg. 230. lin. 1 lg. Woodstockii; lin. 28 lg. Balsami; pg. 232 lin. 31 lg. Lithargyri; pg. 235 lin. 26 lg. Pice; lin. 32 lg. Schmuckeri; pg. 239 lin. 16 dele comma post venalis; pg. 249 lin. 12 lg. densioris; pg. 250 lin. 8 lg. semirefrigeratam; lin. 15 dele comma post colore; pg. 251 lin. 10 apposita; pg. 255 lin. 8 dele comma post bullientis et pg. 258 lin 13 post praecipitationem; pg. 259 lin. 4 lg. rhomboideis; lin. 7 lg. solubilibus; pg. 263 lin. 23 lg. unum; pg. 265 lin. 12 lg. Schwefelätherweingeist; pg. 266 lin. 1 et 24 lg. anodynus; pg. 269 lin. 25 lg. observentur; pg. 270 lin. 7 lg. Pag. 191 et 212; pg. 279 lin. 17 lg. igni; pg. 283 lin. 7 lg. diminuendum; pg. 285 lin. 30 lg. acetico; pg. 287 lin. 24 et pg. 288 lin. 7 deleantur commata post convergentibus et destilletur; pg. 288 lin. 28 loco hac lege illa; pg. 306 lin. 27 lg. terreo pro ferreo; pg. 349. lin. 36 lg. lapideae; pg. 357 lin. 16 dele semicolon post fiat; pg. 364 lin. 1 pone Drachmam dimidiam loco unam; pg. 381 lin. 13 dele comma post liquida; pg. 396 lin. 28 lg. ingestum; pg. 417 lin. 29 lg. Phosphori.

18,-